m

1. Hungarian literature—Hist. and crit.

CONSPECTVS
REIPVBLICAE
LITTERARIAE
IN
HVNGARIA
AB
INITIIS REGNI AD NOSTRA VSQVE TEMPORA
DELINEATVS.
A
PAVLLO WALLASZKY.



POSONII ET LIPSIAE,
APVD ANTONIVM LOEWE, TYPOGRAPHVM ET BIBLIOPOLAM.
1785.

rum negauerit, quae duplex eſt, communis nempe cum aliis gentibus partim, partim vero Hungariae propria. Quod priorem illam attinet, vt omittam, Litteratis eſſe turpitudini, Litterariam, adeoque domeſticam ignorare Hiſtoriam, in eaque errores committere, ex ea I.) notitiam haurimus bonorum, malorum librorum. II.) Methodum addiſcimus expeditiore, breuioreque via, perueniendi ad eruditionem. III.) Quae in ſtudiis ſequenda, vel fugienda, cognoſcimus, et prudentiam addiſcimus litteratam. IV.) Vitas Virorum ingenio, doctrinaque illuſtrium oculis animoque luſtrantes, non ſolum praeiudicium auctoritatis *a)*, et antiquitatis ſenſim exuimus, verum etiam V.) co-

a) Obſeruatu haud indignum eſt, locis illis, quibus friget Studium Hiſtoriae Litterariae, Philoſophos coeca fide ſuum Ariſtotelem, Iurisconſultos ſuum Bartolum aut alium; Theologos ſuum Thomam, ouium ritu ſequi: contra vbi percolitur Hiſtoria Litteraria, non ſolum Philoſophi, ſed eti-

gnoſcentes, quanti viri, ope Litterarum euaſerint, ad aemulationem incitamur. Non minus *a)* poſtulat id, ab Exteris ad nauſeam vsque obiectata Hungaris barbaries, et bonarum Litterarum ignorantia: quam depellere ab Inclita Natione inficetam iniuriam, nomini magis, quam eruditis Hungariae incumbit.

Hae me olim impulerant Cauſſae, vt periodum annorum circiter quinquaginta Litterariam, ductis primis lineis, in *Tentamine Hiſtoriae Litterarum ſub Mathia de Hunyad, Rege in Hungaria, Lipſiae Anno* 1769. *4to.* exprimerem. Non

am Iuriſconſulti, Hiſtorici, Medici, Philologi, immo et Theologi ſunt ecclectici, et ex ſolido eruditi. Eſt enim Hiſtoria litteraria lux veritatis, et mater libertatis ingeniorum.

a). Ita ex vero, de Vſu Hiſtoriae Litterarariae iudicat Cel. Chriſtoph. Auguſt. Heumannus in *Conſpectu Reipublicae Litterariae. Hanouerae.* 1735. *in* 8.

displicebat Conatus Eruditis, eoque valebat, — vt et obtrectatoribus Nominis Hungarici melior de Studiis Litterarum Hungariae ingenerata fuerit Opinio, et mihi calcar adderetur, eadem methodo, Historiam Hungariae Litterariam, eiusque Prouinciarum, a primis Regni initiis, ad nostra vsque tempora pro modulo virium pertexendi. Dum haec ita meditor, euenit felici Sydere, vt tota Reipublicae in Hungaria Litterariae, adnitente immortali MARIA THERESIA, facies in melius circa annum 1776. conuerteretur. Inter primas habebatur in condito Educationis, Iuuentutis, Systemate, ratio Historiae Litterariae, cuius quam plurimi instituti sunt Professores. Sperabam ego, immo plane confidebam, magna eos contentione, domesticum huncce, qua late patet, fundum adgressuros excolendum, lucubrationesque suas publici iuris facturos. Ma-

num itaque ego de tabula subtraxi tanto libentius, quod neque satis instructus a suppellectili, et a commercio Eruditorum nimium tum remotus a), vix dignum quidpiam luce publica extrudere iudicauerim. Falsus tamen sum expectatione diuturna, inscius, quid Viros eruditos a publicatione foetuum vtilissimorum cohibeat. Resumsi ergo propositum, et veritus, ne vel haec Occasio, de Patria bene merendi effluat e manibus, quicquid eius est, donec meliora dabuntur ab aliis, publicae vtilitati expono. At vero ipse omnium sentio optime, quam sit difficile, in inculto, et spinoso agro, in quo excolendo integro, neminem praeeuntem habeo, vires ita exercere, vt Reipublicae Litterariae expectationi satisfaciam. Etsi etenim tam ante, quam post renatas Litteras, pro temporum ratione, apud nos non minus,

a) Defungebar tum ab Anno 1769. ad 1780. in Ecclesia Euang. Komlós cis Marusium I. Comitatus Békésiensis, Ministerio.

quam alibi floruerint Litterae, nihilominus bella tam domestica, quam Turcica duobus fere Saeculis continuis saeuientia, adeo rapinis, ferro, et igne, quicquid ad instituta pertinebat litteraria, exinaniuerunt Regnum: vt vix tabulae ex naufragio lacerae supersint amplius, ideoque media in Germania aut Italia, quam ipsa Hungaria pertinaci etiam adhibita diligentia, id genus documenta facilius reperias. Accedit ad haec, (quae est aliarum quoque Regionum iusta querela): nullibi esse eruditos remissiores, quam in condenda Historia Litteraria. Neque nullum non momentum afferebat; non ea apud nos hucdum, quae alibi sentiendi, et dicendi, quae cogitas libertas *a)*. Immo esto, vtilissima

a) Censura immitis librorum typis exscribendorum tulit hoc malum hucdum secum: quae quantum eruditionis obsit progressibus, Pritanius ipse R. Catholicus agnouit Lib. II. *de ingeniorum moderatione in Religionis negotio.* Cap. 5. pag. 266. et ingemuit inquiens: *Nouimus.*

etiam conscribant eruditi, nisi ipsi et auctores, et bibliopolas agere velint, (at non cuiusuis rationes admittunt, sumtus in typos facere): tineis, et blattis corrodenda relinquere oportet *a)*. Hae sunt caus-

qui, ne sibi confligendum foret, cum indocili quorundam Censorum inscitia, atque impotentia dimissis theologicis, ac philosophicis Studiis, se totos coniecerunt in eruditionem profanam, vnde si non aequa laus, certe minus periculi, et plus quietis expectandum fuerat. Non ergo priuatis tantum studiis officitur ab hisce Censoribus, sed publicae etiam vtilitati, et Ecclesiae, quae Scriptoribus, Theologisque indiget, non assentatoribus, dum scribunt, neque Zelo immoderato feruentibus, dum iudicant, sed solida eruditione refertis, et omni Superstitione et Affectu vacuis. Noui exemplum, vbi liber vtilissimus propter solam dedicationem, ceteroquin innocentissimam fere prohibitus, saltim ipsa dedicatio supprimi debuit. Si vero opera vtilissima in exteris Regionibus typis exscribebantur, Auctor carceres, vel exilium accepit proemium. Paullus Gyöngyösi, et Matthias Bahil sint loco aliorum exemplum. Quanta est nostra sub Iosepho II. felicitas.

a) Huodum mos hic vigebat apud nos, (licet iam pedetentim dispereat), quem aetate sua queritur in Germania celeberrimus Martinus Chemnizius, qui in Epistola quadam ad Ritterum testa-

ſae praecipuae, cur ſit in praeſens nobis in tenebris palpandum; hinc inde ſparſa editorum nomina; librorum ſaltim ante Saeculum eruditorum fama fere extincta, reſtauranda, ſcientiarum Officinae, et id genus inſtituta litteraria, refractario labore colligenda, in ordinem redigenda. — Haec penſitando, tanto maiori fiducia, ab omnibus lectoribus eruditis, defectuum, et erratorum veniam peto, et expecto, certus, ſi qua olim repetenda fuerit opuſculi editio, multo limatius, et amicis opem ferentibus perfectius dari poſſe, vt cum Virgilio idem alloqui (poetice tamen haec dicta volo) in praeſens poſſim:

tur, ſe non ſolum nullum a bibliopola accepiſſe operae ſuae pretium, ſed etiam quinquaginta exemplaria *ſui Examinis Concilii Tridentini* (at quam boni, quanto digni proemio operis) ab eo parata pecunia redimere coactum eſſe, non niſi hac Conditione ſuſcepturo huius operis editionem.

PRAEFATIO.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu,
Si foetura gregem suppleuerit, aureus esto.

Intereſt lectoris, vt Oeconomiae, quam in libello ſecuti ſumus condendo, reddamus ſuccincte rationem. Scribimus Hiſtoriam Litterariam Hungariae latiore ſignificatu ſumtae, quae prouincias etiam eius, Croatiam, Slauoniam, et Dalmatiam, atque Tranſiluaniam, immo Moldauiam et Valachiam complectitur. Methodo vſi ſumus Analytica, ſeu Chronologica, qua ſecundum Saecula, ſtatum Rei litterariae deſcripſimus. Conſpectus integer duabus diſpeſcitur partibus: prior *ante*, poſterior *poſt renatas litteras* continet hiſtoriam. In illa, *Sectione priore*, de litteratura Hunno-Hungarica ante, *poſteriore* vero poſt ſuſceptum Chriſtianiſmum egimus: in hac porro *primum* fata litterarum

a Saeculo XI. ad Annum 1776. quo aliam longe induit Respublica nostra faciem; atque sic *vltimo* aetatis nostrae recensuimus conuersiones. Si quidem propriae *Hungariae* scribimus Historiam; ad gentis donec in Asia morabatur, tanto minus volebamus ascendere in hoc Vitae genere gesta, quo magis pleraeque innexis nituntur scriptiunculae huiusmodi coniecturis, ex quibus nihil commodi Respublica refert litteraria. Itaque orditi sumus a litteratura Hunno-Scytica, quidue Hunno-Vngari iam in Regione nostra considentes profecerint, explicuimus. Nitebamur sequentibus ostendere, quid quouis saeculo, prout id vel sterile, vel fertilius fuit bonarum litterarum, ad augmentum earum contulerint Hungari. Vt sua Augustis, et Maecenatibus, quorum Ope conseruatae, et auctae sunt omnigenae disciplinae, constent merita; *primo* cuiusuis Saecu-

li (vbi licuit) loco, eorum praeposuimus nomina; sequentur in singulis scientiis eruditi, non exclusis etiam doctis mulieribus, officinae denique earum Vniuersitates, (si quae fuerant), Scholae illustriores, Societates litterariae, bibliothecae, Vehicula disciplinarum, nempe typographiae, bibliopolia, et id genus Miscellanea litteraria. Eruditorum Virorum, illorum solum habuimus Rationem, qui in solo Hungarico, saltim aliquamdiu vixerunt, seu illi exteri natione fuerunt, seu indigenae: alios, qui quidem in Hungaria nati, alibi tamen vitam exegerunt, in album Eruditorum Hungariae non retulimus. In omnibus tamen his libertate ea vsi sumus, vt non gymnasia omnia, quorum certe insignis, posterioribus tribus Saeculis fuit copia, sed duntaxat illustriora, neque quoslibet Viros doctos, ad complendum solummodo numerum,

qui vna forte, vel altera innotuerunt dissertatiuncula, ne id mihi quod Zuittingero obiiciatur, verum praecipuos nominauimus. Subvereor tamen, an ex cuiuslibet lectoris opinione, aut gustu. Quodsi vero forte (vtor verbis Cel. Heumanni) optime de litteris meritorum, merentiumque nomina frustra quaesiueris? scias, me peccauisse inuitum, cogitesque, tales eo minus iustam habere de facta sibi iniuria querendi caussam, quod ipsi eiusmodi exigendo opera, quae nec *Iouis ira, nec ignes, nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas*, immortalitati nomina sua commendauerunt. Inuenies vero, Lector Beneuole! eosdem eruditos quosdam, bis etiam a nobis, pro diuersarum scientiarum specie laudatos, vti nempe Operibus diuersis nobis innotuerunt. Plerique tamen eundem sunt sortiti locum, quo maxime doctrinam suam exercuerunt.

Theologorum, Oratorum, et Poetarum, pro diuersitate Religionis, et nationum diuersa est apud nos ratio. Curae fuit indigitare, ad quam Classem pertineant. Si quidem classes Eruditorum non libuit augere, ad numerum Philosophorum omnes Scriptores Physices, Historiae naturalis, Astronomiae — inter historicos, antiquarios, geographos — ac postremum ad oratores, philologos, grammaticos — retulimus. Praemisimus in Prolegomenis scriptores Historiae Litterariae Hungaricae, Serie Chronologica, adiecto, qui mihi lecti sunt iudicio critico. Patet ex his, non plane desertam adeo, vt multi putant, partem hanc Historiae; licet vniuersali destitui nos fatendum est omnino.

Propositum fuit nobis initio segetem dare in quouis scientiarum genere, Saeculo singulo librorum cum recensione critica, ex quibus

paterent incrementa in Hungaria eruditionis. Nihilominus tamen obseruans, vltra limites propositos progressurum ita libellum, mature mutaui consilium; sed non penitus.., Indicaui identidem, vbi necessarium putaui, Libros in primis rariores, et materiam eis contentam, non neglecto iudicio moderato. Si qua olim speranda est nova opusculi editio; auctius Capite hoc prodibit. Interim dabunt eorum notitiam Lexica Eruditorum, quae Zuitingerus, Bod, Horanyi, et Veszpremi, Viri clarissimi condiderunt.

In praesens hoc solum moneo, genericam eruditionis in Hungaria notitiam comparare posse lectorem, si animaduertat Religionis diuersitatem. Plerisque etiam extraneis Viris doctis notum est, Iuuenes Hungaros plerosque, vberioris Scientiae tam sacrae, quam profanae com-

comparandae gratia, exteras, Italicas, Germanicas, Batauas, Helueticas, immo et Anglicas adire vniuersitates. Quae itaque scientiae, et quo tempore, quaue methodo tractantur, ibidem: eaedem in Hungariam delatae florent maxime. Sic e. g. Seculo XVI. Melanchtone communi illo Germaniae praeceptore, commendante linguam graecam, latinam, et Poesim, Luthero vero hebraicam, omnes in Hungaria exegesi, et philologiae S. deditos, ac versificatores vidisses. Eodem, et XVII. Seculo, Theologis in Germania digladiantibus, Scholae, et Ecclesiae Hungaricae, eristica personabant Theologia. In Ecclesia Romano-Catholica, vti in Italia, ita et in Hungaria, Dunscotus, et Thomas de Aquino (vt nihil de Philosophia Aristotelica dicam) Duces, quos deseruisse, vel ad api-

cem piaculum erat, fuere. Cocceio in Ecclesia reformata cum Theologia sua foederali, et Carthesio cum systemate caussarum occasionalium, Belgium pervadentibus, Hungariam reformatam pariter cito occuparunt. Wolfio ecclesiasticam sectante Philosophiam, methodo mathematica tractatam, omnes in Hungaria, in eius imprimis Religionis coetu, methodo eadem philosophatos audiuisses. Nostra aetas exemplo ceterorum, praecipue admiratur litteras humaniores, physicam, historiam naturalem, cet. Sed haec attigisse in genere sufficiat.

Fidem, qua in conscribendo opusculo versati sumus, non est cur quispiam vellicet. Fontes, ex quibus mea depromsi, laudaui affatim: esto tamen non vbique (quod in collectis hinc inde diuersissimis materiis facere,

immo et legere foret molestissimum) publice tamen profiteor ex vero, me nihil scripsisse, quod non alibi scriptum repererim. An semper duces mei, fide digne egerint, a me nemo vadimonium requiret.

Satis est, me cura, quanta fieri potuit, summa cauisse: ne in errorem inducam lectores. Idem dictum etiam, quam maxime velim de iudiciis, quae de libris virorum doctorum passim tuli. Nemo iniuriam suam, quam plane detestor, interpretetur, si quidpiam non suis principiis, et modo cogitandi conueniens repererit. Si tamen scapham, scapham, at sine conuicio nominauerim: vsus sum libertate, quae cuiuis ciui, in libera republica litteraria competit. Hanc veniam petimus, damusque vicissim. De stili genere non est, cur moneam. Non est is an-

xius et scrupulosus; iudicio ad quaelibet verba suspenso: neque phaleratus; sed neque humi serpens; historiae, vt puto texendae conueniens. Sunt, (vti sapienter cel. Dan. Georg. Morhoffius in praefatione ad Polyhistorem monet) qui etiam in rebus, quae ornari negant, doceri contentae; singula verba periodosque ad amussim vocant, numerosa omnia, et exasciata volunt, nullam, quae Romanam Ciuitatem non sapiat, vocem admittant, nihil alieni scriptoris verbis, sed suis exprimant, vt ita libellum, tanquam omnibus numeris absolutam Pasicompsen, lectoribus suis sistant, et velut in scenam, aut orchestram producant. Has ego formas earumque spectatores non sperno, quin potius laudo, iisque assurgo: est tamen vbi vel incomptae Veneres, et passo capillo horridulae, ipsa se negligen-

tia commendant. Eſt, vbi praefucata Phryne aliqua, decoro vultu decolor

Sabina qualis, aut peruſta
ſolibus
Pernicis Vxor Appuli.

non diſplicuerit. Malim et ego, in didactico argumento, ſermonem puluere, ſed erudito oblitum; quam ceruſſa et pigmentis incruſtatum. Qui maiorem hic a me ornatum deſiderauerit, horrea me hic ſtruere meminerit, in quibus nemo marmoreas, varioque opere elaboratas columnas, nemo periſtylia et porticus, nemo parietes aulaeis ſuperbos, ſed pro congerendis frugibus apta ſpatia requirat.

PROLEGOMENA.

Antequam ad delineandum Historiae Litterariae Hungariae Conspectum accedamus: *SCRIPTORES* eius, qui supersunt, breuiter serie Chronologica percensebimus.

I. Est primus omnium IOANNES TELEGDI, Vir eruditus, qui scripsit Schediasma inscriptum: *Rudimenta priscae Hunnorum Linguae*, labente seculo XVI. Exile illud est, quatuor plagulis constans, dedicatum Conrado Dieterico, quod se possidere, celebr. Godofredus Schwarcz liberalitate Chr. Frid. Ayrmanni Histor. in Academia Giesensi condam Professoris, ex bibliotheca D. Maii iunioris, profitetur in *Initiis Religionis Christianae, inter Hungaros, Ecclesiae Orientali adsertis*, Halae 1740. §. 66. pag. 77. non minus cel. Daniel Cornides, testantur. Num opusculum id typis in publicum prodierit, pro certo affirmare non possum: Schwarczianum certe illud M. S. exemplar fuit. At vero mihi ita videtur. Eruditi Lipsienses in recensione operis Beliani, eiusdem Argumen-

ti, infra producendi, similis faciunt mentionem his verbis: *Operae pretium forte fecisset Cl. Auctor, si Tractatum Lugduni Batauor. 1598. in 8. editum, quem non vidisse videtur, in consilium adhibuisset.* Et sane fauet Chronologia. Nam Decius Barouius Litteras ad Telegdium, de Tractatu hoc scriptas dedit 5. Martii Anno 1598. e foro siculorum, quas infra producemus. Saltim editionem hanc oportet esse rarissimam, cum in Hungaria sit visa nemini.

2. Thomas Balásfi, Episcopus Bosnensis breuem scripsit commentariolum *de vita Nicolai Istvanffi*, celebris illius Historici, quem ex MSto Bibliothecae Augustae Vindob. Codice inter Hist. prof. 462. exscriptum, suisque ad Lambecii de Bibliotheca Vindob. *Commentarios supplementis* insertum vulgauit Illustr. Adam. Franc. Kollarius. Opusculum imperfectum, notis auctum Memoriae suae Hungarorum Tom. II. pag. 247. seq. inseruit Cl. Alexius Horanyi. Auctores quoque opusculi periodici sub titulo: *Vngrisches Magazin*, Presburg 1781. Tomi I. Part. 1. pag. 21. seq. et Part. IV. pag. 464. nec non Cl. Georg. Pray Annal. Regum Hung. Parte V. in praefatione, monent utilia.

3. Daniel Kleschius, qui edidit Schediasma breue, vna philera constans, inscriptum: *Pentas Doctorum Iuris in Hungaria*, *Ienae 1688.* in Folio.

4. Georgius Rajcsanyi, *Tyrnauia crescens*, *seu quinque Hungariae Antistitum de vrbe hac Academica, Litterisque praecipue meritorum gloriosa memoria*, Tyrnauiae 1707. Sunt vero Antistites Petrus Pazmany, Georgius Lippai, Georgius Szelepcsényi, Archi-Episcopi Strigonienses, Ioannes Telegdi, Archi-Episcopus Colocsensis, et Ferdinandus Palffi, Episcopus Agriensis.

5. Ioannes Fridelius, Rector Gymnasii Sproniensis, auctor est opusculi: *Christophori Lackneri Doctoris* (ICti) *et Consulis Sempronienfis vitae curriculum.* Ratisbonae 1714.

6. Dauid Zuittinger edidit *Specimen Hungariae litteratae, virorum eruditione clarorum, natione Hungarorum, Dalmatarum, Croatarum, Sclauorum atque Transyluanorum vitas, scripta, elogia et censuras ordine alphabetico exhibens: accedit Bibliotheca Scriptorum, qui extant de rebus Hungaricis.* Francofurti et Lipsiae, Typis et sumtibus Iod. Guil. Kohlesii Vniuersitatis Altdorf. Typographi 1711. in 4to. Est auctor hic pater historiae litterariae Hungaricae, tanto maiore ab omnibus doctis ciuibus dignus laude, quod ante eum, nemo eruditos Hungariae, tam frequenti numero collegerit. Sequitur is methodum alphabetariam, eruditi cuiuslibet, quantum fieri potuit, biographiam et scripta exponit, elogia denique et censuras procul amore ac odio, sed non semper ex merito subiungit. Vti id omnibus solet euenire scriptoribus, ita etiam Zuittinger laudatur ab his, culpatur ab illis. Extra omne dubium est, eum (vti cl. Michael Rotarides loco mox laudando ex vero monet) *in vitis eruditorum Hungariae, et annexo illis scriptorum patriae catalogo* verborum ac rerum delectum, iustum item et necessarium iudicium, vt et methodum adcuratiorem non adhibuisse, multos insuper clarissimos viros, incaute ac veluti oscitanter omisisse, subinde etiam ab instituto aliena, parumque, aut nihil ad rem pertinentia attulisse, non nulla perperam et vitiose posuisse, vnum idemque sine vlla necessitate frequentius repetiisse, magnam praeterea partem commen-

Grammat. Slauico - Bohemicam Doleſchalianam de Slauicae linguae antiquitate, vbertate, Maieſtate, late propagato vſu, variis dialectis, Grammaticis Inſtitutionibus, *cet.* in Praef. ad Száſzkianam Introductionem in orbis hodierni Geographiam, de ſtudii huius in Hungaria tam priſcis, quam recentioribus fatis, in praefat. vero ad Schwandtnerianam Script. Hung. collectionem, adparatum item ſuum ad hiſtoriam Hung. de nonnullis hiſtoriae Hung. Scriptoribus, pulcherrime diſſeruit. — Sequentium quatuor Scriptorum, Rotarideſii potius, viri doctiſſimi verbis, quam meis (adeo iudicium eius mihi ſatisfecit) recenſionem exhibeo.

8. Ioannis Iony, Iglouia - Scepuſii, ICti Hungariae celebris, *Commentatio Hiſtorico - Iuridica, de origine et progreſſu Iuris Hunno - Hungarici a primis Hunnorum in Pannoniam ſuſceptis demigrationibus, ad praeſentia vsque tempora, continua annorum ſerie repetita.* Leutſchouiae 1727. in 4., liber quidem mole eſt exiguus, at rebus maximi ponderis plenus, in quo contexendo, quanta Auctor eximius accuratione, quantoque delectu ſingula elaborarit, nemo facile, niſi illum diligenter peruoluerit, credet. Eas autem, quas proponit doctrinas, ordine, vti iam dictum, chronologico ab ipſis Reipublicae Hunno - Hungaricae initiis, ad noſtra vsque tempora, feliciſſimo conatu, nexuque optimo, ex optimis, quae quidem haberi potuerunt, documentis expoſuit: auctores huc ſpectantes, vbi opus fuit, adiecta ſua quoque de iis ſententia, attulit: praeſtantiam et naeuos, cum rerum, tum ſcriptorum, vt et alios defectus, accurate demonſtrauit, atque hac

ratione, argumentum nulli ante ipſum, ex integro tentatum, ita explicauit; vt pauciſſima in hoc nobiliſſimo opuſculo, iure meritoque deſiderare poſſis. Imprimis hiſtoriae noſtrae litterariae cuius etiam cum reliquis diſciplinis, tum in iure vtilitatem, ac neceſſitatem maximam, in prooemio erudite docuit, tantam lucem affudit, quanta in exiguae alioquin molis libello, ſperari vix ac ne vix quidem a quopiam potuit. Praeter haec, cenſores nonnullos gentis Hungaricae parum aequos, ſcite et acute confutauit. Ciuibus plerisque iuſte, vt debebat, cum difficilem in iuuandis muſis animum, tum deſidiam exprobrauit, multaque alia, antea vix nomine nota, in apricum produxit.

9. Laudem quoque meretur Andreae Huſzty *Origo, incrementum, et facies hodierna trium in Tranſyluania illuſtrium Gymnaſiorum Reformatorum*, Francofurti ad Viadrum 1731. in 4. Hic luculentus libellus multa rei Hungaricae ac imprimis Tranſyluanicae momenta, Viros item eruditos, et id genus alia, ex optimae fidei monumentis deſumta, iuſtoque iudicio temperata exhibet.

10. Anonymus Ieſuita, ſcripſit *Ortum et Progreſſum Vniuerſitatis Tyrnauienſis.* Tyrnauiae 1735. Exiguus eſt libellus, nec adeo accuratus, vt lectori ſatisfacere poſſit: quippe cuius auctor maiorem vbique curam donationum atque immunitatum laudatae Vniuerſitatis, quam litterarum et litteratorum habuit.

11. Daniel Fiſcherus Keſmarkienſis, M. D. et Comitatus condam Scepuſienſis Phyſicus, vulgauit *Epiſtolam inuitatoriam, eruditis Pannoniae dicatam, qua, ad acta eruditorum pannonica, res et*

euentus naturales, *ac morbos patrios exponentia*, *edenda perhumaniter inuitat.* Brigae 1732. *a*). Incipit auctor eruditus a querelis, quae plerisque inopia ſcriptorum Hungaricorum expreſſit; deinde defectum illum, vna cum hiatibus hiſtoriae noſtrae breuiter exponit: his confeſtim ſubiicit, quo potiſſimum tempore, litterae meliores in patria noſtra maxime floruerint, et in quo, tempore quoque auctoris, conſtitutae fuerint, quibusque hoc noſtro imprimis ſaeculo, eruditis augmentis adiutae, promotaeque fuerint. Explicatis vtcunque memoratis rebus, tandem ad neglectam in hunc vsque diem hiſtoriam Hungariae naturalem, quam ille illuſtrandam ſuſcepit, tranſitionem facit, illiusque cum maximum defectum, tum auctores nonnullos enumerat: atque ita vltimo, inſtituti ſui honeſtiſſimi methodum indicat, et *Actorum Pannoniae eruditorum Claſſes III.* in nouas ſectiones diuiſas, ac appendice neceſſaria augendas, lectori breuiter aperit, rogatque inſuper humaniſſime ciues Pannonicos, vt laudabili huic inſtituto, quamprimum manus admoueant. Tota hæc epiſtola eruditiſſimis, ſelectiſſimisque rebus, vt et iudiciis de ſcriptis variorum egregie latis refertiſſima, magnam rei noſtrae litteratoriae imprimis ad illuſtrandam hiſtoriam Hungariae naturalem, pertinentem notitiam, lectori ſuppeditare poteſt.

12. Sequitur Franciſcus Kazy, qui *Hiſtoriam Vniuerſitatis Tyrnauienſis Societatis Ieſu ad annum Chriſti 1735. eiusdem Vniuerſitatis ſaecularem, Partibus III.*

a) Fuſiorem eius recenſionem vide in Commercio Litteratorio norico anno 1732. Hebd. 45. et Cl. Veſzprémi in memoria Medicorum Hung. Cent. 1. pag. 45.

conſcripſit. Tyrnauiae 1737. in 4. In tres diſpeſcuit partes auctor librum. *Prima* exponit Societatis ſuae in Hungariam ingreſſum, obices, lares incertos, ſtabilem denique ſedem Tyrnauiae, atque ex hac in vtramque rempublicam emolumenta: *Secunda*, Academicae Societatis Ieſu Tyrnauienſis, ſeculo toto variam fortunam, ſtudia et vigilias: *Tertia*, miſſiones ab hac Societate (ad traducendos nempe Proteſtantes ad Eccleſiam Rom. Catholicam) ſuſceptas, Fundatoris Academiae et Collegii, ac Vniuerſitatis Rectorum Elogia. Vel ex hoc generali libri Schemate apparet, perperam operi titulum illum eſſe praefixum: quod potius nominandum fuiſſet *Hiſtoria*, rectius *Panegyricus Societatis Ieſu Tyrnauienſis*. Sane vix decimam operis partem vindicat ſibi Vniuerſitas. Pars integra prima ne gry de ea. Secunda, initio, fundationem eius anno 1635. a Petro Pazmany ſolenitatesque, praeſenti ſummorum, imorum, vtriusque ordinis frequentiſſima concione, celebratas deſcribit. Multus quidem eſt auctor in recenſendis academiae incrementis, cerimoniis, promotionibus, diſputationibus, quarum ne vllam negligat, ſtudioſe cauet: at, ſi cum allotriis, inanibus, ſaltim non eo pertinentibus *a)* comparentur, quibus materiam principem oppreſſit, pauciſſima dicenda ſunt. Atque hic etiam circa corticem haeret, *b)* nihil hic de incre-

a) Hiſtoriam ciuilem pertexendi occaſionem quamuis aucupari videtur: adeo diffuſus eſt citra neceſſitatem. Peſſime tamen eam flagellat.

b) Certe aſſiduus eſt in enarrandis ludis ſcenicis, a ſuis Tyrnauiae, Poſonii, Trenchinii frequenter productis. Quantum in rebus inane!

mentis ſcientiarum, inuentis vel auctis veritatibus phyſicis, mathematicis — nihil de moliminibus, actis, ſcriptisque eruditorum Tyrnauienſium legas. Altum de his ſilentium. Imo quod mireris, ne tabulas quidem fundationis aut diplomata, regium et pontificium, quae Iura academiae Societati huic contulerunt, produxit. Vt in eam veniam opinionem; aut a materia deſertum fuiſſe auctorem, (quod eſt minus credibile) aut adgreſſus hiſtoriam litterariam ſcribere, ignorauerit, quae ſunt officia ſcriptoris huius diſciplinae. Parte tertia, quadantenus elogia Fundatoris et Rectorum huc ſpectant. Sed quadantenus dico: fruſtra etenim biographias hic virorum eruditorum quaeras, quos ſolum laudauiſſe propoſitum erat. Miſſiones ſacras, quae ad hiſtoriam eccleſiaſticam pertinent, quis in opere litterario expectet? a) Sed Panegyricum (vt ſupra dixi) auctor ſcribere ſocietati ſuae voluit: quod vt faceret, omnes neruos orationis cum iniuria aliorum ſumma intendit. Nihil apud hos (ſi ei credas) niſi ſumma doctrinae integritas, exquiſitiſſimaque morum ſanctitas: cum tamen et ipſi fuerint homines, iisdem, quibus alii obnoxii vitiis. Erga religionis ſuae ſocios, imprimis V. Clerum, animum ſtudio partium deditiſſimum prodidit, cum ita in promouenda fide R. Cath. et pie-

a) Apoſtolicas plane miſſiones has fuiſſe crederes: adeo tonitrua concionum Sociorum Tyrnauienſium, millenos penetrarunt, et ad ouile reduxerunt. Sed longe cordatius, alius Romano - Catholicus auctor egit, qui docuit plus armatos effeciſſe miſſionarios. Eſt vero ille Martinus Sigismundi in *Metamorphoſi fidei orthodoxae de bono in malum et viciſſim in Comitatu Trenchinienſi.* Caſſouiae 1737. pag. 45. ſeq.

tate suorum operam laudat, vt illis vix spicilegium relinquat. Erga Protestantes illiberalem plane et crudum semet gessit. Contempti hi coram illo, a) religio eorum ipsi semper *haeresis*, *damnata haeresis*, praecones, rudes scientiarum ministelli, duces, auctores rebellionis — et quis posset crassam eius maledicentiam, errores historicos (ad quos enumerandos et refutandos libro opus est) in compendio notare. Sed neque huc spectat: quare consulto praeteruehimur: quae virtus eius est, nitorem orationis laudaueris ex merito.

13. Eodem anno 1735. latius, et ad propositum nostrum appositius duxit lineas, anonymus edito opusculo inscripto: *Res Litteraria Hungariae*. Cassouiae pag. 62. in 12. §. 1. enumerat Gymnasia, Montis Pannoniae Seculi XI. Paciense, Academiam Quinque Ecclesiensem, Budensem, Posoniensem, Tyrnauiensem, Cassouiensem, recentioraque Lycea quaedam. §. 2. continentur Bibliothecae quaedam: vtpote Budensis; Strigoniensis, Csak-Tornensis, Tyrnauiensis §. 3. nonnullae Typographiae, non tamen seculum XVI. excedentes (siquidem antiquiores ignorauit.) Fuerunt vero hae, Tyrnauiensis, Cassouiensis, Posoniensis. — Fuisse etiam Varadini et Zolnae, quas tamen partim *iniuria temporum*, *partim Catholicorum Procerum opera*, *quod rei Chatholica non parum obessent*, *sublatas esse*, dicit auctor. §. 4.

a). Moris hoc fuit Iesuitis Hungariae, contemnere coram rudi plebecula Protestantes, imprimis ministros, et ruditatis accusare; vt sua tanto magis eueherent. Sed fuit hoc scientiae, angustis circumscriptae limitibus, ne quid aliud dicam indicium.

Eruditos 33. oppido paucissimos, neque illos satis selectos breuiter enumerat. Vt vt pleraque haec sint proletaria: laude tamen dignus est auctor, quod in illa sterilitate fundi huius litterarii, vestigia ostenderit eruditioribus, quae maiori cum apparatu sequi olim deberent.

14. Georgius Daróczi e S. I. conscripsit *Ortum et progressum, Collegii academici S. I. Claudiopolitani* (in quo tum degebat) *ab anno 1579.* Claudiopoli 1736. 12. Foetus mihi nondum visus.

15. Andreas Spangar e S. I. *Bibliothecam Hungaricam*, Cassouiae anno 1738. in 4. idiomate Hungarico, quo hucdum nihil simile scriptum habuit patria, vices supplementi Gregorii Petthö chronici subituram, prodire iussit. Qua fide auctor in opere concinnando versatus fuerit, quidue praestiterit, cl. Rotaridesii verbis potius, quam meis, lubet referre. In Prolegomenis Lineamentorum Hist. Litt. Hungariae pag. 83. sequ., ita ait: Exhibet Spangar praeeunte ipsi inter alios, Pazmano, Szent-Iuanyio, Timone, aliisque suae potissimum parti fauentibus scriptoribus, varias diuersarum materiarum classes et catalogos, Szent-Iuanyianis fere similes. In quibus, quoniam praeter origines, resque nonnullas Hungariae memorabiles, etiam antiquitatem sacram ac eruditam domesticam breuiter attigit: imo et litteratorum quosdam, inprimis vero historicos aliquot commemorauit: Miscellaneis suis *Bibliothecae Hungaricae* nomen praeposuit. Quod idem auctor, se id exemplo potissimum Zuittingeri fecisse, quodue hic lingua Latina, illud se vernacula, in emolumentum gentis Hungaricae, quippe quae ad nostram vsque aetatem simili Bibliotheca Hungarica caruerit,

praestare voluisse, fatetur. Vt ita nimirum querelis de penuria scriptorum lingua Hungarica potissimum editorum, cum a Petro de Reua, tum Zuittingero, aliisque factis, quodam modo obuiam iret, huic domestico malo medelam summe necessariam in tempore adferret. Quod vti male non fecit, ita etiam notatam in Zuittingero 300. circiter auctorum omissionem atque culpam oscitantiae ipse committere haud debuisset. Valde enim paucos in dicta sua bibliotheca scriptores, et ne illos quidem selectos ac rariores, sed iam dudum omnibus pene notos et vbique obuios exhibet. Vt iam reliquos nouae huius bibliothecae defectus non addam. Rectius ergo hoc suum supplementum; quod paulo ante laudati Gregorii Pethö Chronico Hungarico Spangarius adiecit, *Antiquitatum Rerumque Hungariae memorabilium*, et quidem ad ductum eruditi Szent-Iuanyi, cui omnino plurimum debet, *Miscellaneorum*, quam *Bibliothecae* titulo insigniuisset. Sed haec minora sunt, quam vt graviorem quandam reprehensionem mereantur. Illud magis dolendum, auctorem eruditum, et vtcunque diligentem, praepostero, nec in rebus suis adstruendis admodum necessario, quin potius viro theologo plane indigno Zelo adeo fuisse abreptum, vt vnum idemque secum sentire nolentes, ne nomine quidem honesto dignaretur. Quasi vero non peraeque vt ipse Spangarius, essemus de sanguine humano, eoque Hungarico orti, vnius nimirum cum eodem patriae filii — nec etiam nobilissimum illud nomen christianum tam publice, quam priuatim religiose profiteremur: imo nec vllis vnquam gloriosissimorum potentissimo-

rumque Hungariae Regum edictis, legibus, Religioni, honori et securitati nostrae consultum prouisumque fuisset. — — Multo plura ad haec laudato loco Rotarides. Eheu! quis vnquam finis querimoniarum, sed et probrorum Republica sanctiore et litteraria indignorum? Fuit hoc omnino Societati Iesuiticae proprium, vel ad aspectum alienae religioni addictorum, atra bile perfundi, sua solum suspicere. — Vtinam non hodiedum, in luce hac litterarum, idem de vulgo Doctorum quiritari cogeremur!

16. Ioann. Georgius Lippisch Scepusiensis, absolutis studiis scholasticis, valedicturus Gymnasio Thoruniensi ex cathedra, dicta oratione proposuit *Thorunum Hungarorum Litteris deditorum matrem*, atque Ienae anno 1743. Typis exscribi curauit. In ea auctor, praeter augustum scholarum, quo matres appellantur nomen, Hebraeorum etiam sapientiae studia, musarum domicilia, vnacum Assyriorum, Chaldaeorum, Aegyptiorum, Persarum, Graecorum, Romanorum, aliorumque occidentis populorum litteris breuiter, neruoseque attigit. Inprimis Prussiae iam ab antiquo, Hungaris comparandae maioris sapientiae gratia, apud exteras nationes peregrinantibus fauentissimae, ac in hac, Thoruniensium potissimum vrbis atque scholae merita maximopere praedicat, huiusque maternam erga gentis nostrae litteratos propensionem iure meritoque laudat. Hac occasione Lippischius inde ab ipsis maioribus Hungarorum Scythis orsus, ad recentiora vsque et sua tempora pergit, multos eruditione varia clarissimos viros, ciues suos, a Zuittingero partim omissos, partim vitiose descri-

ptos egregie illustrat et quantum Hungari, iam ab antiquo, eruditione valuerint, quantumque non solum de patriis, verum et de exteris, ac praecipue de Prussicis scholis meruerint, breuiter, accurate et neruose ex fide dignis monumentis docet.

17. Stomachum mouit eruditis censoribus, opus quod prodiit sub rubrica: *Pro cultu litterarum in Hungaria ac speciatim Ciuitate, Dioecesique Nitriensi vindicatio* Innocentii a D. Thoma Aquinate, Clerici Regularis Scholarum Piarum, Romae 1743. in 4. Legi libellum, oportetque fateri, iustam esse censuram eruditorum Lipsiensium, aliorumque, quam de eo seueram tulerunt. Opposuit auctor id, erudito cuidam peregrino, quem tamen non nominat, ignorantiam Hungarorum *bilose* accusanti. Eum itaque, declamando per omnium Rhetorum genera circumducit, et recensitis summatim non nullis Hungariae eruditis, magno denique clamore ex aduersario, quales nam per litteras, scientias, vtrum notitiam antiquitatum, an linguarum, an vero Philosophiae recentioris culturam intelligat, quaerit. Transit denique praecipue ad Dioecesim et Ciuitatem Nitriensem defendendam: vbi feruide magis, quam erudite rem agit, atque aduersario, quem tantopere exagitat, adeo non satisfecit, multominus gentem nostram ab obiecto ignorantiae crimine, hoc rhetorico specimine liberauit. Aduersarius enim negligentiorem culturam litterarum apud nostros, quam alibi, cum olim fuisse, tum hodie quoque esse obiecerat: Innocentius vero tanto crimine motus, auctoritatem, dignitatem, potentiam, latifundia et magnificum Praela-

torum, ac reliquorum Hungariae Clericorum apparatum, magno cum ſtrepitu, opponit, atque ita de cultu litterarum apud Hungaros reſpondere iuſſus, vitae eccleſiaſticae commoda, de quibus nullus vnquam dubitauit, repoſuit. Qui reſpondendi modus, quam ſit ridiculus, nemo non videt. Miſera enim res eſt, ab auctoritate, potentia, commodis et ſplendore eccleſiaſtici ordinis, ad eruditionem argumentari. Vid. haec fuſius in actis eruditorum Lipſienſibus ad hunc locum et apud cl. Rotaridem l. c. pag. 163. ſeq.

18. Reſtituat guſtum Michael Rotarides Otrokocſio - Gömörienſis, vir eruditiſſimus, qui emiſit in publicum opus: *Hiſtoriae Hungariae litterariae antiqui, medii, atque recentioris aevi lineamenta, quorum Prolegomena, generalem in vniuerſam hiſtoriam Hungariae litterariam introductionem continentia prodeunt, ſtudio ac ſumtu H. M. Hungari.* Altonauiae et Serueſtae M. DCC. XLV. in 4. H. M. Hungarica innuunt *Hazafia Mihaly*, quod latine ſonat, Michaëlem ciuem Patriae. Bonus hic Patriae ciuis, abſolutis Theologicis Vitembergae ſcientiis, totum ſe ſcribendae hiſtoriae litterariae et eccleſiaſticae Hungaricae addixit. Rediit itaque in patriam, ſuppetias conquiſiturus, quibus, annis 1742. et 1743. magnis impendiis et laboribus ex integro fere regno congeſtis, cum hocce ſuo theſauro difficulter eluctatus, ad almam ſuam matrem vniuerſitatem Vitembergenſem rediit, ibique opus ſupra laudatum ſcribere adgreſſus eſt. Rationes, quas eo toto concinnando ſecuturus eſſet, in *Prolegomenis* publici iuris factis ipſe praefat. pag. 13. et opuſculi pag. 18. ſeq. explicauit. Opus nempe totum, praeter

ter *Prolegomena*, quae generalem in vniuersam historiam Hungaricam litterariam introductionem continerent, diuisit in libros IV. *Primo:* Originem litterarum varii generis, fataque earum varia, atque artem scribendi diuersam, antiquam et recentiorem daturus erat. *Secundo:* Studiorum litterariorum prima incunabula, incrementa, fatalesque conuersiones. Prosequar (inquit auctor) per saeculorum interualla, latissime fusam Hungariae antiquae, medii aeui atque nouae rem litterariam. Qua occasione repetam generatim, serie chronologica ex omni memoria, quae studiorum litterariorum, apud maiores nostros, origines, aut aliunde [illegible]ae ad nos commigrationes, quae doctrinae et artes, quo tempore et loco potissimum floruerint?. Praeterea earum antiquitates, progressus varios, variaque per diuersas orbis terrarum partes, cum laudatis maioribus peregrinationes, declinationes, obliuiones, instaurationesque nouas commemorabo. Neque vltimo sectas, controuersiasque celebriores, auctores praecipuos, libros, scholas, collegia, academias, ordines, et quaecunque demum ad rem praesentem summatim exponendam, pertinere videbuntur, penitus intactà relinquam. Quam ego quidem commentationem ita instituam: vt non tantum parentum nostrorum Scytharum, horumque propaginis Hunnorum, Auarum atque Hungarorum eruditione clarorum habeatur ratio; verum etiam vt cognati, coniunctique illis ab antiquo populi, nec non aliae nationes, tam ciuitatis, quam hospitii iure patriam nostram incolentes, attingantur. Emensus ita infinitum pene rerum campum, data

omnium fere ſtudiorum litterariorum generatim facta expoſitione, iam ex inſtituti noſtri legibus, ad partes illorum nobiliſſimas, artes nimirum ingenuas ac diſciplinas, more recepto, hiſtorice deſcribendas me conuertam. Itaque *tertio* artes ac diſciplinas, muſarumque Hungaricarum domicilia delineaturus fuerat. Inquiram (pergit porro) ſigillatim, quae artes ac ſcientiae a maioribus noſtris ipſis, illorumque ſociis inuentae, et quae ab illis etiam paulatim, aliis ex regionibus, beneficio commerciorum litterariorum, in patriam noſtram allatae, paucisque non nunquam, vt fit, commutatis ad vſum publicum accommodatae fuerint: quae denique harum extiterint incrementa, ac fata in progreſſu, cauſſae obliuionis, iteratae inſtaurationes, auctores, horum patroni, ac moecenates, et id genus alia, ad hanc doctrinae praeſtantiſſimae claſſem pertinentia. Scientiarum enim atque doctrinarum domi inuentarum genuinam originem, et ab aliis gentibus detectarum, aliunde factam, in ſedes noſtras antiquo-nouas primam introductionem, vtriusque item occaſionem, tradendique modum ac diſciplinam accuratius noſſe, non modo iucundum eſt, verum etiam vtile atque ſumme neceſſarium. Artibus poſtremo ingenuis, eodem libro annectentur muſarum Hunno-Hungaricarum, cum memoratae antea peregrinationes variae, tum imprimis fixa domicilia, ſiue ſcholae, collegia, academiae, ſocietates item patriae noſtrae religioſae, vna cum aliis huc ſpectantibus adminiculis atque ornamentis reliquis litterariis. *Quarto* et vltimo, ſcriptores et ſcripta praecipua daturus erat. De Vi-

ris illuſtribus (ait) operibusque illorum variis, parte, niſi me omnia fallunt, laboris ſuſcepti difficillima, atque ideo etiam in finem commentariorum reiecta, more ſolito agetur. Vbi oſtendetur, neminem prorſus eorum omitti debere, atque adeo hic exulare ſexus etiam rationem, conditionem vitae, nationis diuerſitatem, aetatis diſcrimen, et quemcunque demum religionis diſſenſum. De libris quoque varii generis ſingularum artium, ac diſciplinarum in certas materiarum claſſes diuidendis, et accurato ordine, in hoc eodem libro collocandis, atque debito cum iudicio recenſendis par eſt ratio. Huc vsque auctor. Hoc opus, hoc ſtudium fuiſſet, habuiſſetque patria cedro auroque digniorem theſaurum: ſi quod propoſuerat, optimus hicce patriae ciuis, conſummare potuiſſet. Sed ſpes haſce noſtras pulcherrimas mors inuida praeuertit. Occidit eheu, moerore animi, vigiliis, peregrinationibus, laboribus, anguſtiisque oeconomicis, apparatu ſuo non mediocri, bibliothecae Pannonum Vittembergae, vltima voluntate relicto, enectus prius, quam plura dare potuiſſet, praeter *Prolegomena operis*, quae iam breuiter recenſebimus. Ait *primum* in eis, de natura et indole hiſt. litt. Hungaricae, de naeuis partim diſciplinae huius variis, partim virtutibus, ornamentis, requiſitis et cautionibus nonnullis, partitione eius, quam ſupra exhibuimus atque eam tractandi methodo diuerſa. Tranſit *denique* ad ſcriptores antiquos et recentiores typis expreſſos, ex quibus hiſt. litt. Hungariae hauriri poteſt, chronologice recenſendos, adiecto vbique iudicio pragmatico: *vltimo* vero ſubiungit au-

NSPECTUS
REIPUBLICAE
TERARIAE
IN
HUNGARIA
AB
REGNI AD NOSTRA USQUE TEMPO

DELINEATUS

A

ULLO WALLASZKY.



POSONII ET LIPSIAE,

LOEWE, TYPOGRAPHI ET

1785

dem, *Decadum Antonii Bonfini editio nupera Posonio-Viennensis, iusto pretio aestimata, Schediasma Litterario-Historicum 1745. in 4. Recensio critica Epitomes rerum Ungaricarum, auctore Petro Ranzano Siculo: cum triplici appendice insignium ad memoriam diplomatum duorum, et Criseos singularis editionis Epitomes Ranzani Tyrnauio-Budensis, Lemgouiae 1744. 8.* Item: *De vita et scriptis Andreae Dudithii Diss. Historico-Critica*, orationibus Dudithii quinque in Concilio Tridentino habitis et *Halae Magdeb. 1743.* excusis praemissa; nec non: Anzeige von des Herrn Grafens Wolffgangi de Bethlen historiarum Hungarico-Dacicarum, libri XVI. Lemgo 1774. 4.

23. Xystus Schier, Augustinianus, in commentatione *de regiae Budensis bibliothecae Mathiae Corvini, ortu, lapsu, Interitu et reliquiis in 4.* Vindobonae apud viduam Georgii Ludou. Schultzii, anno 1766. Ex inscriptione, opusculi totius partitio atque summa apparet, in quo, etsi paucos quosdam commiserit auctor errores, alibi iam a nobis notatos: nullus tamen eo hucdum materiam integram accuratius ac diligentius exhausit. Eidem viro diligenti debemus, *Memoriam academiae Istropolitanae seu Posoniensis, Viennae 1774. in 4.* non minus accurate elaboratam. *Duorum quoque sermonum Augustini, primum Zagrabiensis dein Lucerini Episcopi a Ioanne Tomco vitae beati huius viri insertorum genuinitatem discussit et examinauit.* Viennae 1765. 4. In MSSto vero reliquit *Collectanea ad aulam doctam Mathiae Corvini Hungariae Regis.*

24. Succedat *Tentamen Historiae Litterarum sub Rege Gloriosissimo Mathia Coruino de Hunyad in Hungaria, auctore Paullo Wallaszky, Lipsiae* ex officina Sommeria 1769. quarta forma pag. 98.

Totum opus constat V. sectionibus. *Prima*, de fautoribus litterarum et litteratorum periodi huius, *Secunda*, de Viris in qualibet disciplina eruditis, *Tertia*, de academiis studiis generalibus, et scholis illustrioribus, *Quarta*, de sodalitatibus litterariis, *Quinta*, denique de bibliothecis, adnexa de typographia Budensi appendice, satis fuse agit. Errores commissos dabitur inferius suis locis corrigendi occasio. *a)* Eiusdem paulo ante ann. 1768. prodiit itidem Lipsiae apud Langenheimium: *De Stephano Verböczio ICto Hungariae celeberrimo dissertatio* in 4. pag. 31. Agitur in eadem Verböczii origine, patria, studiis, muneribus variis in republica gestis honoratissimis, virtutibus et vitiis, atque morte funesta, viro tanto indigna. Singularem requisiuit opus ab eo scriptum iuridicum sub titulo: *Opus tripartitum Iuris consuetudinarii Regni Hungariae* editum disquisitionem, eius itaque historia, fontes, methodus, defectus, breuiter pertexuntur. Errores quidam schediasmatis et defectus, correcti et suppleti sunt in tentamine supra laudato, pag. 39. seq.

25. Samuel Klein, Gymnasii nunc Epperiensis Euang. Subrector, orationem oppido vtilem dicitur dixisse in Vniuersitate Rinteliensi anno 1769. et vulgasse, mihi nondum visam: *Leonhardus Stökelius, praeceptor Hungariae.*

26. Succedat *Memoria Hungarorum et Prouincialium scriptis editis notorum, quam excitat Alexius Horányi, Hung. Budensis de CC. RR. Scholarum Piarum.*

a) Honorificam Opusculi huius recensionem dederunt Eruditi Lipsienses in relationibus, anni 1770, Litterariis, XV. particula: Erlangenses in Obseru. Litt. XI. Hebdomade, 17. Martii anno eodem, vt Hamburgenses et alios taceam.

Eſt liber hic Lexicon eruditorum impenſis Antonii Loeve, Bibliopolae Poſonienſis impreſſum, methodo alphabetaria concinnatum, quo Patria noſtra vaſtius nondum vidit. Conſtat etenim partibus III. forma 8. annis 1770 et ſeq. editus. Harum prima conſtat pag. 741. ſecunda pag. 719. tertia vero 696. Acceſſit Bibliotheca ſcriptorum de rebus Hungaricis compendioſa. Opus ſpecimini Zuittingeriano in multis affine, at etiam diſſimile. Diligentia auctoris doctiſſimi in colligendis ſcriptoribus alias grauiſſimis, ſed quia carebant hucdum vate ſacro, obſcuriſſimis, indefeſſa, laudem ampliſſimam, moderatio vero animi, erga alienae imprimis religionis ſcriptores ibi etiam, vbi difficile eſt ſeruare modum, admirationem iure meretur. Ego fateor ex vero, me tantam aequabilitatem animi, vbi ex proprio ſcribit, in ſcriptore R. Cath. Hungariae (legi vero complures) nondum vidiſſe. Tanto maior virtus, quanto rarior. Eſt haec omnino laus Inſtituti Scholarum Piarum, quod partem maximam, indiſcreto religionis feruore non tumeant. Vbi tamen aliorum auctorum verbis vtitur, (quod non infrequenter fit) maculis his nondum eſt perpurgatum opus. Atque hic diuerſiſſimorum ſcriptorum ſtilus, non poteſt orationis etiam inducere inaequalitatem. Monenda erant quaepiam, quae in lectione libri vtiliſſimi occurrerunt. Quia tamen Cl. auctor ſupplementa promittit edenda proxime, in quibus multa praetermiſſa eſt additurus, et perperam poſita emendaturus, conſulto labori ſuperſedemus; viro vero Cl. et nobis amiciſſimo, ad patriam ornandam, et rempublicam litterariam promouendam, vi-

tam longaeuam et vires intemeratas, ex animo precamur. Iungendus est huic merito suo, 27. Stephanus Veſzprémi M. D. et L. R. Ciuitatis Debreczinensis Physicus ord., qui edidit *ſuccinctam Medicorum Hungariae et Transſilvaniae Biographiam.* Prodierunt iam centuriae duae. Prior Lipsiae anno 1774. in 8. pag. 218. Posterioris pars prior anno 1778. p. 221. posterior vero itidem ibi anno 1782. p. 471. Quo incultior est ager hic medicus in Hungaria, (incultissimum vero esse inter omnes partes historiae litterariae, fatendum est) tanto maior est virtus Cl. auctoris, qui eum excolendum, et vti ex opere patet, feliciſſime adgressus est. Insignem peritiam, non domestici solum, sed alieni etiam fundi, quaeuis docet pagina. Penum antiquitatum historiae, non medicae solum, sed aliarum etiam scientiarum, et earum cultorum, lapidum et inscriptionum — iure dicere possis. Quod alibi vitio verti possit, tanta a proposito aliena, quae in opere vix quaereres, interseruisse: id apud nos merito, in tanta caligine laudi ducitur. Eum obseruat Cl. auctor ordinem: vt vitae cuiusuis medici, quantum fieri potest, enarrot rationes, atque denique catalogum subiungat, tum luci publicae expositorum, tum delitescentium hucdum operum. In eo videtur nobis nimius, quod amore forte disciplinae suae captus, viros sacris medicis vix tinctos, ad numerum eorum explendum cogat. e. g. Cent. I. pag. 15. 107. Stephanus Böjte, et Petrus Melius Theologi, propter collectas herbas, et frutices aliquot, atque veste Hungarica donatas, Dudithius item, Apaczſai, Catharina Betlen, ad

classem hanc referri vix merentur. — Caeterum, non possum non Cl. auctorem sponte currentem vltro pro amore erga litteras patrias rogare, ne laborem feliciter susceptum deserat; quin merita maiorum nostrorum in rempubl. litter. nullo eorum merito sepulta vindicare pergat. Feliciter!

28. Georgius Ieremias Haner, Superintendens olim in Transiluania euang. vir diligentissimus et doctissimus (vt de M. SS. taceam) edidit *Aduersaria de scriptoribus rerum Hungaricarum et Transiluanicarum, scriptisque eorundem antiquioribus.* Viennae apud Thomam de Trattner 1774. in 8. Indefessa collegit auctor opera, quosquos, bonos, malos, consequi potuit scriptores in rem Hungaricam omnem spectantes.

29. Accedat quoque scriptoribus historiae litterariae vir multiiugae lectionis et indefessae diligentiae Iosephus Benkö, Transiluano-Siculus cum opere suo: *Transiluania, siue M. Transiluaniae Principatus, olim Dacia mediterranea dictus, orbi nondum satis cognitus, nunc multifariam at strictim illustratus. Pars prior siue generalis Tomus II.* Vindobonae typis Iosephi Nobilis de Kurtzbök. — 1778. Liber quidem hic de Transiluania, qui compluribus continebitur tomis, directe ad propositum, quod nobis praefiximus non spectat: continet etenim descriptionem eius, qua statum geographicum, naturalem, oeconomicum, politicum, ciuilem, militarem, ecclesiasticum, litterarium cet. verbo, quidquid fere memoria dignum dici potest: nihilominus tamen, quia historiam Transiluaniae litterariam, loco hoc tam adcurate et fuse describit, vt nullus hucdum

alter; non potui mihi temperare, quin vberius eum recenſeam. Ait vero de re litteraria tomo hoc capitibus XVIII. XIX. et XX. a pag. 244. — 532. omnium nationum et religionum ciuitate ibi donatarum, vtpote Hungarorum, Siculorum, Saxonum et Valachorum, ſeu illi R. Cath. ſeu Reformatae, ſeu Euangelicae, ſeu Vnitariae, ſeu Graeci ritus vnitae addicti ſunt Eccleſiae. Exponit primum, omnium horum gymnaſia et ſcholas, typographias denique; ac vltimo viros doctos, ſecundum ſaecula. Tradunt *R. Catholici* litteras ſtudioſae iuuentuti in academia Claudiopolitana, gymnaſiis Carolino - Albenſi, Vduarhelienſi, Maros - Váſárhelyienſi, Cſikſomlyoienſi, Cantenſi, Cibinienſi, Medienſi, Biſtricienſi: *Reformati* in Gymnaſiis, Nagy-Enyedienſi, Claudiopolitano, Maros - Váſárhelyienſi et Vduarhelyienſi, cet. *Euangelici* in Gymnaſiis Cibinienſi, Coronenſi, Schaesburgenſi, Medienſi, Biſtricienſi, Groſſ - Schenkenſi, Birthalbenſi: *Sociniani* Claudiopoli et Tordae, *Valachi Vniti* in Gymnaſio Balasfaloenſi. Recenſentur hic ſtrictim, origo, fata illuſtrium harum ſcholarum ſecunda et adverſa, rationes ſtudiorum, atque catalogus Maecenatum et Docentium, qui eas prouexerunt et illuſtrarunt. Quae de Typographiis atque viris eruditis dicit: ne praeuertiſſe videamur, ſuo loco producentur. Id magnopere dolendum, quod doctiſſimo auctori non libuerit rem litterariam paulo altius ante ſeculum XVI. ordiri, Habet certe Tranſiluania,, antiquiora ſua decora, quae producere intereſt. Sed nos viro doctiſſimo, pro his quoque obſtrictiſſimos noſmet libenter profi-

temur, atque ad plura, cum orbe litterato communicanda, vitam, sanitatem, et otium ex animo precamur. Id vnum porro optamus, vt ad tam elegans, vtileque institutum, castigatior quoque scribendi accedat ratio.

80. Non minus pertinet huc Georgii Pray *Index rariorum librorum bibliothecae Vniuersitatis Regiae Budensis*, *Partes II.* Budae Typis Regiae Vniuersitatis 1780. in 8. Non est labor hic laude sua frustrandus: notitia et enim Bibliothecae huius Palatinae quadantenus, non minus librorum, qui reuera rari sunt, atque analecta complura, historiam Hungariae litter. eleganter illustrantia, identidem interspersa hauriri possunt ex eo. At negare nolim, Cl. auctorem seu studio amplam rariorum copiam congerendi, seu quibuscunque ex rationibus, non vbique labore hoc defunctum esse accurate. Si pro subiecto librorum rariorum, Hungariam ponat: multo plures immo medium bibliothecae huius inferre oportuit. Contra, si exteras prouincias prae oculis habuit: principia, ex quibus raritatem librorum deriuauit, non fixit accurate. Conscriptores aliquot bibliothecarum, vtpote Solgerianae, Feuerlinianae, Rinckianae, Heningianae, Vogtius, Bauer, duo tresue alii, quibus reuera tuto fidem dare plerumque possis, sunt eiusdem auctores, non attendens, scriptores hos, frequenter, vt mercibus suis tanto cupidiores conciliarent emtores (nam plerumque tempore venditionis, catalogi tales sunt confecti) aut ex bibliothecae suae pretio, gloriosae captandae caussa, aut plane ex ignorantia, notam raritatis libris, experientia aliorum contradicente alleuere. Per

exempla ire non lubet, quae non plane historiae litterariae rudis obſeruabit facile. Id vel maxime precatus fuiſſem: vt Cl. auctori placuiſſet, recenſiones materiae a ſcriptoribus tractatae, (vt nonnunquam fecit) cum notis criticis adiicere, maximo lectorum, qui opibus bibliothecae huius frui cupiunt, commodo. Quid iuuat etenim, quam plurimos, titulo tenus noſſe libroros rariores?

31. Balthaſaris Adami Kerſchelits, *Collectio ſcriptorum ex regno Slauoniae, Varasdini 1774. in 8.* mihi titulo tenus nota eſt.

32. *Hiſtoria Iuris Hungarici per ſuas poſitiones, cum prouocatis ad rem fontibus, legibus ac rationibus adumbrata. Tyrnauiae 1779. 4.* phill. 8. auctor operis huius quadruplicem Hiſtoriae iuris Hungarici conſtituit periodum; ad primam, ius et conſuetudines Hunnorum, a prima illorum in Hungariam excurſione, vsque tempus, quo fidem chriſtianam amplexi ſunt, referuntur: ſecunda leges Hungarorum ab hoc tempore ad compilationem decreti tripartiti ſub Vladislao II. factam complectitur: tertia reliquas leges a tempore compilationis Tripartiti ad Caroli III. tempora comprehendit: quarta, Caroli III. et M. Thereſiae Conſtitutiones recenſet. Multa pulchra in hoc opere occurunt, dignumque lectu eſt. Nihil addam amplius de Baſilii, Fabricii Szikſzoviani *Oratione, de vita et morte Ioannis Viti Balſaratii*, anno 1575. dicta, ſequenti vero Vitembergae impreſſa: nihil de Georgii Caeſaris Caſſouienſis oratione *de vita et obitu Baſilii Fabricii, Vittebergae 1577. in 4.* edita: nihil de laudationibus funebribus diuerſorum virorum eruditorum, auctoribus Ioann. Chriſtoph.

toribus geographicis. III. De ſcriptoribus rerum naturalium. IV. De ſcriptoribus antiquariis. V. De ſcriptoribus hiſtoriae ciuilis, ſtatusque publici. VI. De ſcriptoribus hiſtoriae eccleſiaſticae. VII. De ſcriptoribus ad Ius ſpectantibus, et VIII. De ſcriptoribus non editis promiſſis, et in MSS. latitantibus. His extremo adiecta eſt appendix, de ſcriptoribus vicinarum gentium nonnullis. Praeſtantior eſt hoc catalogo, eiusdem Schmeiczelii *Bibliotheca ſcriptorum Hungaricorum inſtructiſſima.* Opus, teſte Rotaride loco citato pag. 193. luce digniſſimum: vtpote quod auctor eruditiſſimus, magnis laboribus ac ſumtibus collegit, accurate digeſſit, et elaborauit, iudiciisque de libro quolibet latis, velut gemmis diſtinxit. De aliis operibus eius, quibus Hiſtoriam quoque litterariam Hungariae auctum ibat, tacemus conſulto.

6. Alexander Szörényi e S. I. anno 1719. e viuis ſublatus, conſcripſit *Pannoniam doctam, ſcriptores Hungaros complectentem* mihi ex titulo notam. Cum tamen Cl. Horanyi in *Memoria* ſua ſcribat, in manibus ſibi eſſe opus: putamus, nos iam eo carere poſſe commode.

7. Carolus Frid. Loeuius, Nobilis Hungarus Sempron. M. D. Naturae Curioſorum et aliarum ſocietatum membrum elucubrauerat *Diſſertationem Epiſtolicam ad Martinum Schmeitzelium, in qua continetur catalogus ſcriptorum rerum Hungaricarum, varii, ſigillatim vero Medici, Phyſicique argumenti, quos ille vel poſſedit, vel quorum notitiam habuit.* MS. hoc cum reliqua ſuppellectile libraria Schmeitzeliana bibliothecae Cibinenſi illatum eſt.

8. Ioan-

8. Ioannes Tſetſi, Gymnaſii Patakienſis Profeſſor, conſcripſit eiusdem *Collegii S. Patakienſis Hiſtoriam*, quam is, vti colligere licet, ex hiſtoria eccleſiaſtica Paulli Ember deſumſit.

9. *Auctorum et ſcriptorum Hungariae praecipuorum Catalogus alphabeticus, diuerſis ſumtuoſis, iisque periculoſiſſimis itineribus collectus, ſtudio indefeſſo, a Michaele Rotarides, Gömörino Hungaro.* Multas continet Doctorum centurias, quam in aliis Lexicographis Hungariae, fruſtra quaeſiueris.

10. Andreae Schmal, M. V. D. ante aliquot annos Oppidi Ratko Comitatus Gömör. cum notis Paulli Maior, poſtremum M. Cſetnekienſis, *de ſcriptoribus, rem eccleſiaſticam euangelicam in Hungaria illuſtrantibus, diſſertatio*, iudicio critico ſcripta, tironibus hiſt. eccl. apprime vtilis, imo ad fontes cognoſcendos neceſſaria. Idem Schmalius elucubrauit illuſtrandae Patriae ſuae cauſſa (fuit enim Neczpalino Turoczenus) *Centuriam eruditorum Turoczienſium.* Conatus vti verboſus, ita ieiunus. Vix in eo decem memoria dignos reperias. Pietas tamen in patriam laudanda.

11. Petri Bod, *Bibliotheca, ſeu notitia Auctorum de rebus Hungaricis*, aliudque eiusdem argumenti, idiomate Hungarico inſcriptum: *Magyar Könyves-ház*, poſſident haeredes.

12. Ioannes Seiuert, vir clariſſimus molitur opus, in quo *ſolos eruditos Saxones Tranſiluanos* recenſet, proximeque luci exponet publicae. Si a ſcriptis, quae a viro hoc erudito prodierunt, concludere liceat: non inutilis futura eſt opera haec, reipublicae litterariae.

13. Danielis Perlitzi, Medici ante paucos annos comitatus Neograd. experientiſſimi, et Polyhiſtoris ſummi, *de inſtituenda in Hungaria ſocietate litteraria erudita, et conferendis ad illuſtrationem rerum patriae ſymbolis, commentatio.*

Atque haec ſunt, quae de Scriptoribus diſciplinae huius Hungaris, dicenda in compendio habui; fuſiorem inueſtigationem relinquens aliis.



PARS PRIOR
CONSPECTVS
REIPVBLICAE LITTERARIAE
ANTE
RENATAS LITTERAS.

SECTIO PRIOR
DE
LITTERATVRA HVNNO-SCYTHICA.

§. 1.

Delineaturus breuiter Rempublicam Litterariam apud Hungaros, ante omnia, de litteratura Hunnorum, priusquam religionem Chriſtianam ſuſcepiſſent, quae auctoritate ſcriptorum fide dignorum dici poſſunt, mittam in compendium. Quod dum intendo: cura ſit prima, an artem ſcribendi calluerint, inueſtigare? atque dein, an quidpiam in ſtudiis litterarum praeſtiterint? videre.

§. 2.

Fuiſſe veteribus duplicem, quibus ſenſa animi exprimebant, characterem, ſymbolicum nempe, ſeu emblematicum, atque illum, vtpote ſimpliciſſimum, antiquiſſimum, norunt eruditi. Cur eundem Hunno-Hungaris noſtris primaeuis etiam illis negemus, etiamſi nulla ſuppeterent teſtimonia rerum, non video. At vero adeſt *Clemens Alexandrinus*, qui Stromat. Lib. V. ex Pherecyde Syrio, et philoſopho antiquiſſimo, qui annis ante Chriſtum natum circiter 600 floruit, ex verſione Stephani Morini ita ait: *Non ſolum ſapientiores Aegyptiorum, ſed apud barbaros etiam nonnullos, quicunque Philoſophiae cupidi fuerunt, ſymbolicam ſpeciem affectarunt. Dicunt enim Idanthuram Scytharum Regem, vt refert Pherecydes Syrius, Dario Iſtrum tranſeunti, ad bellum inferendum miſiſſe ſymbolum pro litteris, murem, ranam, auem, ſagittam, aratrum, dubio autem circa interpretationem eorum orto, Chiliarchus Orontopagas dixit, Scythas dedere Imperium, atque mure deſignari domicilia, rana aquas, aue aërem, ſagitta arma, et aratro terram: Xiphodres contradixit, ſignificari, quod niſi vt aues auolemus, aut vt mures ima terrae petamus, aut ſub aquis ranarum inſtar deliteſcamus, non effugiemus eorum ſagittas; quia minime potiemur eorum regione.* a)

a) Noſtra etiam aetate vigere apud Hungaros rudes characteriſticam hanc ſymbolicam, teſtes ſunt, qui commercium habent cum eis. Prodigio ſimilem refert hiſtoriam Cel. Mathias Belius, in *vetere litteratura Hunno-Scythica*, Lipſiae 1718. in 4. de quodam ruſtico Neogradienſi, qui illiteratus, homilias ſacras auditas, fuſtellis ſolebat inſculpere, atque poſt decem, vel plures annos, vbi ratio auditorum erat danda, expromptis ſuis fuſtellis, omnia ſacri ſermonis momenta, quin etiam locum auditae concionis, atque oratores, qui identidem mutabantur, haud ſecus, ac ſi in litteras habuiſſet relata, recitabat.

§. 3.

An vero alphabethario quoque vſi fuerint Hunno-Hungari., altioris eſt indaginis. In cuius quaeſtionis explicatione, duo ſunt probe diſtinguenda: quae non ſemper viros eruditos, de materia hac diſputantes accurate attendiſſe, obſeruo. Prius eſt, num character is eorum proprius et domeſticus, an vero exoticus et adſciticius fuerit? Quod prius illud attinet, id credere vel ipſa neceſſitas ſuadet, quali quali, et rudi eos factitaſſe charactere: quippe, qui non nomadum more, ſed, in ſocietate, ſub imperatoribus, ampliſſimam ciuitatem conſtituentes, belli, pacisque neceſſitate coacti, qua domi, qua foris, cum amicis et hoſtibus, commercia inſtituentes, non facile arte ſcribendi carere poterant. Saltem Sinenſium cauſſa, gentis iam tunc literatiſſimae, iisque viciniſſimae, cum quibus Hunni frequentes exercebant inimicitias, atque bella componebant, foederaque pangebant, vt credam, adducor *a)*. Poſt tranſitum vero eorum diuerſis in coloniis, diuerſoque tempore in Europam, ſcriptitaſſe eos fragmenta, et hiſtorici omni exceptione maiores, de quibus inferius erit dicendi locus, aſſerunt firmiter. Sed quali id factum, domeſticone, an exotico charactere? Multi ſunt, qui eis omnem proprii alphabeti denegant notitiam: alii contra, et plerique rerum Hungaricarum Scriptores, pro eo, tanquam pro aris et focis, acriter non minus, quam diligenter depugnant. *b)*

a) Vide de nexu hoc eorum ciuili, Cl. Georg. Pray Annales veteres Hunnorum, Auarorum et Hungarorum. Vbi vir doctus pag. 119. auctoritate Cl. Deguineſii affirmat, Metteum, Hunnorum Tanjoum ad Sinas ſcripſiſſe litteras.

b) Ex priorum numero ſunt: Procopius de Bello Gothico, Lib. IV. cap. 19. inquiens: *Hunni etiamnum rudes ſunt litterarum, quas ne auribus quidem admittunt, neque eorum pueri in labore litteraria adoleſcunt*, (vbi tamen non alphabeti

§. 4.

Subiiciamus iam ea, quae nobis vero ſimilia, immo certa videntur. Exiſtit hucdum in Tranſilluania, propago veterum Hunnorum celebris, quibus nomen eſt Siculorum. Hi etſi eandem cum Hungaris lingua, tamen multis diuerſa dialecto et conſuetudinibus vtuntur. Apud hos antiquarum illarum litterarum reliquias, aetate ſua ſuperfuiſſe, auctores

proprii defectum, ſed neglectum et contemptum litterarum innuere auctorem, lector aduertit) Simon de Keza Chron. Hung. Lib. I. Cap. IV. pag. 62. 63. edit. Bud. an. 1782: *Zaculi Hunnorum ſunt reſidui. -- -- -- Blachis commixti litteris ipſorum vti perhibentur.* Samuel Timon in epiſtola I. ad L. B. Apor, pag. 2. Georgius Pray in Annalibus Hunnorum. pag. 10. Poſteriores, vero ſunt Ioannes Thuroczius in Chron. Hung. Lib. I. Cap. vlt. Nicolaus Olach in Attila, Cap. 18. Ioannes Telegdi, in *Litteratura Hunno-Scythica*, Stephanus Zamoſcius in *Annalectis Daciae antiquitatum*, Patauii 1593. in 8. Cap. 3. Georgius Csépkés Komaromi, in ſua *Hungaria illuſtrata*, §. 4. pag. 20. Ioannes Tsteſi in *Obſeruat. ortograph. Grammat. de recta Hungarice ſcribendi et loquendi ratione.* Part. I. §. 2. et Sect. II. pag. 23. In ea ſunt opinione extranei etiam, Ieannes Boemus Aubanus, in libello, quem de moribus, legibus et ritibus omnium gentium compoſuit, Libro III. pag. 236. Ioann. Ludou. Godofredi, Archontologiae Coſmicae, pag. 390. Andreas Müllerus in Alphabetis ac notis diuerſarum linguarum, Ioann. Anton. Maghinus, in deſcriptione Tranſiluaniae, volumine II. Ioann. Godofr. Oertelius, in Harmonia LL. origentis et occidentis, ſpeciatimque Hungaricae cum Hebraea, Vittembergae 1746. §. 28. adeoque omnium maxime Cel. Mathias Belius in vetere Litteratura Hunno-Scythica, qui toto id agit opuſculo, vt oſtendat Hunnos proprium habuiſſe ſcribendi characterem, atque eo vſas eſſe. Alphabetum itaque, quod dicunt eſſe genuinum Hunnicum, nobis depingit, et ſincerum eſſe, rationibus fulcire allaborat diuerſis. Nihilominus tamen, etſi ipſe ego ſententiae eius lubenter ſubſcribam; fateri tamen oportet, argumenta eius pleraque eſſe debilia, coniecturisque confici.

omni exceptione maiores docuerunt. Ioannes Thuroczius Saeculi XV. Scriptor, in Chron. Hung. Lib. I. cap. vlt. ait: Hi (Siculi) *nondum Scythicis litteris obliti, eisdem non encausti et papyri ministerio, sed in baculorum excisionis artificio, dicarum instar vtuntur.* Idem perhibet Nicolaus Olahus, Siculorum conterraneus, et Archiepiscopus Strigoniensis, in suo *Attila* Cap. 18. inquiens: *ad explicandam animi sui sententiam ac voluntatem quotidianam, praeter vsum papyri et atramenti, aut characteris aliarum linguarum* (ergo proprium habuere) *notas, quasdam bacillis ligneis incidunt, aliquid inter se significantes: quibus ita incisis, apud amicos et vicinos, viae nuntii epistolaeve vtuntur.* Et ne plures congeram, domesticum produco testem, cui ego tribuo plurimum, Stephanum Székeli, patria Siculum (vixit is circa medium saeculi XVI.) qui in *Chronico mundi*, Cracouiae anno 1558. idiomate Hungarico scripto, sequentia, quae ipse vidit et expertus est, ad annum 801. pag. 142. habet: *Post mortem Attilae, Hunni in Transiluania, ad limites Moldauiae consederunt: vbi hucdum permanent, et non Hungari, sed Siculi vocantur. Hi nunc etiam distinguuntur legibus, et modo scribendi: siquidem Hunnico modo Siculicis litteris vtuntur, ad hodiernum tempus.* Certe non video, quare Historico domestico et oculato, fidem negare possimus, vel velimus. At, quae ille et quales sint? An, quas Belius et Oertelius locis citatis produxere, vel ab eis distinctae, nemo nos hucdum vltra verisimilitudinem docuit. Protraxit eas, primus quod sciam, labente saeculo XVI. Ioannes Telegdi, vir eruditus, in *Litteratura Hunno-Scythica* superius laudata. Godofredus Schvarczius testatur, differre characteres hos non nihil a Belianis. Neque mirum: nam cum Siculi non calamo scriptorio in papyro scriberent, sed ligneis baculis litteras suas cultellis inciderent, fieri non potuit,

quin molestissimus scribendi labor, figuras pareret alias, aliis magis, magisque dissimiles. Mirum est, quod laudatus auctor loco citato adnectit: *Has* (inquit, nempe litteras Siculicas, ex editione Telegdi) *si quis cum alphabeto Slauonico, quod septem formis expressum, Anselmus Banduri exhibet, a) studiosius conferre voluerit, mea quidem opinione reperiet nonnullas, cum characteribus Slauorum* (veterum illorum, quos, nisi caespitem graecarum litterarum esse, supra dixit) *tantam similitudinem habere, vt non ouum ouo sit similius, aliae laeuiter sunt inflexae, fronte potissimum, a dextra versus sinistram conuerso, aliae formae, non defiteor, diuersae. Cuius dissimilitudinis variae adsunt rationes.* Obseruo, virum doctum comparatione hac, eo propendere: vt doceat, Siculicum hunc ex Slauico, b) istum vero pariter (vti reuera est) ex graeco charactere deriuatum. Sed quia Bandurianus ille, prae manibus non est, nihil amplius docere habeo.

§. 5.

Et siquidem opusculi Telegdiani compos fieri non potuerim: non tamen possum mihi temperare; quin Cl. viri Ioanni Decsii, Barouii eatenus ad Telegdium scriptas, et praefationis loco ei praefixas, producam litteras, quas Cl. Petrus Bod, in *Athenis Hungaricis*, idiomate eodem, anno 1766. impressis, produxit sequentibus: Ioannes Decius, Barouius Ioanni Telegdio S. P. D. Cum nuper mihi litteraturam Hunno - Scythicam exhibuisses, et an dignam publi-

a) In *Imperatoribus orientis, siue antiquitatibus Cpol.* T. II. p. 118. sqq.

b) Vtut sit, oscitabat, dum loco laudato scripsit: *Fuisse tempus, quo Hungari sermonem vernaculum, charactere scriberent Slauonico, fidem nobis faciunt, quae Thuroczius in praefat. Chron. p. 1. et Part. I. Cap. vlt. Bonf. Dec. I. Lib. VII. Nicolaus Olahus in Attila suo, Cap. XVIII. de litteris Siculorum in Transiluania prodiderunt:* cum tamen apud auctores hos, ne vestigium horum existat.

catione eam iudicarem, interogaſſes: non ſolum hac in re, conatus tuos laudaui; ſed etiam, vt primo quoque tempore promulgares, et auctor et adiutor fui. Etſi enim dubito, quin ludicrum et puerile videatur non paucis, tempus in hisce litteris vel propagandis, vel etiam diſcendis conſumere: tamen ego prorſus diuerſum ſentio, remque dignam eſſe iudico, quo non ſolum noſtrae genti, ſed etiam exteris nationibus innoteſcat. Primum enim, ſi aliae omnes nos coniecturae deſiderent, ex his tamen ſolis litteris certo colligere poſſumus, gentem Vngaricam eſſe longe antiquiſſimam, et abOrigentalibus illis, Aſiaticisque Scythis oriundam, a quibus Cyrum, Darium, et alios potentiſſimos Monarchas deuictos legimus. Nam ſicut Hebraei, Syri, Chaldaei, Arabes, et Turcae, caeterique Origentales, a dextra ad ſiniſtrum, contra Graecorum, Latinorumque morem, exarant ſuas litteras: ita etiam haec noſtra elementa ſimili ratione ſcribuntur. Id quod vel ex eo patet, quod non ſolum communem pronuntiandi, atque ſcribendi, inflectendique cum hebraeis vocabulis rationem noſtra habeat: ſed etiam ſexcenta et amplius reperiantur, quae tam apud Hebraeos, quam apud nos, eandem fere ſignificationem obtineant. Deinde vtut haec, nihil ad huius litteraturae commendationem faciant: tamen honeſtiſſimum ſemper habitum eſt, vnam quamque gentem, peculiari litteratura vti, atque frui. Videmus enim pauciſſimas gentes eſſe, alioquin ciuilitate et politia excellentes, quae ſpecialibus litteris linguas ſuas exprimere poſſint. Nam certe nec Itali, nec Hiſpani, nec Galli, nec Germani, proprios habent characteres, ſed omnes eorum populorum litterae, ex lingua latina, tanquam fonte promanarunt. Graeci quidem gloriati ſunt, ſe ex Phoenicia litteras, neſcio quo auctore attuliſſe: alias vero ex gruum volatu excogitaſſe, in eumque, quem nunc videmus

ordinem digessisse. Vnde non erubescunt, inuentionem philosophiae, atque omnis scientiae et antiquitatis, sibi arrogare. Sed vel hae litterae nostrae, fabulas eorum abunde refutant, ac certis testimoniis demonstrant, Asiaticos Scythas, et vetustiores, et populo Dei longe propinquiores ipsis fuisse, veteremque sapientiam ab Hebraeis ad Asiaticos, et ab his ad Graecos demum promanasse. Iam vero, si vel numerum litterarum nostrarum spectes, omnes aliarum gentium characteres superant; vel elegantiam consideres, nullis certe exterarum elementis cedit. In hoc vero litterae nostrae, aliarum gentium litteras, longis etiam parasangis superant, quod et sine punctis scribantur, et pronunciationes omnes nostras, multo quam aliarum nationum litterae, perfectius exprimunt, et denique illis facilius addiscuntur. Graecam, Hebraeam, Latinam linguas, toto vitae curriculo vix mediocriter addiscere possumus, Germanicam, Gallicam, Hispanicam, difficillime inbibimus, et ad eas exacte addiscendas et percipiendas, multis libris, multis expensis, papyro, calamo, atramento, et nescio, quibus aliis multiplicibus instrumentis opus habemus. Has vero nostras litteras facillime, et breuissimo tempore, quispiam addiscere potest, eas, sine vllis libris, calamis, atramento, papyro, vel lignis, instar Scythalae Lacedemoniae, vel aliis, quibusuis materiis, nullo negotio inscribere. Quamobrem, equidem dignas hasce litteras esse iudico, quae non solum in omnibus scholis pueris proponantur, et instillentur: sed etiam, quas omnium ordinum homines nostrates, pueri, iuuenes, senes, viri, mulieres, nobiles ac rustici, breuiter omnes, qui Vngaros se nominari volent, addiscant. Laudo ego propositum tuum, quod haec linguae Scythicae rudimenta collegeris, et discere volentibus communicare volueris. Etsi enim breuiora sunt, ac ru-

diora, quam forte quis desideraret; tamen non diffido, quin alii quoque reperiantur, qui hoc exemplo, haec linguae nostrae praecepta amplificare, et exactius tradere velint. Ianus ille Pannonius, Episcopus Quinque - Ecclesiensis, nostrorum Poëtarum celeberrimus, cum tanta doctrina et auctoritate praeditus fuisset: tamen non erubuit, Vngaricam grammaticam conscribere. Quam, si maiorum nostrorum negligentia non amisissemus: haberemus certe, quo, in hoc quoque studii genere gloriaremur. Nunc cum illa interciderit, et tu recte facis, qui nostrae gentis litteraturam, ac obliuione vindicare studes, et alii, qui maximis forent digni laudibus, si Vngaricam grammaticam natiuorumque vocabulorum atque proverbiorum originem, ad praescriptum artis elaborent. At si iam eum Graecis primariam, magna ex parte amisimus potentiam, et ni Deus pro sua clementia auerruncet, amissuri totam videmur, saltim linguam et res gestas, ac litteraturam immortalitati consecremus. Quamquam si id, quae sentio, fateri licet, meliora omnia, de interitu Imperii Turcici spero, augurorque hanc diuinitus genti nostrae gloriam reseruatam, vt non multo post armis Vngaricis, Dei beneficio, Turcica potentia inclinetur. Quod vt Deus pro sua clementia faxit, vosque nobiscum, ac cum tota ecclesia orthodoxa conseruet, ex animo precor. Datum ex foro Siculorum, Die 5. Martii an. M.D. XCVIII. „ Huc vsque Decsius. Promiserat etiam laudatus Bodius l.c. de materia hac disquisitionem: quod tamen propositum, nonne mors eliserit ei e manibus, ignoro.

§. 6.

Communis est Scriptorum fide dignorum sententia, litteras has legendi obtinuisse consuetudinem a dextra, versus sinistram. Qua de re, oculatus testis Georgius Csipkés Komáromi a) *scribendi modus* (Hun-

a) *In Hungaria illustrata.* pag. 20. §. 4. apud Cel. Bel. l. c.

garis) *vnus et idem est cum eo, quo gaudent linguae orientales pleraeque, nimirum Hebraica, Syriaca, Arabica, Chaldaica, Persica, Turcica, cet. a dextra nimirum ad sinistram, quem nulla occidentalium habet, scribendi modum sequitur modus legendi.* Suffragatur ei Ioannes Tsetsi aiens: *Traditio non incerta est, Hungaros in Scythia, propriis litteris fuisse vsos, progrediendo inter scribendum a dextra versus sinistram, more Hebraeorum et alium orientalium.* a)

§. 7.

Quid vero de auctore Litterarum harum sentiendum? Fateor, quaequae eatenus dici possunt, ad fabulas propius, quam vero similitudinem accedunt. Neque succurrit alter, qui in eum inuestigasset, praeter Cel. Belium, in opusculo saepius laudato; vbi Sect. II. §. IV. eum exposuisset, Rodericum Flahertii in *Chronologia rerum Hibernicarum*, quam sub titulo *Ogygiae* luci exposuit publicae, prolixam Fenisii, siue Fenii, vel Pheni cuiusdam, Iapheti pronepotis, Scythicarum litterarum primi conditoris mentionem facere; arripit occasionem affirmare, Finesium hunc, ex Scythis illis oriundum fuisse, quorum longo post temporis interuallo, Hunni, posteri exstiterant, atque adeo Hunnicarum hunc litterarum inuentorem fuisse. Grauissimis putabit Lector rationibus motum ad id Belium. Nullis penitus, quam quali quali litteratoris huius nominis cum Hungarico, similitudine. *Fenes* ait, is *vocabatur; at pure hungaricum est, quod Fenes, seu Fenyes.* Hem! quam ridiculum! ex sono quodam duarum vocum consono, ad significatum earum eundem argumentari! Opportunissima via, quidlibet ex quolibet extundere. Sed abusum hunc Etymologiae in similibus, pridem agnouerunt eruditi.

a) In *obseruationibus orthograph. grammat. de recta Hungarice scribendi et loquendi ratione.* Part. I. §. 2.

§. 8.

Certiora dare possumus, de tabulis scientiarum Hunno-Hungaricarum, quae ex naufragio supersunt: licet illa etiam in meris generalibus subsistant. Berosus antiquus Chaldaicus scriptor testatur *a)*, de Scythis Hunnorum maioribus, eos historicarum fuisse studiosissimos, atque libros de Heroibus et Principibus suis scripsisse. Non minus diligentes idiomatis sui cultores, atque propagatores fuisse, grauissimi perhibent scriptores. Alcyonius *b)* ex MS. quodam historico, *de rebus a Gothis in Italia gestis*, refert, Attilam regem, post partam victoriam, tam studiosum fuisse Gothicae (Hunnicae dicere debuisset) linguae propagandae; vt edicto sanxerit, ne quis latina lingua loqueretur, magistrosque insuper e sua prouincia acciuisse, qui Italos edocerent linguam Gothicam. (Hunnicam) *c)* Poëseos pariter amantes fuisse multa nos documenta condocent. Priscus Rhetor, qui cum Legatis Imperatoris Constantinopolitani Theodosii, diutius in aula Attilae commorabatur, et quae vidit, descripsit in opusculo de *legatione hac*

a) In historia sua, initio Libr. III. in hunc modum: *has Principum atque Heroum origines abbreuiamus, ex nostris Chaldaicis atque Scythicis libris.* Vid. Ios. Inocent. Desericii, et Georg. Pray Dissertationes, de origine Hungarorum simul collectas, Colocsae 1768. Part. I. pag. 19. §. 16.

b) Libro II. de Exilio, pag. 213.

c) Patet hinc Hunnos, non adeo barbaros et ἀγράφους, vti vulgo notantur, fuisse, qui nagistros linguae suae, ad alias etiam gentes mittere poterant. Indubium quidem testimonium hoc Alcyonii, licet meticulose vocat Cel. Christoph. Aug. Heumannus, in *Conspectu Reipubl. Litt.* Cap. IV. §. 27. ac adiicit: fortasse Attila tantummodo publica scripta confici sua lingua iussit, more Romanorum Veterum, quorum praesidibus non licebat alia, quam latina lingua vti in Prouinciis: at esto, sufficeret id etiam ad linguae dignitatem tuendam, et Iuris scientiam Hunnis non denegandam.

tes; qualem Desericius alicubi affert: Doctissimus vero Daniel Cornides, datis ad Cl. Petrum Bod litteris, ante complures annos feliciter est interpretatus. Alter superfuit, in Bibliotheca Collegii Reformatorum Debreczíniensis, saeculo superiore, Hunnicis his conscriptus litteris codex, quo, quid contentum fuerit, vti nemo nos docuit, ita eum periisse certum est. *a)* De eo Cl. Georgius Tsépkés Komáromi, Collegii eius condam Professor haec habet: *Extat et apud nos liber, litteris vetustis Hungaricis exaratus, — scripturam istam vetustam legere, intelligere, praeterea etiamnum hodie scribere, eadem possemus b).*

§. 10.

Tertium similem librum existere in Bibliotheca M. Ducis Hetruriae, Stephanus Samoscius in Analectis Daciae Antiquitatum, p. 11. atque ex eo multi Scriptores, magna cum asseueratione affirmant. Audiamus verba eius: " Sicut autem linguarum dissimilitudine Asiatici ab Europaeis herciscuntur, ita et litterarum notis, scribendique forma, per omnia dissident. Nam cum Europaei dextrorsum elementorum figuras ducant, Asiatici sinistrorsum suas pingunt Καρινιζοντες. Ex his duabus scribendi formis, caeterae etiam in toto orbe, vt originem habent, ita et motus qualitatem alterutram sequuntur. Sola Siculorum scriptura noluit eas leges imitari. Ea enim non vltro citroque, vti Graeca et Hebraea, sed initium a summo faciens, horsum se capessit, litteris deorsum tendentibus, ac tam subtili complexione implicatis, vt paucissimis multa absoluatur sententia.

Itaque

a) Cel. Belius opinatur l. c. p. 50. motibus Rakoczianis, sub initium huius saeculi, quo integra Bibliotheca exusta est.

b) Apud Belium in laudata exercitatione, de litt. Hunno - Scythica, Sect. II. §. 20.

Itaque non ſcriptorio ſemper atramento, ſed particulis oblongis, fuſtellisque in quadratum dolatis, cultelli cuſpide, velut ſtylo litteras confertim haerentes inſculpunt, quod genus Εγγλυφαγραφιας cum iisdem priſcarum litterarum notis, hucusque temporis (anno 1593. ſcripſit auctor) penes illos remanſit. Talis typi exemplar, perquam vetuſtum, integro volumine, in Bibliotheca M. Ducis Hetruriae, Florentiae hodie extat, mirandis ſane et incognitis Europae notis, charta libri non eſt opiſtographa, ſed aduerſa parte tantum conſcripta: verum ita ob ſubtilitatem papyri tralucent omnes litterae, vt auerſa quoque parte, non minus quam aduerſa, legi pariter queant. Non e lineis chartis qualis hodie in vſu, ſed Nilotica papyro volumen conſtat, nec calamo eſt exaratum, ſed typo impreſſum, vbi verſuum στοιχεια, dependulae, ſingularibus lineis, per quaelibet interſtitia inſertis, inter ſe ſe diſtinguntur. Nec vero ipſi tantum characteres, ſed totus etiam codex multam vetuſtatem omnibus argumentis praeſefert. „ Huc vsque Samoſcius. Iam quid nobis de teſtimonio hoc videatur, expediamus. In parte eius priore, perſuadere nititur, Siculos reuera in ſcribendo, contra conſuetudinem omnium nationum, orientalium et occidentalium, lineas perpendiculariter ducere: atque vt dicta firmet, in ſubſidium coaeuos ſibi Siculos vocat, qui fuſtellis in quadratum dolatis, cuſpide cultellorum, a ſummo ad imum, hac methodo characteres inſculpere ſolent. At vero omnes caeteri auctores, qui de litteris his ſcripſerunt, aliud teſtantur, a dextra nempe verſus ſiniſtram, ſcripturam hanc procedere. Ego ſaltim Georgio Tsépkés Komaromio plus tribuo, qui et vidit, et legit, et intellexit, hoc ipſum affirmanti. Suſpicor, Samoſcium litterarum harum ignarum, bacellos illos quadratos, in errorem induxiſſe, qui ſi perpendiculari-

ter erecti ſtatuantur, ſcribendi tale genus videtur, (quamquam falſo) emergere. Quod vero partem poſteriorem attinet, ait Florentiae volumen tale, eodem modo ſcriptum, Hunnicum reperiri. Nolim viro docto crimen falſi impingere. Admitto, talem aetate eius adfuiſſe: omni etenim adcuratione idem, quod externam eius formam attinet, deſcribit. Sed vidit ne ipſe, et legit? vel ab aliis relata refert? Si prius: non facile tacuiſſet, imo ſaltim particulam quandam produxiſſet. Quod tanto libentius opuſculo ſuo illaturus fuerat: ſiquidem *Analecta Daciae Antiquitatum* ſcripſit. Quantopere vero tam illuſtri documento aucturus idem, et ornaturus fuiſſet. Veri ſimile itaque eſt, quicquid de his ſcribit, relatione aliorum, litterarum harum rudium, niti. Sed eſto, ipſe vidit: ex ſuperioribus ignorantia eius, prono fluit alveo. Vidit nempe codicem, a ſummo ad imum defluentibus lineis, characteres vero ipſos non intelligens, praeiudicio iam prius de litteris, baculis (de quo ſupra egimus) perpendiculariter impreſſis imbutus, concludebat illico, Hunnicae id eſſe originis. Hoc de geneſi erroris eius dictum eſto. Tanto magis me, in ſententia hac confirmat: quod nullus eruditorum Hungariae, quorum certe multi Italiam eruditionis cauſſa peragrant, a duobus ſeculis, de codice hoc, vel minimam fecerit mentionem. Immo vir Cl. Laurentius Topeltinus, *a)* eruditus pariter Tranſiluanus, annis, poſt opus Samoſcii editum ſeptuaginta, volumen hoc, data opera, Florentiae requiſiuit, ſed fruſtra: ſi quid conijcio, codicem exiſtimo fuiſſe Sinenſem: ita omnes

a) In *originibus et occaſibus Tranſiluaniae*, cap. 8. pag. 71. ita ſcribens: *Ego vero Florentiis in conclaui publicae bibliothecae M. Ducis Hetruriae ſollicite omnes libros verſaui, meo tamen deſiderio fruſtratus diſceſſi.*

characteres externi (quod eruditi sciunt) libris nationis huius conueniunt.

§. II.

De occasu, vltimo, litterarum harum Hunno-Hungaricarum atque consuetudinis scribendi eis, inter Hungaros, adiicere quaedam lubet, et opportet. Non simul et semel, sed successiue id euenisse, quisque aduertet facillime. Propagationi religionis Christianae sub finem seculi X. et initia XI. apud hos, tribui eum debere, varia nos condocent argumenta. Nempe ad gentem bellicosam, in qua pauci litteris dediti fuere, confluentes ex Italia, Germania, aliisque regionibus alienigenae doctores christiani et litterarum Hunnicarum immo et linguae rudes, facile et ex officio, cathedras scholasticas, et ecclesiasticas (vt de tribunalibus politicis taceam) occuparunt. Discipulos itaque et nouellos Christianos, latinas potius litteras (praesertim, cum opinio quaedam sanctitatis accessit, et cultus diuinus lingua eadem administratus est,) non barbaras et ignotas, docuerunt. *a)* Euenit hinc, vt Hungari successu

a) Aiunt scriptores, primos episcopos et doctores, propter ignorantiam linguae Hungaricae, per interpretes solitos fuisse concionari. Vid. Exemplum in Gerardo Sagredo, Episcopo Csanad. in Actis Sanctorum Vngariae. Part. II. Tyrnauiae, 1744. pag. 244. Immo plane non sacra modo, sed reliqua etiam omnia agere, loqui, scribere, latine, episcoporum legibus tenebantur clerici. Extat hanc in rem sanctio, in capitulis de synodalibus Deretis, Laurentii Archi-Episcopi Strigoniensis et decem Episcoporum sub Colomanno Rege, Titulo: *De Locutionibus Clericorum: Canonici in claustro et Capellani in curia litteratorie*, id est latine *loquantur*. Vid. Decreta Regum in appendice Bonfinii ex editione Vechelii, Francofurti 1581.

non longo temporis, suarum sint obliti, et reliquiae earum in solo Transsiluaniae anguló, apud-Siculos multis seculis se conseruauerint. Certe seculo superiori adhuc viguisse alphabeti huius vsum, ex Stephani Katona Gelei Grammatica Hungarica, eodem idiomate Albae Iuliae anno 1645. in 4. edita perspicuum est. At vero in praesens, praeter famam earum nihil superest amplius.



SECTIO POSTERIOR

TRADENS

CONSPECTVM

REIPVBLICAE LITTERARIAE

A SVSCEPTO

CHRISTIANISMO

A D

RENATAS VSQVE LITTERAS

i. e. A SECVLO XI. AD SECVLVM XVI.

§. 1.

Ordiamur itaque a feculo XI. vti in Europa integra decimo, bonarum litterarum, Virorum eruditorum, et quidquid ad fcientias pertinet, ita in Hungaria ifthoc etiam plane fterili *a)*, quod praeter viros, religioni alendae, et propagandae de-

a) Nomen accepit feculum decimum ab eruditis, obfcuri et barbari. *Seculum infelix* vocat Bellarminus chronologiae pag. 89. *in quo nulli fcriptores illuftres. Seculum fterile et fcriptoribus infignibus deftitutum* Calixtus in apparatu Theologico pag. 129. Tale apud hos vndecimum vocandum merito.

ſtinatos, in diſciplinis aliis, vix mediocriter verſatos produxit.

§. 2.

Conuertendae nempe a gentiliſmo nationis Hungaricae ad Chriſtianiſmum cauſſa, confluebant ſeculo iam ſuperiore, ex diuerſis regionibus frequentes: vndecimo hoc tanto frequentiores, quo flagrantiore eos complectebatur S. Rex Stephanus, ipſe iam Chriſtianus, amore. Fuere in his praecipui: Adalbertus iam ſeculo ſuperiore, in Pruſſia dein Martyr, Aſtricus ſeu Anaſtaſius, primus S. Montis Pannonii Abbas, Brauna Bohemiae monaſterio oriundus, Dominicus, Archiepiſcopus denique Strigonienſis, Sebaſtianus, ſedis eius aeque Praeſul, Mathaeus Eſcandeli ciuis Budenſis, *a)* Maurus, Epiſcopus Quinque Eccleſienſis, *b)* Guntherus, Abbas Pecs-

a) Scripſiſſe eum libros teſtatur auctor actorum SS. Vngariae Part. II. pag. 242. quales vero, ex parte nos docet Carolus Meichelbeck hiſtoriae Friſingenſis, Tom. I. pag. 241. vbi haec habet: " Extat in chartario --- cathedralis collegii Friſing. Codex antiquus, manu ſi non XI. certe XII. ſaeculi exaratus, cui titulus: *Deliberatio Gerardi Moroſinae* (Cſanad. nam etiam Moruſina vocabatur) *Eccleſiae Epiſcopi ſupra hymnum trium puerorum ad Iſingrimum Liberalem:* opus, vt videtur, orbi hactenus plane incognitum, verum nunc ad typos iam iam paratum --- Haec (circumſtantias vitae Gerardi) ex variis ſcriptoribus congeſſimus, quorum tamen nemo meminit, aliquem glorioſi huius Chriſti Martyris, partum litterarium in orbe reperiri. Verum is, vti confidimus, breui lucem aſpiciet opera V. C. P. Bernardi Pezii, non ſine inſigni -- Capituli Friſing. gloria, quippe e cuius ſcriniis honor beatiſſimo Martyri et Hungarorum Apoſtolo tribuitur, quo is omni prope modum ab obitu ſuo tempore, id eſt, ſeptem fere ab hinc ſaeculis caruit. „

b) Fuit is, vt diximus Epiſcopus Quinque Eccleſienſis ab anno 1036 - 1070. et ſcripſit *vitam ſanctorum Zoerardi et Benedicti*, editam in legendis Sanctorum Hungariae in Lombardica Hiſt. non contentis. Venetiis 1498. et repetitam in Hu-

varadiensis, Chartuitius, Episcopus, *a)* Theodatus seu Pappas, S. Stephani studiorum formator, Albricus, tempore hoc ante alios consultissimus, Anonymus Belae Regis notarius, *b)* et qui primo debebant poni loco, S. Emericus, quem Andr. Dandulus Dux Venetiarum in Chronico suo Lib. IX. Cap. I. disserte vocat *litteratum et sanctum*, ac S. Stephanus, Rex, graece et latine *c)* vltra morem principum aetatis illius, immo alias quoque scientias doctus. Docent id, *Institutiones Filii eius S. Emerici, Coronae Principis*, quas coronatus hic et quidem omnium inter Hungaros primus, Auctor conscripsit,

giographis Antverpiensibus e MS. Corsendoncano et Legendario Cracouiensi 1511. facta cum editionibus Gononi, Mabillonii et aliorum collatione.

a) Tribuitur ei *Vita S. Stephani Regis Hungariae* a multis edita. Nolim controuersiam meam facere, quae interuenit Cel. Viris Godofredo Schvarcz, et Ioanni Stilltingio, atque qui hunc sequuntur: illo in *Initiis Religionis Christianae inter Hungaros Ecclesiae orientali adsertis* §. 55. et aetatem et sinceritatem, atque fidei dignitatem nimium quantum minuente: isto contra, in *Vita S. Stephani Regis Hungariae.* Cassouiae 1767. in quaeuis contraria, ac in omnibus satis adcurate, alii viderint, eunte.

b) Viri huius, neque nomen, neque conditio vitae, neque aetas rite constat eruditis. Sacerdotem fuisse verosimile est: sed cuius Belae Notarius? tanto incertius. Sunt, qui eum ad Belae I. aetatem referunt: at alii ad Belam IV. reiiciunt. Scripsit *Historiam de VII. Ducibus Hungariae* magnae existimationis, a Cl. Schvandtnero in collectione script. Hung. primum e codice MS. bibliothecae Vindobon. editam. Vid. de eo plura in praefatione Cel. Belii l. c. praemissa, item in Cel. Katona Historia critica Ducum Hung. Proleg. p. 7. seq. Plura eum concinnasse, ex laudato patet opusculo, quae iam iniuria temporum pessumiere.

c) Testantur id diplomata eius, quae passim prostant. Inter caetera, quod monialibus monasterii B. V. Mariae de Valle Vesprimien. dedit lingua graeca, in membrana scriptum.

a) dignae vel ideo, quarum breuem instituamus recensionem. Prooemium praemittit primum opusculo S. Auctor, in quo docet; vti prouida Dei cura, omnes dignitates, commodo generis humani, et diuersos status in orbem esse inductos: ita ad finem hunc obtinendum, necessaria esse bona consilia, et doctrinas, quibus munera talia olim gesturi, praevie imbuant, et excolant animum. Id se monitis his paternis decem (totidem sunt etenim) et institutionibus, quas filio Emerico, qui ad dignitatem olim Regiam sublimandus esset, praescripturus est, intendere profitetur. Grauiter itaque argumentis a proemiis morigeros, et poenis inobedientes filios manentibus, sumtis, eundem admonet: quo haec ad animum demittat, et ad ea, tam se, quam subditos olim adstringat. Iubet ergo *Primum*, qua Principem Christianum, fidem Catholicam et Apostolicam, quae imprimis regale solium firmat et ornat, non verbis solum, sed opere praecipue, exempli et commodi caussa colere et exprimere. Ne vero, quid sit Fides Catholica fallatur, expromit. *Fides*, inquit, *de qua loquor, haec est: Vt Patrem Deum omnipotentem, factorem totius facturae, et vnigenitum eius Filium Dominum nostrum Iesum, de Maria Virgine, angelo annunciante natum, et pro totius mundi salute, in crucis patibulo passum: et Spiritum Sanctum, qui per Prophetas et Apostolos, et Euangelistas locutus est, vna Deitatem perfectam, indissolubilem, incontaminatam esse firmiter credas, et sine omni ambiguitate teneas. Haec est Fides Catholica, quam (sicut Athanasius dicit) nisi quis fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.* Qui contra hanc sententiam docent, eos esse Haereticos ait, et consortium talium, atque patrocinium prohibet. Vult se-

(a Insertae sunt eae corpori Iuris Hungarici, sub Titulo Lib. I. Decretorum S. Stephani.

cundo singularem haberi rationem ecclesiae [a Christo capite eius, Apostolis, et Patribus plantatae, in qua fides haec docetur, propter rationes maxime topicas: ne nempe ea in Monarchia Hungarica nouella, per negligentiam Regis futuri damnum, verum potius augmentum, in dies capiat. Excurrit porro ad illustrationem loci Math. 16. vbi docet, Seruatorem Opt. non alium quam se per Petram, cui inaedificata est ecclesia haec, intelligere. Non dubito, humani quid passum esse, dum ait Rex optimus, Reges ideo imprimis Augustos dictos esse, quia augebant ecclesiam. Commendat loco *tertio*, et auctoritate Scripturae Sacrae firmat reuerentiam ordini S. debitam: tam propter muneris sanctitatem et grauitatem, quam Regis vtilitatem. Non tamen injurius est ideo, in iura et officia regia, vbi cleri deuiatio ingratiis ea poposcerit. *Quarto* quomodo futurum regem opporteat esse erga Proceres ordinis ciuilis affectum, condocet. Affabilitas, mansuetudo, et candor sint illae virtutes, quibus eos praeeat. Iubent id, naturalis omnium aequalitas, Principis commoda, et horum merita. Sunt hi statores, sunt propugnatores, et augmentatores Monarchiae: contra, vbi Rex iracundus, superbus, inuidus, et minus pacificus, facilior etiam fidei ei debitae neglectus. Continet *quinta* regula, iuris inter subditos, sine studio partium, momentis maturo prius iudicio pensitatis administrationem: *sexta* vero, erga extraneos in regnum exstante eius vtilitate concurrentes, hospitalitatem. *Septimo*, vt bene ac feliciter regnum gubernetur, praemonet Emericum, ne stultorum, immo et iuuenum nitatur consiliis; verum sapientes et senes ad senatum adhiberi commendat; neque tamen iuuenes excludi vult penitus. Huc spectant *octauo* clima, patrii mores et consuetudines, quae obseruare et sequi in administranda republica, si id

cum fructu fieri debeat, (in eo praecipue ſe ei in exemplum proponit) opportet. Monet ſapienter, non cuiuis regno, conuenire quosuis extraneos mores. Quis inquit, Latinos, Graecis reget moribus? vel contra. *Nono et decimo.* Aſſiduum precum, et reliquarum virtutum ſtudium vehementer Emerico commendat, imprimis miſericordiam erga vim patientes, humanitatem erga ſummos et imos, domeſticos et extraneos, moderationem, iuſtitiam, pudicitiam, cet. Grauiſſimum eſt ſane monitum: *Oportet eſſe Regem pium, miſericordem, et caeteris virtutibus imbutum ac ornatum. Rex enim impietate et crudelitate foedatus, incaſſum ſibi vindicat nomen Regis, quia tyrannus eſt dicendus.*

§. 3.

Studiis alendis et augendis ſeminaria ac ſcholas eſſe a ſapientiſſimo Rege, ac aliis ſucceſſoribus, magno non minus conatu, quam ſumtibus, in Monaſteriis, Abbatiis, Epiſcopatibus et Collegiis ſacerdotum, quae Gymnaſiorum tunc publicorum vices praeſtabant, fundatas, apertum eſt. *a)* At, ſi ex habitu temporum hariolari licet, ſcholae potius rudimentorum Doctrinae Chriſtianae, cantilenarum et precum, quam diſciplinarum ſeueriorum fuere. Latinam nihilominus linguam, ad formam artis doctam fuiſſe in eis, Priſcianumque inſtillatum, patet ex epiſtola Fulberti Carnot. Epiſcopi, ad Bonipertum Epiſcop.

a) Fuiſſe collegia haec ſub initium erudiendae iuuentutis cauſſa inſtituta docent Hiſtorici vnanimiter. In his Mabillonius lib. *de ſtudio monaſticis*, Martinus Schockius lib. *de Bonis Eccl.* Sect. I. cap. 27. et Sect. II. cap. 3. 23. Ac ſane officium *ſcholaſtici* licet nunc inane, id innuit. Si quidem ergo S. Stephanus Epiſcopatus complures, Abbatias et Coenobia fundauit: Scholas quoque frequentes fuiſſe extra dubium eſt. Vid. vitas Sanctorum Tom. II. p. 182.

Quinque Ecclef. *a)* Praecipuae inter fcholas aeui huius fuere: Strigonienfis, Montis Panoniae, Vacienfis, Vefzprimienfis, Quinque Ecclefienfis, Pecfvaradienfis, Cfanadienfis, M. Varadinenfis, Nitrienfis, et aliorum Epifcopatuum. Neque bibliothecis deftitutum fuiffe feculum penitus, concludi poteft ex tabulis fundationis Abbatiae ad radices Montis ferrei a S. Stephano 1015. fcriptis. Dabo earum ideam. Ita vero auctor: *Libris, quibus praecipua auctoritas fulget in ecclefia, dicitur bibliotheca, in duobus voluminibus, natumnalibus quatuor, antiphonariis quinque, lectionariis duobus, cum fuaniis, miffalibus fex, pfalteriis quatuor, gradualibus quinque, regaliis duobus, baptifteriis duobus, gloffariis tribus, quadraginta omni litterarum voluminibus. b)* Ad inuenta in republ. litter. Hungariae, non abs re, feculo hoc retuleris, quod herbae faxifragae vires excellentes in curandis celeriter vulneribus, S. Ladislaus Rex, primus omnium detexerit: vnde herbae nomen apud Hungaros, *Szent Lafzló füve.* Vide hac de re plura in Differtatione, *De morbis Hungariae endemiis* Cl. Batii.

§. 4.

Eadem fuit feculorum duodecimi et decimi tertii, quae fuperioris, tam qua fcholas, *c).* quam

a) Ita is adhuc: — *afferens vnum de noftris prifcianis te velle quem et per eundem libenter mittimus.* Vid. Iofephi Koller hiftoriam Epifcoporum Quinque - Ecclefienfium. Tom. I. p. 14.

b) Apud eundem Cl. Kollerum l. c. Tom. I. pag. 78.

c) Refert ad eas, Nicolaus Schmitth, ad annum 1224. in *Epifcopis Agrienfibus.* Tom. I. pag. 131. Abbatiam Benedictinorum de Tapolcza iuxta Miskolczinum, quae hac aetate, bonarum litterarum domicilium habebatur. Quis eius aliarumque habitus ac inftituta, et doctorum virorum facies fuerit, patet ex canone 66. Synodi Budenfis, in Caroli Péterfii Conciliis Hungariae Part. I. pag. 124. vbi haec legas: *excommunicentur Monachi et Religiofi, qui relictis clauftris fuis,*

doctos viros facies. Inter hos *Priori* praeter Colomanum, Regem, Hungaris *Könyves Kálmán*, i. e. libriferum Colomanum, ab amore et scientia, et studio litterarum sic dictum, a) Albricum, qui sy-

absque Praelatorum suorum licentia, ad scholas ire, vel aliud, quam Grammaticam, Theologiam, aut Logicam in scholis audire praesumant. Faciunt etiam ad rem hanc litterae Pontificis Innocentii IV. an. 1254. scriptae atque a Mathaeo Paris coeuo, in historia maiore, edit. Wilhelmi Wats. Londini 1686. p. 1111. recitatae. Iuuerit quaedam ex eis adduxisse. " Innocentius Episcopus -- -- omnibus Praelatis in regno Franciae, Angliae, Scotiae, Walliae, Hispaniae et Hungariae constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Dolenter recolimus, qualiter quondam pia ac sancta clericorum plantatio suae primae honestatis oblita, a summo sanctitatis culmine ad ima descenderit vitiorum. Crebris quippe relatis, aures nostras ab horenda fama circumstrepit et inculcat assidue, quod relictis quin imo procul et abiectis philosophicis disciplinis, (vt ad praesens de diuina scientia taceamus,) tota clericorum multitudo ad audiendas saeculares leges concurrit: Et quod magis est diuini animaduersione dignum iudicii, nunc in plerisque mundi climatibus ad ecclesiasticas dignitates, honores vel praebendas nullus assumitur a Praelatis, nisi qui vel saecularis scientiae professor vel aduocatus existat, cum tales a talibus, nisi alia suffragarentur, eisdem essent potius repellendi. -- -- Praeterea, cum in Franciae, Angliae, Scotiae, Valliae, Hispaniae et Hungariae regnis, causae laicorum non imperatoriis legibus, sed laicorum consuetudinibus decidantur, et cum ecclesiasticae sanctorum Patrum constitutionibus valeant terminari, et tam Canones, quam consuetudines plus confundantur legibus, quam iuuentur, (praecipue propter nequitiam,) fratrum nostrorum et aliorum religiosorum consilio et rogatu statuimus, quod in praedictis regnis leges saeculares de caetero non legantur: si tamen hoc de regum et principum processerit voluntate."

a) De eo etiam anonymus in chronica Principum Poloniae apud Sommersberg. Scripp. Rer. Silesiacor. Tom. I. p. 28. ita: *Porro vadiens inde Boleslaus,* (III. Rex Poloniae,) *statuit*

nodales quasdam constitutiones collegit, et Seraphimo Archiepiscopo Strigoniensi dedicauit, Seraphimum porro hunc et Laurentium Archiepiscopos, Simonem, Episcopum Quinque Ecclesiensem, a) Draconem Archiatrum Colomani Regis, Petrum ex nobili Hungarorum Familia Chideniorum Archiepiscopum Spalatensem. b) Ioannem, Praepositum Simeghiensem, Belae coeco Regi ab epistolis, Thomam, Stephani IV. Regis Medicum, quos commemoremus non reperio: *Posteriori* tamen largior est seges. Iuuencus Coelius Calanus, Episcop. Quinque Ecclesiensis, cui opus inscriptum: *Attila, Rex Hunnorum* tribuitur, Thomas Archidiaconus, Augustinus Gazottus, Episcop. Zagrabiensis, Rogerius, Canonicus Varadiensis, Vgrinus, Archiepiscopus Spalatensis. c) Si-

cum Colomano, Rege Hungarorum, litteris erudito, locum et Terminum colloquendi. -- -- --

a) Non vulgariter Simonem hunc graecas litteras fuisse doctum, docent litterae fundationis Monialium B. V. Mariae de Valle Vesprimiensi, a S. Stephano graeca lingua exaratae, iussu Colomani Regis anno 1109. in latinum sermonem ab eo transfusae. Vid. Cl. Pray, vita B. Margarethae, p. 221. 222.

b) De hoc Thomas, Archidiaconus, in Historia Salonitana ita scribit: *Fuit Petrus -- vir magnae scientiae et bonorum morum actibus decoratus. Erat autem praecipue eruditus in scientia physicali, ita, vt respiciendo in faciem sani hominis, praenosceret, quo aegritudinis genere, et quo foret tempore inuadendus, quoque medelae antidoto posset languoris euitare discrimen.*

c) Studuisse Parisiis annis duodecim, ac diuinis scientiis apprime institutum fuisse, refert fide aliorum Cl. Georg. Pray, Annal. Hung. Tom. I. p. 285. Non vero solum inferioris sortis, sed optimatum etiam filios studiorum caussa Parisios concessisse, liquet e litteris Stephani, Episcopi Tornacensis ad Regem Hungariae Belam III. datis. Vid. eam XL. et XLI. in maxima Bibliotheca veterum Patrum, Tomo XXV. p. 11.

mon de Keza. *a)* Paullus Vngarus. *b)* Ioannes Teutonicus, Martinus, Praepositus Scepusiensis, Albertus, Sacerdos Strigoniensis, iuris pontificii peritissimus, Muthmerius, Ladislai Cumani Regis Doctor, Mutinius, Medicus, et Gerardus, Belae IV., Stephani V. et Ladislai IV. Archiater, Philosophus et Astronomus non postremus, Klingsor, Transiluanus, poeta et astronomus aetatis suae excellens, *c)* vt alia non addamus. *d)*

a) Est hic Scriptor vetustissimus Hungaricus, qui *Chronicon Hungaricum* scripsit, latino, non vti Pray in Annalibus Regum Hung. Part. I. pag. 332. putauit, hungarico idiomate ab initiis Hunnorum ad tempora Ladislai IV. Cumani dicti Regis, cui etiam opusculum dicauit, stilo pro aetatis ratione sic satis culto. Edidit id, interspersis notulis, ex codice membranaceo M. S. Alexius Horanyi, vir Cl. anno 1782. Viennae primum apud Kurzböckium, mox repetitum, Budae apud Viduam Landerer in 8. Qui plura nosse desiderat editorem laudatum consulat.

b) Fuit is in Vniuersitate Bononiensi, Iuris Canonici Doctor clarissimus, sed ordinem Dominicanorum ingressus, Hungariam Anno 1221. cum aliis fratribus intrauit.

c) Andreas, Rex Hungariae misit eum cum filia sua S. Elisabetha ad Ludouicum Thuringiae Ducem sponsum, sub seculi XIII. initium. Externae vitae dulcedine captus Klingsohrius nunquam in patriam rediit, sed poesi sua et eximia astronomiae cognitione magnam sibi apud Germanos nominis celebritatem parans in Germania vixit, consenuit, obiit. Magnas viri laudes legas apud Theodoricum Thuringum, S. Elisabethae biographum coaeuum, cuius repetitam nobis editionem, Canisiana accuratiorem dedit P. Pray, in suo, de S. Elisabetha Commentario. Carmina eius edita sunt, cum aliorum operibus poeticis sub titulo: *Sammlung von Minnesingern aus dem Schwäbischen Zeitpunkte CXL. Dichter enthaltend -- -- Zyrich, verlegt von Conrad Orell und Comp. 1758. seq. 4to maiore.* In praefatione praemissa docetur ex coaeuis abunde, eum Hungarum fuisse, poëtam et Astronomum aetatis suae excellentem. En ex parte II. collectionis huius pag. 7. venae eius sequens exemplum:

§. 3.

Laetiora omnia Seculo XIV. ineunte, bonis instabant litteris. In duobus fuccedentibus fibi continuo Regibus Ludouico M., et Sigismundo *a)* maximos nactae funt, et cultores et patronos. Numerus itaque virorum doctorum et officinae litterarum

Ja meifter loefe uns bas den haft
Das git der werlte maniger felden hohe kraft
Swer es merken wil der lafzet mange sünde
Min fie was al der werlte ze tief
E das mir von Oftertingen Heinrich rief
Nu viedeft du dü hoehe und auch die gründe
Drü tufent marc in Ungerlant die han ich von den richen.
Welle ich die habe vor dir fpare
Wilt du mit mir gegen Sibenbürgen vare
So muefze Got an felden mir gefchwichen. —

d) Ad inuenta fecuıi huius, in hiftoria naturali pertineret, fi magis vero fimile videretur, quod Bela IV. peculiarem quandam Smaragdi proprietatem cafu detexiffe perhibeatur. Certe Cardinalis Vitalis de Furno in fuo *pro conferuanda fanitate, tuendaque profpera valetudine, ad totius humani corporis morbos et egritudines, falutarium remediorum curationumque libro.* Moguntiae, 1531. fol. excufo, cap. CCXCVIII. pag. 147. ifta prodidit memoriae: *Expertum eft temporibus noftris, quod Rex Vngariae Bela, in coitu cum vxore fua, Smaragdum in digito habuit, qui propter coitum in tres partes fractus fuit, ex quo patet, quod is lapis caftitatem, caftosque diligit.*

a) Sigismundum, non folum amauiffe litteras et litteratos, fed etiam fex calluiffe linguas, praeter alios multos hiftoricos, docet Magnum Chronicum Belgicum, pag. 356. vbi haec: *Sciuit multas linguas, primo Latinam et Theutonicam, Bohemicam, Slauicam, Italicam et Gallicam, quibus omnibus congrue loqui poterat.* — — His adde *Hungaricam*, cuius addifcendae cauffa, in Hungaria apud Regem Ludouicum, patrem defponfatae fibi Mariae educatus eft. Thuroczi Part. III. cap. 5. ita de Sigismundo: *His enim Rege Ludouico fuperftite, vt in futurum regnaturus, Hungarico informare-*

augebantur in dies, ſtudiaque adnitentibus Regibus excolebantur diligentius. Inter viros eruditione claros nominare ſufficiat Iacobum Longobardum phyſicum, Philippum, Praepoſitum Poſonienſem, decretorum doctorem, Petrum de Dacia, *a)* M. Franciſcum, Ludouici Archiatrum, Ladislaum, eiusdem medicum ac Ep. Varad. Ioannem de Horaw, Paulum de Paullo, Benedictum ab Italia medicum, Cſanadinum de Telegd, *b)* Galuanum Bethini, Ioannem de Kiköléw, Iacobum a Placentia, M. Peretoldum, medicum, Ladislaum Deméndi, Ioannem Hunnelbergenſem, Ioannem Dominici, Monaldum Iuſtinopolitanum, Ioannem Archidiaconum de Gverſe.

§. 6. Prae-

tur idiomate, ſimulque et mores hominum acciperet: per parentes, domo imperiali, Reginae in aulam translatus erat. Cumanicae praeterea linguae optime gnarum fuiſſe, teſtatur Aeneas Syluius, de dictis et factis Alphonſi Regis Lib. IV. num. 32. pag. 47. edit. Helmſtad. 1700. 4. Polyglotus ergo erat Sigismundus ſi quisquam alter. Hinc Aeneas Syluius Epiſtola 331. ad Ladislaum Poſthumum, Sigismundi ex filia nepotem ſcribit in haec verba: *Auo tuo materno maximi cordis Regi tantum profuit linguas noſſe complures, quantum patri tuo nocuit ignoraſſe.*

a) Contexuiſſe hunc librum de *Calculo, ſeu Computu*, item *Calendarium*, produxit ex Trithemio Voſſius de ſcientiis Mathematicis, cap. 67. §. 23.

b) In fragmento Chronici cuiusdam auctoris coaeui, quod produxit Cel. Kollar, in opuſculo Vrſini Velii de Bello Pannonico, Lib. X. Vindobonae 1762. pag. 10. (4.) vocatur *Egregius Doctor in Iure.* Idem porro pergit: *dedificauit etiam Fratribus minoribus pulchrum Coenobium, in poſſeſſione propria Telegd vocata, quod —— libris multis et optimis liberaliter copiauit.* Parentauit etiam Carolo anno 1342. mortuo, inſigni oratione. Vid. Thuroczius Chron. Part. II. cap. 99.

§. 6.

Praeter ſcholas inferiores, ſtudia generalia primum ſeculo hoc, duo (Academias, ſeu Vniuerſitates nunc dicimus), a Mecaenatibus ſuis inſtituebantur, tabulis editis confirmabantur, immunitatibus praecipuis docentes et diſcentes augebantur, atque proemiis ampliſſimis excolebantur. Vniuerſitatum harum eſt tempore prior, *Quinque Eccleſienſis*, Ludouici Magni monumentum. Introducto nempe ſeculo ſuperiore, *ſtudia vniuerſalia* praeter ſcholas triviales erigendi more, atque decreto Concilii Viennenſis anno 1311. celebrati, Viros, orientales linguas doctos Profeſſores inducendi, magnus hic Rex Regno ſuo hac in parte deeſſe noluit. Re itaque deliberata, et ſede Quinque Eccleſiis ei conſtituta, Pontificem Vrbanum V. per litteras adit, quibus ſtudium hoc ſuum eſſe ratum, et immunitates expetit: Fecit non grauate Vrbanus, et ſequenti diplomate ei proſpexit: " Vrbanus Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In ſupremae dignitatis Apoſtolicae ſpeculo licet immeriti, diſponente domino conſtituti, ad vniuerſas fidelium Regiones, eorumque profectus et commoda, tamquam vniuerſalis gregis Dominici paſtor, commiſſae nobis ſpeculationis aciem, quanto nobis ex alto permittitur, extendentes, fidelibus ipſis, ad quaerenda litterarum ſtudia, per quae diuini nominis ſanctaeque fidei Catholicae cultus protenditur, iuſtitia colitur, tam publica, quam priuata res geritur vtiliter, omnisque proſperitas humanae conditionis augetur, libenter fauores gratioſos impendimus, et opportunae commoditatis auxilia liberaliter impertimur. Cum itaque, ſicut nuper pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri, Ludouici Regis Hungariae illuſtris, fuit propoſitum in conſiſtorio coram nobis, ipſe Rex, non ſolum ad vtilitatem et proſperitatem hu-

iusmodi reipublicae, et incolarum regni sui Vngariae, sed etiam aliarum partium vicinarum laudabiliter intendens, in ciuitate Quinque Ecclesiensi, in regno praedicto existente, tanquam insigniori et magis ad hoc accommoda et idonea, plurimum desideret fieri, et ordinari per sedem Apostolicam studium generale, in qualibet licita facultate, vt ibidem fides ipsa dilatetur, erudiantur simplices, aequitas seruetur, iudicii increscat ratio, et intellectus huiusmodi augeatur. Nos praemissa ac etiam eximiam fidei puritatem, quantam ipse Rex et progenitores sui Vngariae Reges, quam eiusdem regni incolae, ad sanctam Romanam Ecclesiam gessisse, prout ipsi Rex et incolae gerere dignoscuntur, attente considerantes, feruenti desiderio ducimur, quod regnum ipsum, scientiarum muneribus amplietur, fiatque litterarum fertilitate foecundum, vt viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diuersarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque illi scientiarum fons originis, de cuius plenitudine hauriant vniuersi litterarum cupientes imbui documentis: his igitur omnibus et praesentium idoneitate dictae ciuitatis, quae ad multiplicanda doctrinae semina et germina salutaria producenda magis accomoda, et idonea inter alias ciuitates dicti regni fore dicitur, diligenti examinatione pensatis, non solum ad ipsorum regni et ciuitatis, sed etiam regionum circumiacentium incolarum commodum et profectum, paternis affectibus anhelantes, dicti regis in hac parte supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio statuimus, ac etiam ordinamus, vt in dicta ciuitate Quinque Ecclesiensi de caetero sit *studium generale*, ibique perpetuis temporibus inibi vigeat, tam in Iuris Canonici et Ciuilis, quam alia qualibet licita, praeterquam in theologica facultate, et quod legentes

et studentes ibidem omnibus priuilegiis, libertatibus et immunitatibus, concessis doctoribus, legentibus et studentibus commorantibus in studio generali, gaudeant et vtantur, quodque illi, qui processu temporum, brauium fuerint in illa facultate, in qua studuerint, assecuti, sibique docendi licentiam, elargiri per doctores, seu doctorem et magistratos, seu magistratum illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, Episcopo Quinque Ecclesiensi, qui pro tempore fuerit, vel ecclesia Quinque Ecclesiensi Pastore carente, Vicario seu Officiali dilectorum filiorum capituli istius ecclesiae praesententur, idem quoque Episcopus aut Vicarius seu Officialis doctoribus et magistris in eadem facultate actu inibi regentibus conuocatis, illos in his, quae circa promouendos, ad doctoratus seu magisterii honorem requirantur, per se vel per alium, iuxta modum et consuetudinem, quae supra talibus, in generalibus studiis obseruantur, examinare studeat, diligenter, eisque, si ad hoc sufficientes et idonei reperti fuerint, huiusmodi licentiam tribuat, et doctoratus seu magisterii conferat honorem. Illi vero, qui in eodem studio dictae ciuitatis examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam et honorem huiusmodi obtinuerint, vt est dictum, ex tunc absque examinatione et approbatione alia regendi et docendi tam in ciuitate praedicta, quam singulis generalibus aliis studiis, in quibus voluerint regere, docere, statutis et consuetudinibus quibuscunque contrariis, Apostolica vel qualicunque firmitate alia vallatis nequaquam obstantibus, plenam et liberam habeant facultatem. Volumus autem, quod Magistris et Doctoribus, qui in huiusmodi legent studio, per regem Vngariae pro tempore existentem in competentibus stipendiis prouideatur: alioquin praesentes litterae nullius sint roboris et momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, ordinationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario

contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Viterbii, Kal. Sept. Pontificatus nostri anno V. „

§. 7.

Praeter Bullam hanc, scripsit ad regem litteras Pontifex, quibus, quae in Bulla superiore erectionis studii huius Generalis Quinque Ecclesiensis constituerat, repetit: praetereaque eum hortatur: vt priuilegia magistris et scholaribus eius studii concessa firmet, ac, si opus fuerit, augeat, in hunc sensum: „ Vrbanus Episcopus, Seruus Seruorum Dei; charissimo in Christo filio, Ludouico Regi Vngariae illustri salutem et apostolicam benedictionem. Decet regiam celsitudinem non solum ea, quae per ipsum in fauorem et vtilitatem reipubl. liberaliter conceduntur, obseruare, sed etiam illa gratiarum muneribus ampliare. Cum itaque nuper tu ad vtilitatem huiusmodi, nec non prosperitatem Incolarum regni tui Vngariae et aliarum partium vicinarum laudabiliter intendens, ciuitatem Quinque Ecclesiensem, tanquam insigniorem aliis ciuitatibus dicti regni et magis accommodam et idoneam, vt et in ea vigeat studium generale, in qualibet licite facultate ordinanda, ac omnibus et singulis doctoribus, magistris et scholaribus eorumque familiaribus, ad ciuitatem praedictam se caussa studii huiusmodi transferentibus, et ibidem morantibus, non nulla certe Priuilegia duxeris liberaliter concedenda, prout in patentibus litteris tuis, inde confectis, tuoque magno sigillo impendenti munitis plenius continetur. Nos deinde ad commodum et profectum incolarum et regni praedictorum affectibus anhelantes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio, per alias nostras litteras duximus statuendum, ac etiam ordinandum, vt in dicta ciuitate hu-

iusmodi studium existere generale, illudque perpetuis temporibus inibi vigere, tam in Iuris Canonici et Ciuilis, quam alia qualibet licita praeterquam in theologica facultate, et quod legentes et studentes ibidem omnibus priuilegiis, libertatibus, et immunitatibus concessis, doctoribus, legentibus, studentibus, commorantibus in studio generali gaudeant et vtantur, quodque Episcopus Quinque Ecclesiensis, qui pro tempore fuerit, vel Ecclesia Quinque Ecclesiensi carente Pastore, Vicario seu Officiali dilectorum filiorum capituli ipsius Ecclesiae promouendos, in dicta ciuitate, ad doctoratus, seu magisterii honorem in illa facultate, in qua fuerit examinatio facienda, iuxta modum et consuetudinem in talibus obseruatos, examinare studeat diligenter, eisque si ad hoc sufficientes, et idonei reperti fuerint, docendi licentiam tribuat, et honorem huiusmodi concedat, ac volumus, quod magistris et doctoribus, qui in huiusmodi legunt studio, per Regem Vngariae pro tempore existentem, in competentibus stipendiis prouideantur. Alioquin praefatae nostrae litterae, nullius essent roboris vel momenti, prout id eisdem nostris litteris plenius continetur. Cupientes igitur, vt tam incolae, quam alii praedicti in eadem ciuitate causa huiusmodi studii moraturi, vtilius prosperentur, volumus, ac serenitatem tuam, quam votis nostris conformem speramus et credimus, in hac parte rogamus et hortamur attente, quatenus omnia et singula priuilegia huiusmodi per te, vt praemittitur concessa, ratifices et confirmes, et si expediens fuerit, alia de nouo, doctoribus, magistris et scholaribus huiusmodi regia liberalitate concedas, illaque tam concessa, quam concedenda studeas obseruare, et facias ab aliis, prout honori tuo conuenit inuiolabiliter obseruari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis in-

fringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei et b. b. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Viterbii 4. Non. Septembr. Pontificatus nostri anno V." Instituta studii huius, hinc quadantenus colligere licet: cum Ius Canonicum, Ciuile, Philosophia, litterae humaniores, et id genus alia studia vtilia, doceri conceduntur. Theologia diserte excluditur. Rationes diuinare vix possis. Priuilegia opportuit esse amplissima collata a rege; cum Pontifex tantam eorum vicibus repetitis habuerit rationem. a) Salaria certe Professorum aetate illa pinguissima fuerant: quod vnius Decretorum Doctoris, cui 600 floreni hung. annui pendebantur, exemplo existimare licet. Altera Vniuersitatum est *Budensis*, a Sigismundo Rege, anno M. CCC. LXXXVIII. erecta. Non est contra verosimilitudinem, Mariam coniugem eius, et consilio et opere multum in id con-

a) Insigniter sequentes etiam Pontifices, erga Vniuersitatem hanc affectos fuisse atque augmentum et florem eius promouere studuisse, ex multis patet documentis. Gregorius XI. fine eo, Bulla data Auenione XVII. Kal. Febr. Pontificatus eius anno sexto, quae mihi ad manus est, concedit vniuersis Doctoribus, Magistris et Scholaribus ad quinquennium: ne in ecclesiis, si quas haberent, residere, muniaque solita in eis peragere teneantur: beneficiorum contra et prouentuum fructus integre, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, perinde ac si residerent, percipiant. Idem Gregorius alio Diplomate, anno Pontificatus eius secundo, apud Villam Novam Auenien. Dioeceseos dato, donationem Villae Yruch, et domus cuiusdam in Ciuitate Quinque Ecclesiensi, Galuano Bethini Iura Canonica in studio eo docenti, a Vilhelmo Episcopo, et Capitulo Quinque Ecclesiensi factam confirmat. Palam quoque est ex Instrumento hoc, Bethinium ab Augusto suo 600 flor. aureos annuos, stipendium percipere, solitum fuisse.

tulisse: cui non minor fuit a patre Ludouico instillatus litterarum amor, quam Heduigae sorori Polonorum Reginae, quae Academiam Cracouiensem, hoc eodem fundauerat, et ditarat tempore. *a)* Ratam habuit nostram hanc Budensem, editis tabulis Bonifacius IX. Pontifex, et veteris Budae Praepositum, eius esse iussit Cancellarium. Doctores, qui eam tempore Sigismundi illustrabant, ad seculum sequens quosdam producemus. Scholas, etsi quidem aeuo hoc floruisse plurimas, non ambigam: ego tamen vnam *Varadiensem b)* eruere potui.

§. 8.

Inter memorabilia seculi huius litteraria pertinet 1.) inuentio medicinae illius decantatissimae, quae vulgo *Aqua Reginae Hungariae* vocatur. Est eius inuentrix, Elisabetha, Vladislai II. Regis Poloniae filia, Caroli Roberti Regis Hungariae coniux, Ludouici vero M. mater, quae cum post annum aetatis 70. in desperatissimam incidisset paralysim, cum pertinacibus podagrae insultibus coniunctam (qui morbus teste Le Febure Regis Galliae Chemico, in sua chimia, nullis cessit remediis) aquam ex floribus roris marini, cum spiritu vini alcoholisato digestis, ac ter, vel quater destillauit, eoque

a) Vid. Adriani Regenuolscii *Systema Chronol. Historiae Ecclesiarum Slauon. per Prouincias varias.* Traiecti ad Rhenum 1652. pag. 23.

b) Patet id ex litteris Petri et Iacobi de Varadino, ad Emericum et Petrum Kallo datis, in quibus haec leguntur: " quod „ ipsa (vxor Finthe) Alexandrum filium Dionysii de Ben- „ lek, tempore pueritiae suae, dum *idem Scholas Varadini* „ *frequentaret*, per annum pro tribus Marcis fuisset, pa- „ ctum habendo cum eodem, et ipso anno completo abs- „ que aliqua solutione facta, idem furtiue recessisset etc. „ Datum Varadini feria sexta proxima post festum Omnium „ Sanctorum. Anno Domini 1347. „

laquentis corporis articulos ablui iussit. Fecit hoc Regina frequenter, et tota, quasi viribus renouata, produxit vitam, vltra annum aetatis, domesticorum historicorum fide, octuagesimum. Aquam hanc per totam Europam decantatissimam, Zapata medicus Romanus laudibus extollit: vt pro vniuersali morborum medicina, in *secretis medico-chirurgicis*, cap. II. pag. 56. venditare audeat. Formulam hanc in qua salutaris isthaec aqua distillari docetur aureis characteribus manu Reginae Elisabethae propria consignatam, in Aug. Bibliotheca Vindobonensi adseruari, veteri traditioni falso credidit Ioannes Georg. Hoyerus in *Notis ad Blumentrosti Haus- und Reise-Apotheke*, cap. XVI. Ea etenim apud familiam Podagastarorum in Cypro delitescit. Prostat in tabulario illustris familiae Splényianae Schediasma MSStum in haec verba: *Ioannes Prauótius Rouiacensis Medicus, in libello secretorum remediorum omnium haec ad verbum habet.* — — *Cum certum constet multorum casibus vis admiranda subscripti remedii, narrabo, qua fortuna in illud inciderim. Anno 1606. vidi inter libros Francisci Podagastri, ex nobilissima Cypria familia, cum quo summa mihi erat familiaritas, per vetustum Breuiarium, maximae apud eum venerationis, quod a S. Elisabetha Hungariae Regina, maioribus suis datum asseruarat, in mutuae beneuolentiae Symbolum. In libri huius vestigio, remedium contra podagram, illius Reginae manu inscriptum mihi oblatum fuit perlegendum, quod his formalibus, quae inde exscripsi, erat expressum.* " Ego Elisabetha Hungariae „ Regina annorum aetatis septuaginta duorum, mul„ tum infirma et podagrosa, vsa sum per vnum an„ num ista recepta, quam mihi dedit quidam anti„ quus Eremita, quem nunquam videram, nec an„ te, nec post, et fui cito sanata, atque omnibus „ apparens vltra modum pulchra, ita vt Rex Polo-

„ niae petierit me in matrimonium, cum ego et „ ille vidui essemus, renui tamen id agere amore „ Domini mei Iesu Christi, a cuius angelo, credo, „ me hanc accepisse medicinam. „ Recepta: *Aquae vitae quater destillatae partes tres, summitatum et floris rosmarini partes duas, ponantur simul in vase bene clauso, stentque in loco calido per horas 50. tum alembico destillentur, et mane in cibo, vel potu sumatur drachma vna singulis septimanis semel, et omni mane lauetur facies cum ea, et membrum aegrum. Renouat vires, acuit ingenium, mundificat medulam et neruos, visum instaurat et conseruat, vitamque auget.* Ita Pravotius de Breuiario. Sed vti errores crassi historici in narratione hac Elisabethae adscripta commissi, docent aperte, descriptionem hanc Breuiario Podagasteriano allinitam, non esse eius genuinam: ita de inuentione medicinae et virtutibus multis in morbis, nullum est dubium. *a)* Huc 2.) pertinet vsus papyri chartaceae, seu lineae in Hungaria, qui annis seculi huius primis coepit initium. Scriptitasse prius Hungaros, exemplo aliarum nationum, in membranis pergamenis, notum est. Nunc denique, priusquam aliae id fecissent, permutarunt illi eas, cum commodiori et parabiliori, ex pannis detritis confecto. Priorem eam esse apud nos, quam in Gallia, Anglia, Germania, certum est. M. Daniel Cornides, vir ex vero doctissimus produxit, in opere periodico: *Vngrisches Magazin*, Posonii 1781. in 8. Tomi I. Part. II. p. 129. seqq. Epistolam Cardinalis Gentilis, et Legati Romani in Hungaria, Posonii, die 2. Maii anno 1309. ad Episcopum Transilvaniensem Benedictum, in *charta linea* scriptam.

a) Vide haec fuse apud Cl. Stephanum Veszprémi in *Succincta Medicorum Hungariae et Transiluaniae Biographia.* Centuria I. p. 39. Centuriae II. Part. I. pag. 213.

Quale documentum periodi huius, ſupra laudatarum nationum producere nondum potuerunt. Eſt vero veroſimile, chartam hanc primum ex Italia, cum primo Rege natione Italo, Carolo Roberto circa annum 1300. atque ipſo Cardinali Gentili, illatam eſſe Hungariae. Ibidem namque Officinae papyraceae, cum alibi parum vel nihil, de charta hac notum fuiſſet, iam initio ſeculi huius, in flore fuerant. Promouebat ampliorem eius in Hungaria vſum, facilis eam Ancona comparandi, vbi ars chartam conficiendi maxima tum florebat, occaſio. Vrbs haec iam tum mercatum cum vrbibus Dalmaticis exercebat: immo ab anno 1236. pactis commercia ſua (Inſtrumentum tale Ioannes Lucius in memorie iſtoriche di Tragurio ora detto Trau, Lib. III. cap. 9. produxit,) cum vrbe Traguriensi firmabat. Quam facilis fuit itaque per Dalmatiam eius in Hungariam promouendae ratio! *a)*

§. 9.

Prouehimur ad ſeculum XV., quod conſenſu omnium, reipubl. in Hungaria litterariae, prae reliquis nationibus Europaeis, fuit fauentiſſimum. Quicquid frugis bonae, per prouincias reliquas diſperſum reperiebatur, id in Hungariam, tanquam in centrum confluebat. Fautores ſcientiarum, viri docti, libri tam MSS. rariſſimi, quam recenter typis procuſi, ſcholae litterariae, tam altiores, quam inferiores, ſocietates eruditae, atque amor ciuium quidam erga litteras plane ſingularis faciebant: vt feruere ſtudiis omnia vidiſſes. *b)* Vt reuera in Hun-

a) De antiquitate chartae hodiernae ex detritis pannis confectae vid. Montefalconius Palaeographiae Lib. I. cap. 2. pag. 17. ſeqq. et Lib. IV. cap. 3. pag. 278. vbi docet, decimo iam, poſt Chriſtum natum ſeculo eam in vſu fuiſſe: an et antea? ignorari.

b) Sequemur in periodo hac enarranda, et in compendium mittemus *Tentamen* noſtrum *Hiſtoriae Litterarum ſub Rege*

garia, non feculo XVI. vti in reliqua Europa, fed XV. *renatas esse litteras, merito dixeris.*

§. 10.

Vt grata posteritas, Fautoribus, per quos litterae, feculo hoc ab exilio reuocatae, superstites et faluae perstitere, immo ciuitate Hungarica donatae, cultae amplius et elegantiores redditae sunt, gratiam quadantenus post cineres referat: eorum ante omnia, data opera, expromenda sunt nomina. Sunt vero illi: Sigismundus et Matthias Coruinus, Reges, Ioannes Vitézius Archiepifcopus Strigonienfis, alter Ioannes Vitézius, fub Iani Pannonii nomine notus, Vrbanus Doczi, Nicolaus de Báthor, Dionyfius Szétfi, Michael Orfzág de Guth, Michael Szilágyi de Hörögfzeg, Ladislaus Gerebus, Thomas et Francifcus Erdödü, Petrus Vardai, Stephanus Fodor, Ioannes, diuerfus a duobus illis, Vitézius cet. et quae Regibus maritis adiungendae fuerant coniuges merito, Maria et Beatrix Aragonia, Reginae. *a)*

§. 11.

Facile iam patebit hinc, ampliffimam periodo hac, fuiffe in Hungaria virorum eruditorum fegetem. Nos praecipuos, fecundum difciplinas dabimus. Ex *Ordine Theologico* fuere: Henricus Praepofitus Budenfis Th. Doctor, Ioannes Dominici, Ladislaus Báthori. *b)* Petrus Niger feu Schvartz,

gloriofiss. Mathia Coruino de Hunyad in Hungaria, Lipfiae ex officina Sommeria, 1769. ita tamen, vt neglecta, vel eo fpectantia fuppleamus, perperamque pofita corrigamus.

a) Laudes meritorum pofterioris huius in rempubl. Hung. litter. licet non omnimode veras, vid. in Bonfinii *Sympofio Trimero*, feu *Dialogis de Virginitate et Pudicitia coniugali*, edit. Francofurtanae, anno 1621. pag. 12.

b) Vertiffe hunc Biblia Sacra in idioma Hungaricum circa annum 1456. inter caeteros auctor eft Ignatius Pongrácz in *Triumpho Paulli*, pag. 51. et 65. Pofonii 1752. Nemo ta-

Martinus Polonus, Ioannes Gattus, Aurelius Brandolinus, Michael de Hungaria, Michael de Varadino, Pelbartus Temesuarinus, Nicolaus de Mirabilibus, hungarice Tsuda Miklós, Georgius de Schomberg, Ioannes Vitézius, Vrbanus Doczi, Ladislaus Gerebus, Nicolaus Báthori, Thomas Erdödi. Quod *Iuris* attinet *scientiam*, ad praesens et anteriora spectat secula; quod Ludouicus Viues Libr. IIII. de *Caussis corruptarum artium* inquit: *In Pannonia quemadmodum accepi, vivebant olim fine Iuris interpretibus,* (id de Iure Ciuili intelligendum, non Canonico, cuius Doctores frequentes fuisse notum est,) *non tamen fine Iure. Nam simpliciter et bona fide ex antiquis moribus, et paucis quibusdam legibus res iudicabant, immo dissensiones suorum ciuium, facile componebant, et quemadmodum de Seruio Sulpitio dicit Cicero, tollere controuersias malebant, quam constituere.* Verum enim vero, seculo hoc, praesertim sub Mathia Coruino, omnia mutari visa sunt. Hic etenim omnium scientiarum amantissimus, reiecto paululum simplici iurisprudentiae patriae habitu, neque iure, iurisque consultis Romanis, regnum carere voluit. Dedit ei occasionem, matrimonium cum Beatrice, in cuius comitatu ingressi aliquot Iurisconsulti celebres Hungariam, cum saepius Rege praesente, honorificam legum Iustiniani fecissent mentionem, praedi-

men impressane fuerit typis, an MSS. haereant, immo vel vidisse ea se vnquam afferuit. Quid? si particulae earum fuerint, de quarum altera, Georgius Káldi, in Bibliorum Hung. editione anni 1626. §. IV. in Tabula informatoria ait sibi a viro fide digno affirmatum fuisse, visam a se Scripturae S. partem praecipuam, in Hungaricum conuersam in codice, qui ante annos 200. (proinde circa annum 1428. exaratus fuerit,) altera vero a Catherina de Frangepanibus circa an. 1530. Benedicto Komiati, quae continebat Epistolas Paullinas; ab erroribus perpurganda tradita.

cassentque, quam profunda sapientiae mysteria iis reperiissent: persuaserunt ei, vt exercitium illarum in suas prouincias reciperet. Re constituta, vocati sunt ex Italia eruditissimi in his scientiis doctores, quibus non scholae tantum, sed etiam fora concredita. *Coeperunt illi*, pergit Viues, loco laudato, *formulas praescribere, quibus esset petendum, atque excipiendum, dies legitimos notare, iudici quoque aliquid assignare, quod diceret, ne muta esset persona. Breui tempore, vbi nullae prius erant lites, omnia vidisses feruere litibus, controuersiis, petitionibus, repetitionibus, exceptionibus, comperendinationibus, procrastinationibus. Erat prorsus fabula, nisi quod damnosissima, cetera festiua imprimis, et ad risum mouendum apta, hominibus vtique otiosis, et quibus nihil esset controuersiae. Quod malum tantum, et tam subitum, quodque late inuasisset plurimos, quum animaduertissent homines pudentiores, ad regem est res delata; qui ea cognita, Iure consultos illos, continuo regni finibus iussit excedere, et omnia in pristinam morem reuocari. Sedata est statim tempestas illa, tanquam se venti posuissent.* Haec itaque fuere fata Iuris Romani in Hungaria. Erant nihilominus in ea, qui in Canonico et Hungarico, suam exercuere operam. Inter eos: Hermannus, Parochus Leutschouiensis AA. et vtriusque Iuris Doctor, Lampertus, Praepositus, Iuris Canonici Doctor, Stiborius de Stiborich, Andreas de Benziis, Thadeus de Vito Mercato, Nicolaus de Bihnaro, Michael de S. Nicolao, hungarice Szent-Miklosi, Thomas de Trutiis, Casparus Bak de Berend, Nicolaus Stock, Georgius Leudeschitt, omnes Iuris Canonici Doctores, Dionysius de Szech, Ioannes Orszäg, Nicolaus Barius, Donatus Aretinus, Thomas de Iba falua, Thomas de Nyirkaló, Stephanus Vardai. Succedant *Medici:* Simon Clostein, Ioannes Stock, M. D. et Sigismundi Imper.

Physicus, a) Ioannes Vangio Francus, Christophorus Gallus, Bartholomaeus Montagna, Iulius Aemi-

a) Insigni prosequebatur virum hunc Sigismundus Imperator gratia. Id, quod vel ex solo sequenti patet diplomate: Sigismundus D. G. Romanorum Imperator. -- -- Honorabili Ioanni Stock Medicinae Doctori, Praeposito Ecclesiae S. Martini in Scepus, Physico et Consiliario nostro. -- Imperialis Maiestatis solium, non tam diuitiarum, aut potentiae latitudo, quam virtuosorum hominum familiaritates exornant. --- Dum itaque ad illam approbatam fidelitatis tuae constantiam, prudentem quoque legalitatis industriam, quibus de respectu nostrae Maiestatis duodecim annis iam transactis, tantusque Physicus noster, commendabilem reddere studuisti, aciem nostrae mentis conuertimus, dumque grata tuorum seruitiorum obsequia, quibus personam nostram tuis sanis consiliis et scientia honorare curasti, et curas incessanter, pio contemplamur contuitu, ad ea vtique Maiestas nostra benignis inclinatur affectibus, quae tui status exaltationem, et honorem concernunt pariter et profectum. -- -- Ecce ex superabundanti praemissorum tuorum meritorum intuitu, te praefatum Ioannem, animo deliberato, sanoque Principum, Comitum, Baronum et Procerum accedente consilio --- in nostrum Physicum et Consiliarium ac familiarem nostrum continuum commensalem iterum assumsimus, et assumimus per praesentes -- decernentes et expresse volentes, quatenus tu ex nunc in antea vniuersis et singulis libertatibus, iuribus, gratiis, priuilegiis, indultis, immunitatibus, honoribus, praerogatiuis et dignitatibus, vbique locorum gaudere et perfrui debeas atque possis, quibus caeteri Physici et Consiliarii ac familiares nostri continui commensales, freti sunt hactenus et fruuntur. -- Mandamus igitur vniuersis et singulis Principibus, Ecclesiasticis et Secularibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Officialibus, ciuitatum, oppidorum, villarum et locorum Communitatibus et Rectoribus eorundem caeterisque nostris, et Imperii nostri S. ac regnorum nostrorum Hungariae ac Bohemiae Subditis et Fidelibus, quibus praesentes exhibitae fuerint, firmiter et districte, quatenus te, dum et quoties ad eos, ex eorum dominia et loca perueneris, recommendatum habentes, propen-

lius, Franciſcus Fontana, Ioannes Tichtel, Philippus Valór, N. Branche, M. Sebaſtianus Mathiae Coruini Archiater. Expromamus vltimo *Philoſophos*, *Mathematicos*, *Hiſtoricos*, *Rhetores*, *et Poetas*. Sunt vero horum praecipui: Andreas de Odorino, AA. LL. M. Matthaeus de Diernach, Thomas de Vieſenburg, Ioannes Mode, M. Nicolaus de Hittendorf, Ioannes Vitézius *a)*, Ioannes Müller de Regio Monte *b)*,

ſius decenti pertractent honore, et condignis fauoribus proſequantur; nec non tibi cum familia, equis, baliſtis, armis, curribus et rebus tuis ſingulis, dum et quoties per te ipſum, aut tuo nomine deſuper requiſiti fuerint, velint et debeant prouidere contactum ad honorem et ſpecialem reuerentiam noſtrae Caeſareae Maieſtatis, et ſicut nobis ſingulariter voluerint complacere. -- Datum Poſonii anno 1435. die 27. Decembris. -- Qui integrum legere cupit, adeat Analecta ſcepuſ. Cl. Caroli Wagner, Part. III. pag. 56.

a) Ioannem de Zredna, Cancellariae Regis Hung. Protonotarium, cuius epiſtolas in vnum volumen retulit Paulus de Iuanich, Georgius vero Schwandtner, Scrippt. rerum Hung. Tom. II. inſeruit, non alium eſſe, quam Ioannem Vitézium Epiſcopum Varad. apodictice docuit Godofredus Kéler peculiari Diſſertatione, quae tamen typos haud vidit. Annuente Auctore, argumenta ſua fecit Cl. Horányi in Memoria Hung. T. III. p. 594. ſeqq.

b) Praeter opera magni huius Mathematici alibi a nobis recenſita, lubet hic innuere opuſculum extranei quidem auctoris, Hungariae tamen bono editum ſub titulo: *Tabula Minutionum ſuper Meridiano Budenſi*, anno Domini M. CCCC. XL. Eſt ſpecies Calendarii aſtronomici, quod ſequentes continet particulas. Docet aureum numerum, Litteram Dominicalem, cet. Conſtitutionem Syderum, aëris, Venae ſectionis, et medicinarum Tabellam, ſecundas et infauſtas dies, ſeminando item et plantando aptas, informationem nullas futuras anno hoc Ecclypſes, contra vero, qui annis 1485. et 1487. acciderunt, eſſe expectandas. Infra, inſignia Hungariae apparent, cum ſubſcriptione: *Impreſſum Viennae per Ioannem Vinterburg.* Ad partem ſiniſtram: *Haec Muncz:* typus eſt medio-

Martinus Polonus, Antonius Torquatus, Antonius Bonfinius, Aurelius Brandolinus, Ioannes Thuroczius, Galeotus Martius, Paullus de Iuanich, Thadaeus Vgoletus, Ioannes Barbeta, Ioannes Beckenſchlager, Ianus Pannonius *a)*. Petrus Ranzanus, Nicolaus Báthori, Gabriel Rangonius, Ioannes Thúz, Chriſtophorus et Stephanus Fodorii, Franciſcus Meſter, Martinus Barletius, Ioannes Vitézius, Epiſcopus Veſzprémienſis, Franciſcus Bandinus, Aleſius Ladislaus Vitézius, Franciſcus Erdödi, Ioannes Dalmata, Albertus Chanadinus, Cariolanus, Cepio Dalmata, orator et hiſtoricus eloquentiſſimus, Iulius Dalmata, Aelius Ceruinus, poëta inſignis, Antonius Marcellus, Antonius Nimerius, Mathematicarum Artium peritiſſimi, Benedictus Miſſulus, aſtronomus et Iurisconſultus egregius, Marcus Marulus *b)*, Felix Raguſinus,

cris, rubro et nigro mixtus monachalis, vna Phyl. Auctor Muncz fuit Canonicus ad S. Stephanum Viennae, quem aiunt in Aſtronomia adeo excelluiſſe; vt aetate ſua, nulli ſecundus eſſe putaretur.

a) Fuiſſe hunc non in humanioribus ſolum, ſed in ſeuerioribus etiam diſciplinis ac praecipue mathematicis exercitatiſſimum, patet ex eius epiſtola ad Ioannem Gazulo Raguſanum incerto anno data, quae extat epiſtolarum Mathiae Coruini Part. III. Ep. XLIX. pag. 95. ſeq. Vbi pag. 96. haec: Caeterum rogamus vos quam diligentiſſime, vt armillas Ptolomei, et alia inſtrumenta, de quibus in opere veſtro (aſtronomico) mentionem facitis, nobis ad expenſas noſtras, iſthic apud vos paranda, et conficienda procuretis, quoniam nos hic in regno Hungariae ſcitos harum rerum artifices nullos habemus.

b) Agit de his, aliisque quam plurimis Vincentius Periboëuius in oratione de *Origine, Succeſſibusque Slauorum.* Pharide anno 1525.

ſinus, Nicolaus de Farnad *a)*. Vt nihil in praeſens dicam de Muſicis, tertii nempe generis eloquentiae, praeter oratoriae et poeticen, cultoribus, de quibus, Petrus Epiſcopus Vulturanenſis, Legatus ad Matthiam a Sixto IV. miſſus, in epiſtola, Buda, an. 1483. ad Pontificem ita ſcribit: *Habet* (Mathias) *cantorum capellam, qua nullam praeſtantiorem vidi.* — vid. Péterſii Concil. T. I. 9. (5.) *b)*.

§. 12.

Pulchre Virorum doctiſſimorum conatibus ſuffragabantur *Studia Generalia*, ſeu Academiae, quarum ex fundamentis eduxerunt alias, alias conſeruarunt,

a) Prodiit Viennae ſub finem praeſentis, aut initium anni ſequentis, (nam annus non eſt appoſitus), liber litteris monaſticis in 4. impreſſus, ſub huius nomine, hoc titulo: Compendioſa quaedam, nec minus lectu iocunda deſcriptio vrbis Hieruſalem, atque diligens omnium locorum terrae ſanctae in hieroſolymis ordinatio: per quendam deuotum in Chriſto fratrem diui Franciſci de obſeruantia nationis vero Hungaricae luculenter: nam ea ipſa terrae loca propriis conſpexit oculis: congeſta: ac breuiter comportata: incipit feliciter. 1. Alph. —

b) Vladislai II. Muſici aulici an. 1494. fuerunt: *Cantor regius, cui ſuberant Cantores pueri Domini Regis, Tubicines Regiae Maieſtatis, Antonius et Ioannes Regii fiſtulatores, Grimpeck Organiſta Domini Regis.* De cantoribus dicitur, *quod cecinerint in menſuris coram Regia Maieſtate.* Adiiciamus obiter *Pictores* huius aetatis celebriores, quales erant an. 1439. Poſonii Caſparus et Ludouicus: ſub Mathia Coruino, Philippus Lippi de quo in *Kernhiſtorie aller freyen Künſte und Wiſſenſchaften. Leipzig 1748. Erſtes Stück, Geſchichte der Zeichenkunſt und Mahlerey.* pag. 27. haec lego: *Im Iahre 1505. gieng des liederlichen Lippi (Mahlers) Sohn Philipp von der Welt ab, der ſeinen Vater an Kunſt und guten Sitten übertroffen. Mathias Coruin, König in Vngarn bediente ſich einigemal ſeiner Geſchicklichkeit, in Verfertigung verſchiedener Gemählde, die meiſten andern Sachen hat er vor Rom gearbeitet.* Sub Vladislao II, Abbas de Madocſa.

ſedem Academiae, Poſonii a) ſtatuit, atque anno 1467. menſe Iunio inaugurauit. b) Cancellarium eis Ioannem Vitézium Archiepiſcopum praepoſuit c), vi-

demia (vita ipſius D. Mathiae Regis durante,) plures Baccalaurei creati extiterunt. Ipſo autem D. Mathia Rege vita functo, poſt illius obitum, hoſtilitate ingruente, (nempe a Maximiliano I. ob Coronam Hung.) propter diſturbia ingraſſata, Doctorum et Suppoſitorum, ſeu ſtudentium frequentia pedetentim defecit. cet.

a) In Bulla Paulli II. ad Praepoſitum Sombergium et Capitulum Poſon., in qua concedit praerogatiuam Praepoſito, mitra epiſcopali, pedo et annulo vtendi cet. an. 1469. idibus Aug. ſcripta, hanc in rem ita: Paullus Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, dilectis Filiis, Praepoſito et Capitulo Eccleſiae S. Martini, Hiſtropolitani, (vrbem hanc Poſonienſem Mathias Rex etiam identidem ita vocitabat,) Strigonienſis Dioeceſis, ſalutem. -- --. Hinc eſt, quod nos conſideratione chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Mathiae Regis Hungariae Illuſtris, aſſerentis: quod oppido Hiſtropolitano, propter ſtudium generale ibidem nuper erectum, et veſtrae Eccleſiae plurimum afficitur -- -- vid. Péterfii, l. c. Ex his patet non Strigonio huc eſſe translatam, vti Cl. Chriſtianus Schier opinabatur.

b) Annum et menſem iſthunc eius eſſe natalem docent *Magnae compoſitionis Cl. Ptolomaei libri a Georgio Trapezuntio traducti*, in Bibliotheca Vindobonenſi Ciuica exiſtentes. Ad calcem Codicis, diuerſis picturis, inter has, Inſigniis Mathiae Regis exornati, eſt quadrata coeli figura, cum inſcriptione: *Figura Coeli, hora inſtitutionis Vniuerſitatis Hiſtropolitanae Anno Domini 1467. in Iunio tempore aequato hora 20. poſt meridiem praeciſe. In Eccleſia Cathedrali Strigonienſi, et erat dies Saturni et finis horae Martis.* Ex poſterioribus his verbis concludit Cl. Schier in *Memoria Academiae Iſtropolitanae*, ſedem Vniuerſitatis huius Strigonii primum (quod etiam Iſtrogranum, imo Iſtropolis etiam vocatur,) conſtitutam fuiſſe, ob quamcunque demum cauſſam Poſonium translata. Sed a vero id abeſſe, ſupra oſtendi.

c) Cancellarium hunc, non auctorem Academiae Poſonienſis fuiſſe, Ioannes Regiomontanus in dedicatione operi *Tabula-*

ces eius, muniis aliis impediti, obibat Procancellarius Georgius Somberg, Praepositus Posoniensis, qui ad eam excolendam, viros eruditissimos vndi quaque sumtibus regiis euocabat. Esto, frequentissimos eos in Vniuersitate hac fuisse, pronum sit credere: nihilominus tamen, praeter Laurentium de Krumbach, Theologum, Nicolaum Schvikher et Aurelium Brandolinum, Oratorem, (de quibus Cl. Schier in exercit. de Academia Istropolitana,) M. Nicolaum de Hittendorf, et Ioannem Regiomontanum, qui scientias quadriuiales docuit, nullos eruderare potui. Pulchre ea, viuente Mathia, annis circiter 33. rerum suarum satagebat, litteras bonas promouebat, et eruditis praemia condigna concedebat, (sane complures Bacalaureos creatos esse in ea, extra dubium est) ad mortem vsque sui Augusti: eo tamen viuis erepto, conversis in peius Hungariae rebus, et Vladislao vti alia, ita etiam sedem hanc Musarum negligente, pedetentim defecit. Sed non hic substitit, verum vlterius progressum est Mathiae, circa Vniuersitates litterarum, studium. *Budensem* suam, a Sigismundo erectam, sed iam collapsam *a)*, instaurare magno animo adgressus est. E viuis nempe decedente Si-

rum Directionum praemissa docet, vbi ita eum alloquitur: Quantam et quam perennem curam habeas condendi Studii Generalis, conclamatum esse iam pridem arbitror, eum ex vniuersis litteratorum consortiis, omnium professionum doctissimos quosque viros arcessere, officio fretus Regii Cancellarii supremi (nempe in Vniuersitate, non regno, qui tum fuit Stephanus Archiepiscopus Colocsensis) cui coepto felicissimo, me quoque adesse voluisti, docturum videlicet quadriviales facultates.

a) Inter alios, qui tam superiori, quam hoc seculo in Vniuersitate Budensi docuerunt, producit quosdam Vlricus Reichenthal in *Historia Concilii Constantiensis* germanice scripta, Augustae Vind. anno 1483. edita, ita aiens: Von der hohen Schul zu Sündens in Vnger gelegen, die kommen mit dem

gismundo, non eam, quam is ei nitebatur conciliare maturitatem, est consecuta. Quod quidem, qui statum periodi huius Hungariae cognitum habet, perspiciet facile. Mors Alberti Regis optimi, periculosissimis inundauit regnum motibus, Vladislao Polono hinc cum parte Hungarorum, Ladislaum posthumum, cui Pars altera imperium cum Bohemis vindicare studebat, oppugnante: Turca illinc vtramque prouinciis exuere adnitente. Compluribus annis, tumultus hi continuabant, donec Vladislao anno 1444. ad Varnam caeso, Ladislaus V. rerum solus potiretur adolescens, paulo post et ipse morte extinctus immatura. Non mirum itaque, si opus nouellum, curis Principes aliorsum vocantibus, ad magnitudinem iustam prouehi nequiuerit, vel forte penitus sufflaminatum fuerit. Mihi quidem prius arridet; cum Pontifex ipse, in litteris, quarum sensum supra dedimus, *Studium* quoddam *Generale* innuat. Mathiae itaque Regi, orbus parente foetus animandus et ad iustam aetatem prouehendus relictus est. Id, quod is feliciter praestitit. Doctores ergo, in qualibet disciplina eruditissimos conuocat, stipendia amplissima decernit, atque, quo Hungaros suos, egentes praesertim, ad colendas excitaret felicius litteras, de omni-

Erzbischoff von Gran. Lampertus Brobst czu Ofen, Lerer geistliches Rechten, Simon Clostein Meyster in der erznei, Dominus heinricus Praepositus Budensis, Doctor in Theologia. Mathaeus de Diernach. Thomas de Wiesenburg. Dadeus de vito mercato, Nicolaus de Bihnaro beyd Doctor Decretorum. Huc spectat Ioannes de Horaw anno 1394. ex Vniuersitate Viennensi acteritus. Ad mentionem, quod *Academia* haec alibi quoque *Sunda* vocetur, obseruo, ex Academia Sigismundea, Patroni memoriam innuente, conflatam esse per Contradictionem *Sundam*. Id, quod ostendisse nos fusius vero similiter in *Tentamine Litterarum, sub Mathia in Hungaria*, pag. 53. putamus.

bus vitae adminiculis prospicit, a) vehicula scientiarum libros, immanibus sumtibus congerit. — — Palatium vsibus Vniuersitatis dicandum, molitus est tam magnificum et augustum: ut a Romano luxu haud differret, amplissimaeque Vrbis simulacrum referret: quadraginta quippe millibus scholarium hospitio inseruiturum. b) Quod tamen propositum, licet iam quadam parte, in effectum deductum, mors elisit heroi e manibus. Copiam Doctorum, quibus Vniuersitas haec instructa fuit, non exiguam fuisse, procliue est credere. Eo tamen non obstante, perpauca eorum, ad aetatem nostram, sunt propagata nomina. Rectorum post instaurationem primus fuit Petrus Niger Herbipoli euocatus, ordini Dominicano adscriptus. Vir pro aetatis ratione doctissimus, Martinus Polonus, Theologiae Professor, Ioannes Müller de Regio Monte, Mathematicus celebratissimus, Posonio huc delatus. De Antonio Bonfinio, Galeoto, Martio, Thadaeo Vgoleto, licet in aula Mathiae multis annis versati fuerint, membra tamen Vniuersitatis fuisse, (vtvt sit verosimile,) pro certo affirmare non ausim. De tertia, seu aetate prima, *Quinque Ecclesiensi*, vix habeo, tacentibus historicis, quod adiiciam. Florentissimam oporteret credere seculo hoc, si fide dignis posset fulciri testi-

a) Diffuse laudauit profusam hanc Regis liberalitatem Petrus Schwarcz, seu Niger Academiae Rector in Epistola ad Mathiam nuncupatoria, *Clypei Thomistarum aduersus omnes doctrinae Doctoris angelici obtrectationes.* Venetiis anno 1481. vbi inter caetera: *Praeceptores ait, et qui regendo studio praesidentes habentur, aurum quotannis abs tua Maiestate affluenter accipiunt: scholaribus vero ipsis conseruis meis, cibos, vestimenta, lectos, et quae hominibus per diem ac noctem oportuna sunt abunde largiris.*

b) Descriptionem fusam Augusti aedificii huius et rationes dedi in *Tentamine* meo saepe laudato. pag. 57. seqq.

monis, quod Zeilerus, atque Gabriel Szerdahelyi habent; duo interdum millia studiosorum, (iste plane quatuor mille ponit,) aluisse. a) Id est extra controuersiam, ad finem vsque seculi constitisse intemeratam, licet mores eius et instituta ignoremus.

§. 13.

Iungendae sunt Academiis scholae illustriores, quarum etsi complures narabimus: tamen multo frequentiores fuisse, at iam caligine ignorantiae mersas, plane credo. Quis etenim admittat, nullam Doczium Iaurini, Fodorium et Vitézium Sirmii, Veszpremii, Gerebum in Transiluania, aliosque eruditos Magnates in suis municipiis, instruxisse? Sed hariolari nolumus, verum certa et explorata docere. Praecipua omnium est *Strigoniensis* Vitézii Archiepiscopi monimentum. Ornabatur ea viuente parente, viris in diuersis scientiis versatissimis, Galeoto vtpote Martio, Ioanne Gatto et Aurelio Brandolino, qui spartam hanc, compluribus annis administrarunt. b) Suppar huic frequentia, antiquitate etiam superior

a) Zeilérus in *Descriptione Hungariae*, pag. 108. iste vero *in celebr. Vrbium et Oppidorum Hungariae Chorographia* Cassouiae 1732. p. 269. Cf. Andreae Lochneri *Facies Iuris publici Hungariae*. Ienae 1757. Cap. VIII. §. IV. p. 50. Floruisse eam, immo minorem quoque Scholam ibi extitisse, ad finem vsque seculi, patet ex volumine quodam Bibliothecae Aug. Viennensis inscripto: Regestrum Perceptorum et expensorum a Thesaurario Regio Episcopo Quinque Ecclesiensi anno 1494. *Die*, inquit, *2. Martii ad relationem Bradacs scholaribus scholae maioris Quinque Ecclesiensis dedi f. III. Porro: diuersarum scholarum scholaribus dati fl. L.* Sed quaenam illae?

b) Quin immo initio iam seculi floruisse apparet ex instrumento quodam a Petersio in Concil. Hung. Part. I. pag. 182. producto, quo Controuersia inter Praepositum et Canonicos Posonienses a Georgio Palotzai Archiepiscopo Strigon. componitur. Finis eius ita habet: "Lecta et lata, et pronunciata est

eſt *Vacienſis.* Nacta paraecipuum Nicolaum de Báthor, vrbis Epiſcopum, Patronum, de cuius litterarum amore et eruditione multa Galeotus de *ſapienter Dictis et Factis Mathiae Regis Libro* memoriae prodidit, non dubito, quin floruerit feliciſſime. *Bartphenſis*, cuius iam ad annum 1435. mentionem inuenio, *Quinque Eccleſienſis*, *Poſonienſis a)*, *Alba regalenſis b)*, *Leutſchouienſis et Caſſouienſis*, quas hoc iam tempore floruiſſe concludo: quod ſub initium ſeculi ſequentis Leonhardum Coxum, virum celeberrimum

haec ſententia definitiua in porticu almae Eccleſiae Strigonienſis circa altare S. Nicolai Conſeſſoris, anno Domini 1425. indictione tertia, die vero 20. menſis Ian. -- -- Praeſentibus ibi honorabilibus et egregiis Viris Dominis --- Thoma Decretorum, Nitrienſi, et Magiſtro Ioanne, artium Profeſſore, in Medicinis Doctoribus, Huntenſi -- Archi-Diaconis -- Andrea de Scepus, artium liberalium Profeſſore -- Canonicis Eccleſiae Strigonienſis. „ -- Quarum vero ſcholarum fuere Profeſſores? Mihi ita videtur, domeſticae Strigonienſis, vbi beneficiis fruebantur.

a) In quodam rationum anni 1439. libro in Tabulario vrbis Poſonienſis aſſeruato inuenio haec: Item auch an dem Tag (an Mitichen noch Dñi ne longe) hab wir gebñ in dy Schul zu dem oſt'piell noch des purg'meiſt' geſcheft umb 1.) fuder holz dy ſten XLII. den. Vienn.

b) Memorat eam Ludouicus Tubero in *Commentar. de temporibus ſui temporis*, Lib. III. §. VII. apud Schvandtnerum Scripp. rerum Hung. Tom. II. p. 160. in haec verba: Milites (Maximiliani I. Albam Regalem a 1491. expugnantes) omni praeda, praeter res ſacras, eis conceſſa, a caede hominum cohibet, nemo enim ex oppidanis caeſus eſt, praeter paucos adoleſcentes, qui ſubito captae vrbis tumultu, e ludo litterario exciti, ſiue imprudentia, reique bellicae imperitia, atque adeo furoris militaris ignari, ſiue forte inſita Hungaris ferocitate, in hoſtem armatum et ipſi armati inciderunt. Quiquidem, ſi ſe ludo litterario, vel tectis incluſi continuiſſent, ſeu inermes in conſpectu hoſtium conſtitiſſent, prorſus ſuiſſent inuiolati.

Henrici VIII. Regis Angliae olim paedagogum, Rectorem vocare sustinuerint. a)

§. 14.

Inoleuerat seculo hoc XV. in Italia consuetudo, *Societates* condendi *Eruditas*, in quibus viri docti, exercendis ingeniis, bonarumque artium studiis prouehendis vacarent. Mature eam, confluentibus vndiquaque Italis, suam fecerunt Hungari. Duplicem hoc seculo, coactam esse reperio. *Budensis* est altera, altera vero *Transiluanica*. Vtriusque, si non auctor, saltim conciliator videtur esse Conradus Celtis, vir aetatis suae clarissimus. Budensis illius Princeps, seu Praeses, forte primus electus fuit Ioannes Vitézius, Episcopus Veszprimiensis, quem sodalitas, festiua hac solenitate ita alloquitur:

Danubiana cohors phoebeis digna triumphis,
Quam decorat claris Celtica musa sonis,
Principe te gaudet, concordique eligit ore
Patronum, et nutu statque, caditque tuo.

a) Schemnicienfem porro, in *Tentamine* meo p. 63. memineram, quam a Mathia constitutam esse credebam, duce anonymo in libello, cuius titulus: *Idea principum, in sapientia coronata Mathiae Coruini.* Tyrnauiae anno 1713. in 12. p. 63. Ex eo deriuauit commentum hoc Gabriel Szerdahelyi in *Cel. Vrbium Hung. et Oppidorum Chorographia.* p. 277. vbi ita ille: *in Ciuitatum porro montanarum* (a Mathia nempe et Beatrice) *visitatione* -- -- *cum primis vera Schemniczii* -- *gloriam natiuam litteraria Gymnasio, Rectore D. Thoma Fabri, Pannonio, viro vndiquaque clarissimo sublimarit et auxerit anno 1478.* Obseruaui denique imposturam vani exscriptoris cum in Abrahami Backschai *Chronologia de Regibus Hung.* ad annum 1478. totidem Verbis hanc Mathiae peregrinationem enarratam legissem. Adiecit Backschai obiter, *sua aetate, id est circa annum 1567. Schemnicium Gymnasio illustri, Rectore Thoma Fabri, viro vndiquaque doctissimo esse celebre:* id quod ineptus ille anonymus, non attenta Chronotaxi, illiniuit Mathiae.

Sodales reliqui fuere, Conradus Celtis, Poeta laureatus, Ioannes Graccus Pierius, seu Krachenberger, Romanorum Regi a Secretis, Augustinus Olomucensis, seu Käsenbrot, Hungariae Regi ab Epistolis, Iulius Milius, seu Aemilius, Regis Hungariae Archiater, Ioannes Cuspinianus, Poëta laureatus, Andreas Stiborius, Theologus et Mathematicus, Ioannes Stabius, Philosophus et mathematicus, Christophorus de Vaitmyl, Praepositus Pragensis, Sturlinus Smalcaldia, eius paedagogus, Hieronimus Balbus, I. V. Doctor, Bartholomaeus Scipio, Medicus, Ioannes Schlechta, Regi Vladislao a Secretis, Georgius Neydeker, Regius Vng. Secretarius, Erasmus Vinifer Cracouiensis, Ioannes Tolophus, Canonicus Ratisbonensis, Henricus Cuspidius, Bonami duo Regi Rom. a Secretis, a) Alteram sodalitatum harum

a) Deriuani haec ex opere inscripto: *Luci Apulei Platonici et Aristotelici philosophi epitome diuinum de mundo, seu Cosmographia ductu Conradi Celtis*, impressum Viennae 1497. in fol. Apparent primum in libro: *Episodia sodalitatis litterariae Danubianae ad Conradum Celtem dum a norico Gymnasio ad Viennam Pannonie concesserat.* Applausus iam Sociorum elegantes sequuntur ab auctoribus, quos supra nominanimus, conscripti. Vltimum Carmen inscriptionem gerit sequentem: *Sodalitium Danubianum Episcopum Veszprémiensem, Principem Sodalitatis elegit*, prius iam in medium allatos. Sequitur mox dedicatio: *Conradus Celtis Protucius, Triformis Philosophiae Doctor, Imperatoriisque manibus Poeta laureatus, Ioanni Fusemanno Regio Senatori et Ioanni Gracco Pierio Prothonotario, sodalitatis litterarie Danubiane Principibus S. P. D.* vide ad haec Cl. Mich. Denis *Viens Buchdruckers Geschichte bisz M. D. LX. Vienn bey Christian Fridrich Wappler 1782.* Cuius nos opus oppido laboriosum et doctum in vsus nostros conuertisse, non sine contestatione grati animi apperte profitemur; nec non Cl. Veszprémi in *Memoria Medicorum Hung.* Cent. I. pag. 2. e Cent. II. Part. I. p. 211.

eruditarum diximus fuisse Transiluanicam, seu septem castrensem, de qua nihil lego amplius, quam quod ipse Celtis, in *Libro Epodon*, inter opuscula eius Argentorati anno 1510. excuso habet. Inducit is septenariam (tot enim fuere) *Germaniae sodalitatem litterariam canentem.* Statuitur itaque *sodalis primus septem castrensis Danubius inquiens:*

Si clara Graeciae recenseo lumina,
Erraticos septem globos vincentia,
Vicinitatis rite munus exequor.
Seruant Eoas Graius et Getae plagas,
Qua Pontico septem ostiis Ister mari
Illabitur septemplici haud Nilo minor.
Hinc nomen est septem datum castrensibus.

Quinam vero mores, quae statuta et studia sodalibus his fuerint Hungaris, ex eodem disces poëta. a)
Qui ita ad amicos suos:

Saepius mecum repetistis alta
Mente, quae rerum fuerint latentes
Inferum causae, superumque quis sit
Lucidus ordo,
Vnde sublatum mare fluctuosis
Turgeat ventis nebulosus aër,
Vnde vel vultus triplices coloret
Nubibus iris,
Igneus Phoebi globus vnde tanto
Impetu currat rapido rotatus
Turbine et lentam roseis reducat
Solibus vmbram,
Et modo celsas properans ad vrsas
Euocet flores, iterum rotatus,
Orbe decliui pluuiam recurrens
Pronus in Austrum.

a) Vide Carmen Celtis ad Sodalitatem Litterariam Vngarorum de Situ Budae et Monstris, quae praecesserunt mortem D. Mathiae Pannoniae Regis, inter opuscula eius Argentorati anno 1510.

Neque vero solis his physicis et astronomicis ac mathematicis vacabant excolendis studiis; immo vix fuit disciplinarum genus, in his humaniores, Poetica, Oratoria, Ius Imperiale et Canonicum, Historia cet., quas non colere, omni nisu intendissent. Audiamus eundem Celtis, qui de societate alia, nempe Rhenana, his ipsis legibus conflata, ad eiusdem hospitem Heidelbergae, Ioannem Vigilium. Libr. III. Oda III. ita canit;

Quae tecum memini, tempora triuimus,
Diuersis studiis: nunc latios libros,
Graios et solymos, nunc Ciceronis his
Artes contulimus bonas.
Nunc vatum placidi carmina legimus,
Nunc quod Pontificum scrinia sentiunt,
Nunc quod Caesareis Consulibus scatet,
Grato voluimus otio.
Cum nox stelliferam protulit aream,
Quot stellas gererent lucidae imagines,
Intentis oculis connumerauimus,
Et quoquo fuerit loco.
Quae nunquam Oceano conditur vltimo,
Et quae praecipiti mergitur impetu,
Et quae cardinibus se moueat vagis,
Certo pendimus organo.

Postquam autem satisdatum sapientiae, omnis sodalium chorus:

Explicuit vino contractae seria frontis.

Ita et enim idem laudatus Celtis ad eundem Vigilium:

Hinc Bacchi laticis cymbia feruidi
Feruens mensa tulit, cum variis locis,
Hic numos nocuam perdit ad aleam,
Alter carminibus vacat.

Alter cornigeri pocula numinis
Amplexus pateris ampla patentibus
Haurit, dum titubat lingua potens mero
Verbisque officium negat. a)

§. 15.

Succedant seculi huius Bibliothecae, quas sub Ludouico M. et Sigismundo Regibus, pro aetatis ratione, fuisse instructissimas, non est ambigendum: saltim Academias, Quinque Ecclesiensem et Budensem iis caruisse, ab omni abhorret verisimilitudine: quia tamen apud scriptores nullum earum inuenio vestigium, nihil dicere habeo. Accedimus itaque ad aetatem Matthiae, qui, vti Romae Asinius Pollio teste Plinio Lib. VII. cap. 30. primus publicam instruxit Bibliothecam, sic iste primus in Hungariam induxit. Prima et princeps est *Budensis*, quam litteratissimus Rex, circa annum 1465. instruere coepit. Videamus, quibus mediis, et methodo? Quicquid primum, typis recenter inuentis excudebatur, totum id Bibliothecae suae inferri iussit: Codicum dein MSS. magnam ex oriente congessit partem. Dissipatis etenim, capta a barbaris Constantinopoli thesauro-

a) Non desciuisse Hungaros nostros socios, regione quippe ipsis opportunissima, a more aliorum, indicio est patera illa aurea, cuius fusam descriptionem in *Tentamine* nostro saepius laudato p. 75. seqq. legas, ab Augustino Olomucensi, sodalitati huic dono data. Finem et vsum paterae, genius fundo eius insculptus, vuas in pateram exprimens, cum epigraphe: *Haec patera Bacchi munera larga ferat*, condocet. Patera haec in expilatione Budae a Turcis surrepta, inter barbaros illaesa mansit; donec in obsidione Asofensi a Russis intercepta, in Iudaeorum manus incideret, exque his a supremo Regis Poloniae Cancellario, Volfgango Dieterico Comite a Beuchlingen vindicata, Electoralibus Dresdae deinde cimeliis est adgregata.

rum similium ditissima, aliisque orientis vrbibus, Bibliothecis, commodam nactus est Mathias occasionem, etsi non sine immensis sumtibus, suam explendi cupedinem. Quos vero commode, ex Graecia nancisci nequiuit: scriptorum opera compensare studuit. In vna certe vrbe Florentina, teste Brassicano, quatuor insignes librarios, magnis alebat impendiis, quorum is vnicus fuit labor: vt omnes notae melioris auctores, et graecos et latinos exscriberent. Nicolaus vero Olahus in *Hungaria* sua apparatui Beliano ad Hist. Hung. Dec. I. Mon. I. p. 9. inserta, vltro procedit. Inquit etenim, audiuisse se a maioribus, Mathiam Regem, dum viueret, aluisse semper, scopo, quem Brassicanus retulit, triginta seruos amanuenses pingendi peritos, quorum se pleros-que, illo mortuo nosse testatur. Praefectus his *Felix Ragusinus* Dalmata, et ipse iam senex Olaho cognitus, qui non modo graece et latine, sed chaldaice et arabice doctissimus, sedulo animaduertebat, ne quis error in libris describendis, committeretur. Ingentem hominum horum fuisse copiam, patet vel ex eo; quod teste Heltaio in *Chronico Hung.* p. 168. *triginta tria aureorum florenorum millia annuatim insumserit in eos.* Excellens sane liberalitatis Coruinianae in litteras documentum! His itaque studiis, tum congessit, breui tempore (sane vix 25. numerantur anni) thesaurum, quo aetas illa praestantiorem, selectiorem, atque forte etiam ampliorem non vidit, nostra vero et ventura miratur, et non sine intimo doloris sensu, casum eius deplorat. Determinare quidem librorum numerum Pflugius in *Epistola, ad Seckendorfium de Bibliotheca Budensi*, non audet: adiungit tamen, *ad minimum quinquaginta voluminum MSStorum at typis impressorum millia adfuisse.* Quicquid eius sit, copia erat pro aetatis ratione amplissima, in primis vetustate, raritate, pretio in-

terno, et cultu externo maxime conſpicua. Ex vero haec confirmat Braſicanus in *Praefatione Saluiani libello de Prouidentia praemiſſa* inquiens: " Inſpexi libros omnes, ſed quid libros dico? quot libros tot etiam theſauros iſthic inſpexi. Dii immortales! quam iucundum hoc ſpectaculum fuiſſe quis credat? — Tantum erat hic antiquorum Graecorum ſimul et hebraicorum voluminum, quae Mathias ille Rex, capta iam Conſtantinopoli, euerſisque multis aliis, ampliſſimis Graeciae Vrbibus, ex media Graecia, inaeſtimandis ſumtibus coemerat. — Tantum erat hic latinorum librorum, et veterum et recentiorum, (procul tamen ablegatis omnibus ſophiſticis) vt nusquam alibi, quod ego quidem ſciam. — Vidimus iſthic (id quod Syllabo noſtro recenſere poſſum, et oculata fide) vidimus integrum Hyperidem, cum locupletiſſimis ſcholiis, librum multis etiam cenſibus redimendum. Vidimus grandem librum Apoſtolicorum Canonum, opus incomparabile. Vidimus Theodoretum Cyrenſem in Pſalterium integrum: vidimus Chryſoſtomi, Athanaſii, Cyrilli, Nazianzeni, Baſilii M. Gregorii Nyſſeni, Theophanis, Dorothei infinita opera. Vidimus Marcum Monachum, cognomento Anachoretam. Omitto Poëtas, Oratores, Philoſophos, atque Hiſtoricos, quorum hic immenſam vim inſpicere licuiſſet. Vidimus auctores Graecos innumerabiles infinitaque in Poetas fere omnes commentaria, nemini Doctorum, aut paucis omnino antea viſa. — „ Neque vero ſatis fuit Regi optimo tantum congeſſiſſe theſaurum: niſi eum cultu etiam et habitu externo celebratiſſimum redderet. Itaque, quo forte etiam doctorum virorum venerationem augeret: ſedem eius poſuit in arce ſua Budenſi, omni elegantia ad Maieſtatem exculta. *a)* Duplices ei dicatae

fuerant

a) Fragmentum ſumtuoſiſſimi huius aedificii Bibliothecae, capulum nempe columnae e marmore rubro, quod accedit ad

fuerant concameratae, excelſae, et in apſida curuatae aedes, triplici ex latere libris, quarto autem duplici ianua, Regi altera, altera hoſpitibus admittendis ſeruitura, duplicique feneſtra, et ordine eo inſtructae, quo Graecos altera, altera Latinos contineret Codices. Docet id ipſe Olahus l. c. inquiens: Qua itur ad ſtationem ex latere interioris Bibliothecae, ad ſacellum D. Ioannis perforatum, vnde Rex Sacrum audire conſueuit, duae obuiae ſunt aedes concameratae, quarum altera voluminibus Graecis — referta erat, altera interior continebat codices totius linguae latinae, a primis rudimentis, ad arcem vsque omnium ſcientiarum. „ Singulis ſcientiarum generibus, peculiares conſtituti auro reſplendeſcentes foruli, quorum quemlibet velum ſericeum, coloribus et auro in variam formam diſtinctum, in quo index diſciplinae, ad quam libri illic repoſiti ſpectabant, arcendo pulueri, tegebat. In parte prima, quae pauimentum attigit, locata ſcrinia, artificioſiſſime elaborata, quibus volumina reliqua, quae in pluteis ſuperioribus deſtituebantur a loco, plura ſimul condebantur. Maximam partem, colligata erant membranis ſerico obductis, fibulisque argenteis, auro lucidis, omnia autem inſignibus Regiis, gentilitio nempe coruo, et Hungaricis inſtructa. Intus, imaginibus, magna arte pictis, tam Mathiae Regis, quam aliorum illuſtrium et doctorum virorum exornata, magnificentiam vere' Regiam prae ſe ferebant. Quae dum praeſens ſpectaſſet Braſſicanus: *tunc certe*, inquit l. c. *non in Bibliotheca, ſed in Iouis gremio, quod aiunt, mihi eſſe videbar.* Praeter hanc, de qua huc

Ordinem Corinthiacum, repertum eſt nuper Budae circa domum vrbis praetoriam, Camerae antiquitatum in Vniuerſitate Budenſi iam illatum: cui Inſcriptio ſequens inciſa viſitur: *Mathias Princeps inuictus ingenii voluptati opus hoc condidit. generoſum.* Litterae ſunt antiquae latinae.

vsque actum est, aliae quoque fuerant Bibliothecae, in diuersis arcis locis positae, priore tamen illa, multo inferiores: — de quibus cum scriptores coaevi taceant, nihil dicere habeo. Ingentem mathematicorum adsuisse instrumentorum et variorum antiquitatis monumentorum copiam, nemo facile negauerit, qui animum erga scientias Mathiae perspectum habet. Ante Bibliothecam construxit Cameram in absida curuatam, vbi coelum vniuersum, qua spectat ad austrum, conspicere licuit. Huc globum spectasse coelestem, a duobus geniis sustentatum, non dubito, ad tempus electionis Mathiae in Regem Bohemiae indigitandum, compositum cum epigraphe:

Cum Rex Mathias suscepit sceptra Bohemae
Gentis, talis erat lucida forma poli.

Nihil iam addam de ingenti statuarum, ex diversis pretiosorum metallorum fusarum copia: nihil de variis venerandae antiquitatis elegantiaeque et ingenii Coruiniani monumentis. Ad Bibliothecas itaque redeo, et antequam eas penitus deseram, Custodes earum et Praefectos enumerabo. Primus omnium, vel saltim, quorum nomina ad memoriam nostram peruenerunt, *Galeotus Martius* Narniensis Italus. Vir corpore obesus, ingenio tamen elegans et facetus, ideoque Regi Mathiae carissimus. Secundus est *Thadaeus Vgoletus* Parmiensis, a Mathia ad docendum Principem filium euocatus, cui curanda (post discessum Galeoti reor,) Bibliotheca quoque tradita est. Tertius est *Felix Ragusinus* graece, latine, chaldaice, et arabice, (vti supra dictum est) doctissimus. — Quartus iam sub Vladislao *Felix Petantius*, vir scriptis clarus, Cancellarius post Reginae: de quo vide plura in Kerchelichii *Notitia praelim. de Reg. Dalmatiae, Croat. p. 87.* Secunda numero et loco est Bibliotheca *Strigoniensis*, a Ioanne Vitézio Archiepiscopo condita et eruditis celebratissi-

ma. Laudatus nempe Praeful vt in aliis, ita in Bibliotheca quoque instruenda et ornanda, Regem suum aemulatus, tantam breui congessit: vt cum praecipuis extra Hungariam certare potuisset. Scriptorum Graecorum et Latinorum ingentem complectebatur numerum *a)*. Cultum externum, repositoria ebore et ebano atque auro fulgentia demonstrabant. Diversi generis picturae, eo maiorem conciliabant loco elegantiam. Bonfinius haec ita describit: *Triclinium in arce* (Strigoniensi) *amplissimum evexit: prominens vero ante Triclinium, e rubro marmore, ante ambulacrum, cum duplici podio, et superbissimum extruxit. Ad Triclinii caput Sybillarum sacellum e fornicato operè acuminatum statuit, vbi sybillas omnes connumerare licet. In Triclinio non modo omnes ex ordine Vngariae Reges; sed progenitores scythicos cernere est.* Inter hos, sequentes etiam effigies apparebant. Primo loco, visebatur imago Regia, in throno dormitans: altero, imago quoque Regia, cuius ante pedes ignes diffusi urebant, enecabantque mortales: tertio, duo viri luctantes pro Corona Hunga-

a) Non bibliothecae solum sed Maecenatis etiam Vitézii indolem describit Galeotus Martius *Lib. II. de Homine.* Basileae 1517, edito: " Qui (Ioannes Vitézius) tempestate nostra, musas ex toto orbe fugatas ad se reuocauit, Hungariamque nouum Musarum domicilium constituit. Vnde factum est, vt qui dispersi fuerant docti, ad ipsum tanquam litterarum parentem, turmatim confluxerint. Nam diu cum eo vixit, proemioque affectus Aeneas Senensis, qui postea Pontifex effectus, Pius cognominatus est. Non referam, quantis impensis construxerit illam, omnibus ferme mortalibus celebrem Bibliothecam, in quam omnium disciplinarum momenta congessit. Et cum maximo calculo laboraret, librorum curam, disciplinarum lectionem, doctorum hominum fauorem, reipublicae gubernandae, nam in eo multorum Regnorum onus recumbebat, nunquam dimisit, neque post posuit, quod me vidente factum est. "

riae: quarto denique diadema cidari inuolutum. — Non pauca quoque Instrumenta mathematica possedisse, tantum matheseos cultorem, a celeberrimis mechanicis, in his, a Ioanne Regiomontano fabricata, nemo negabit. Huc referendus *Gnomon*, seu *Quadratum Geometricum* ab Andrea Peurbachio constructum, cuius etiam fabricam, canonem et Tabulam hic in vsus eius conscripsit et transmisit. En praefationem Peurbachianam ad Vitézium: " Gnomonem, quem dudum fieri postulabas optime Praesulum, ligno factum accipe. Post, si voles, ex metallo fiet alter vsui facilior, aptior et accommodatior. Nam illo iam perfecto, dum eius vsum exercerem, in altitudinibus considerandis, via venit in animum, qua facilius effici potest opus, atque magis accomodatum. Exercitium enim est, quo reddimur doctiores. Nunc tamen, donec alter absolutus veniat, ligneo contentus sis, cuius compositionem, vsumque heic volui describere. Fiant primum — — „ Vide *vitam Peurbachii* auctore Petro Gassendo, *operum eius Tom. V. p. 520.* Cupiebat virum hunc eruditissimum, ad aulam suam pertrahere Vitézius, tum adhuc Episcopus Varadiensis, amicus Peurbachii cordatissimus, sancte pollicitus, fore sibi omnia penitus cum eo communia: is tamen seu Academiae Viennensis amore, seu alia de caussa, non se dimoueri Vienna passus est. Cl. Gassendus l. c. p. 521. Tertia inter publicas est *Varadiensis* Episcopalis, cuius Ianus Pannonius discedens hinc, cum Auunculo Vitézio, ad Archiepiscopen Strigoniensem promoto, mentionem in opusculis suis, ex edit. Budensi pag. 306. facit, atque eam ita valere iubet:

Omnis sub niue dum latet profunda
Tellus, et foliis modo superbum
Canae dum nemus ingrauant pruinae,

Pulchrum linquere Chrysium iubemur,
Ac longe dominum volare ad Istrum.
Quam primum o Comites! viam voremus, —
Ac tu Bibliotheca iam valeto,
Tot claris veterum referta libris,
Quam Phoebus patara colit relicta,
Nec plus castalios amant recessus,
Vatum numina Mnemonis puellae.
Quam primum o Comites, viam voremus. —

Inter reliquas excellebat quoque Ioannis Vitézii iunioris Episcopi Quinque Ecclesiensis, seu Iani Pannonii. Extat de ea Epistola eius ad Galeotum Mattium in Coruinianis Cassouiae Part. III. p. 33. in qua haec scribit: *Postremo suades, vt libros mittam. An nondum etiam satismisisse videor? Graeci mihi soli restant, Latinos iam omnes abstulistis. Dii melius! quod nemo vestrum graece scit: puto et ex graecis nullum mihi fecissetis reliquum. Quodsi didiceritis, ego mox Iudaicum ediscam, et ex Hebraeis codicibus Bibliothecam inscribam.* — —

§. 16.

Neque negligenda est Typographia, quam Rex Mathias, non multis post inuentionem eius annis, induxit, litterarumque, ope eius, augmenta promouere intendit. Administer instruendae fuit Ladislaus Gerebus, consobrinus Regis, eique ab epistolis, qui euocato circa annum 1472. ex Italia Andrea Hess, Typographo, artem hanc Budae exercere iussit. Seruauit beneficii huius memoriam ipse Hessus in *epistola nuncupatoria* ad Ladislaum *Chronico Anonymi*, quod vulgo *Budense* ab impressionis loco audit, praemissa. Quia vero liber est rarissimus, atque vti ex ipsa hac dedicatione patet, eorum, qui ex officina hac prodierunt, immo omnium in Hungaria primus: non me ingratam rebar praestiturum lectoribus ope-

ram: si eum curatius paulo recensuero. Liber est in Folio (vt dicunt,) minori, charta ad pergamenam prope crassitie accedens; litterae initiales picturis inauratis passim conspicuae: typus vero vltraquam reris, praeter aetatis illius rationem, non monasticus, elegans. Ad calcem haec habet: *Finita Budae Anno M.CCCC.LXXIII. in vigilia Pentecostes per Andream Hess.* Opus integrum, in duas distinxit Auctor Partes. Priori exponit origines Hunnorum fabulosas, quos ex Arca Noae, per Iaphetum, Nimroth, filiosque eius Hunor et Magor deducit: primas eis sedes cum Patre Nimrodo in Perside assignat, vnde filios indulgente patre ad paludem Maeotidem, hinc autem aucta gente, in Scythiam, cuius situm describit, comitatur. Ex hac, posterorum eorundem, decies centena millia, reliquis in patria relictis anno aerae vulgaris 328. Pannoniam sub Ducibus Bele, Keme, Kodicha, Atila, Keue et Buda inuasisse, belloque cum nationibus Pannoniam incolentibus, variante fortuna gessisse, asserit: victores tandem Hunni Regem constituunt Attilam; de cuius expeditionibus, Gallicana, in eaque Argentinae, Lugduni, aliarumque ciuitatum euersione, et Germanica, vbi praecipue trucidatio vndecim mille virginum ad Coloniam, ad Isenacum eius concilia, atque post reditum in Pannoniam, Budae fratricidium, et quae alia fabulosa occurrunt, disputat. In appendice partis huius, quam sub *Incidentium* nomine subiunxit, expeditionem Attilae Italicam, expugnationem Aquileiae, origines vrbis Venetae, mortem Attilae, bella filiorum Chabae et Aladarii intestina, atque reditum illius in Scythiam enarrauit. Pars Chronici posterior, a secundo Hungarorum in Pannoniam ingressu, Ducum, et Regum res gestas, a primo, vt vocabant, Capitaneo, Almo, ad Mathiae de Hunyad vsque coronationem, per capita, in compendio exhibet.

Quae omnia hic recensere superfluum tanto magis videtur: quod haec ipsa, totidem verbis, in opere Thuroczii paucis quibusdam demtis, aliis vero interpolatis, occurrant. Pars certe integra prior, ex posteriore vero ad mortem vsque Ludouici M. segmentum, vix verbulo mutato cum Thuroczíano illo concordat. Reliquorum, ad Mathiam vsque, Regum vitae, paullo fusius sunt omnino descriptae. Vnde in eam veni opinionem, vt credam, Thuroczium, Budensis huius Chronici esse quoque auctorem, vel potius compilatorem: composito nempe ex opusculis Anonymi et Ioannis de Kikelö, adiectisque, quae desiderabantur, posteriorum Regum rebus praeclare gestis, compendio, eoque Budae typis Hessianis anno 1473. excuso, cum probari popularibus industriam suam videret Thuroczius: nouam, eamque quoad illa, quae ipse curis suis elaborauerat, auctiorem, Kikelöianis et Anonymi relictis intactis, anno 1483. Augustae Vindelicorum procurasse existimo. Perstitisse typographiam hanc, ad finem vsque seculi salvam, *ex Missali Officiorum Diuinorum, secundum Chorum Ecclesiae Quinque Ecclesiensis, Ioannis Paep Librarii Budensis impensis, Budae anno 1499.* impresso, Cl. Veszprémy, in Biographia Medicorum Hungariae, Cent. I. pag. 112. docere vult. Id si foret, res esset in vado. At vereor, ne confundat vir doctissimus, libri eiusdem editionem Venetam cum Budensi, quae omnino anno hoc, bibliopola Paepio procurante prodiit.

§. 17.

Adiiciamus sub finem Bibliopolas celebriores, qui impensis suis non parum in Hungaria rempublicam adiuuerunt litterariam. Sunt vero, qui eruderari poterant, *Ioannes Paep*, quem anno 1499. Venetiis *Missale Diuinorum officiorum* procurasse supra diximus. Non minus sumtibus propriis imprimi cura-

vit *Legendas Sanctorum Venetiis*, (inquit) *impenſis Joannis Paep*, *Librarii Budenſis* 1498. in 4to. inſunt eis, Sancti quoque Hungarici. Eſt alter ſeculo hoc *Theobaldus Feger* Conciuis Budenſis, qui exprimi curauit Auguſtae Vindelicorum Ioannis Thuroczii *Chroniton Hungariae anno 1488. apud Erhardum Rathold.* Non minus ſumtibus huius lucem debent *Conſtitutiones Synodales Eccleſiae Cathedralis Strigonienſis.* In opuſculo, poſt breuem introitum, Primatis illius temporis, Hippolyti Eſthenſis, ſequuntur conſtitutiones, ſub ſuis titulis. Epilogus ita habet: *Finiunt Conſtitutiones feliciter Synodales Eccleſiae Cathedralis Strigonienſis Dioeceſis, Viennae impreſſae per Ioannem Vinterburg, cura et expenſis Theobaldi Feger, Librarii et Conciuis Budenſis, anno ſalutis 1494. die quarta decima menſis Aprilis.*



PARTIS POSTERIORIS
SECTIO PRIOR
TRADENS
CONSPECTVM
REIPVBLICAE LITTERARIAE
A RENATIS

AD

INSTAVRATAS LITTERAS

SEV AD ANNVM M. DCC. LXXVI.

§. 1.

Seculi XVI. initio, salua fuere scientiis in Hungaria omnia, et tanto ampliora sperabant incrementa, quo maior tota Europa honor eruditioni tribuebatur, atque doctorum Virorum augebatur numerus. At vero subito, circa annum 1526. rursum omnia deorsum volui coeperunt, et ni Deus alias prospexisset litteris: pessum itura videbantur omnia. Clades nempe a Turcis ad Mohács accepta, et Regi, et regno, et litteris fuit funesta, eruditis, qua quemque sors ferebat, fugientibus, Martis potius, quam Musarum castra sequentibus, bibliothecis expilatis exustis, pessumdatis. Iniquiora secutura erant litteris: nisi ex exteris regionibus suppetiae latae, non solum eas stitissent: verum elegantiores etiam et solidiores

reddidissent. Conferto enim numero Iuuenes Hungari, Romam, Bononiam, Patauium, Geneuam et Basileam, imprimis vero audita celebritate eius, Vittebergam excurrebant, et onusti eruditione multifaria, in patriam redibant, atque scientiis pro virili opem ferebant. Sed sequamur ordinem nostrum.

§. 2.

Insignes litterarum patronos venerabatur seculum hoc in Hungaria, Thomam Bakats, Ladislaum Szalkánum et Nicolaum Olahum Archiepiscopos Strigonienses, Stephanum de Verbötz, a) Petrum et Gabrielem Perény, Bartholomaeum Dragsi, Franciscum Magócsi, Thomam b) et Franciscum Nádasdi, Ste-

a) Virum hunc magnum fuisse Literatorum Fautorem, et litterarum amantissimum docent Opera eius aetatis eruditorum. Saltim Viennae, intervallo paucorum annorum, plus quam decem libri impressi, honori Verbotzii sunt dicati, qui virtutes has ei tribuunt. Vide documenta in P. Denisii *Wiens Buchdruckers Geschichte.*

b) Quantum meritus sit de Republ. non solum Ciuili Hungariae, sed etiam litteraria, documento sunt Litterae Philippi Melanchtonis, ad eum Lipsia, nonis Octobris anno 1537. datae, quarum fragmentum, sequens est: *Intelligo autem ex Mathia* (Devay) *Te magno sumtu scholam constituere* (Csepregini forte, ubi sub finem seculi celeberrimam floruisse certum est, an Sárvarini, vel Vj - Szigetini?) *et optimarum artium studia excitare, quae res cum per se magnam laudem mereatur: tamen hoc tempore, cum belli cladibus litterae variis in locis delentur, multo ampliori laude digna est. Videris enim prospicere posteris: vt cum alibi deletae fuerint bonae artes, tamen seminaria reliqua sint conseruata Tua virtute, vnde iterum propagari in Pannonias doctrina vitae vtilis possit. — Mathiam Tibi commendo Virum optimum, praeditum egregia doctrina, prudentia et pietate. Ioannem Syluestrum, etiam hominem doctum, Celsitudini Tuae commendo.* Patet hinc etiam, Magnatem hunc a Vittembergensibus non iam tum alienum fuisse. Fauorem posteri amplius sunt imitati.

phanum et Andream Bathori, Gregorium Horvath Stansits *a)*. — omnes Summates Hungariae: non minus Magistratus LL. et RR. Vrbium, Barthfensis, Cassouiensis, Eperiensis, Leutschouiensis, Cremni-

a) Fuit is Comitatus Scepusiensis Vice-Comes, magni illius herois Marci, Szigethi propugnatoris, filius. Fundamentis studiorum in patria positis, peregrinationem suscepit eruditam per Germaniam, Italiam, Galliam, Heluetiam, in quarum Academiis, praesertim Argentoratensi, in qua diutius substitit, insignia dedit eruditionis specimina. Parta scientiarum et linguarum exoticarum, atque virorum celeberrimorum notitia amplissima, et amicitia, in patriam redux, ad clauum post I. Comitatus Scepus. consedit. -- -- Vt de meritis eius in rempublicam ciuilem taceam: insignis est eius laus, quod non solum Gymnasium in praedio paterno Strása seu Nerer, ingentibus excitauerit sumtibus, ad quod conseruandum florenos 600. annuos (ingens sane aetate illa summa) expenderit, sed ipse etiam nouo quodam exemplo, docendo litteras prouehere studuerit. Encomiastes eius mox laudandus ita hanc in rem: *Cuius rei causa Gymnasium hoc Nerense, in quo iam nos quoque militamus, non sine maximo sumtu annuo sustentauit, et non solum doctos viros, quorum opera in hoc suo proposito vti posset, aliunde aduocauit, liberaliter fouit, promouit: verum ipse etiam, nouo quodam exemplo, in Dialecticis Rhetoricis et Ethicis praeceptis, feliciter iuuentutem erudiuit, accutissimeque de materiis Theologicis disputauit; et quod maius est, tres eruditos tractatus -- contra Sebastianum Lamium turbatorem Ecclesiae Keismarcensis, bene magno cum iudicio conscriptos euulgauit.* Vide haec et alia in opusculo: *Duae Orationes Funebres, item Lachrimae Gymnasii Neerensis super maturo obitu Magnifici Generosi et incomparabilis Doctrinae et Pietatis Domini Gregorii Horuáth Stansith Baronis de Gradecz, Domini in Nerer Schuabócz etc. ac Generosae, Nobilissimaeque Matronae, Dominae Euphrosinae de Sember etc. Coniugis eiusdem, debitae Gratitudinis ergo collectae et in lucem editae per M. Nicolaum Erhardum Dalheim, Palatinum, tum Gymnasii Neerensis, nunc Scholae Bartphensis Rectorem, Bartphae Dauid Guttgesel excudebat 1597.*

tziensis, Schemnitziensis, Neosoliensis, Posoniensis, Sopronienssis, Cibiniensis Coronensis, Schesburgensis, Bistricensis. — — — Id vnum doleo, quod merita eorum, vti vellem fusius explicare non possim.

§. 3.

Viri ingenio clarissimi, cum fusiorem eorum descriptionem, scopus propositus dare prohibeat, quasi in tabella nominetenus propositi, hi sunt, et quidem THEOLOGI R. CATHOLICI: Nicolaus Olahus, *a)* Nicasius Ellebodius, Hieronymus Balbus, Georgius Coelius Pannonius, *b)* Augustinus Olomucensis, *c)*

a) Scripsit is praeter multa alia Historica, *Catholicae ac Christianae Religionis praecipua quaedam capita de Sacramentis, Fide et Operibus, de Ecclesia, Iustificatione, ac aliis, a Reuerendissimo DD. Nicolao Olaho, Archiepiscopo Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, Primate Hungariae et Legato nato, cet. ex purissimis S. Scripturae, traditionum Apostolicarum, Canonum, et SS. Patrum fontibus deriuata, et in Synodo sua Dioecesana Tyrnauiae proposita, ac breuiter explicata. Anno M. D. LX. Viennae Austriae in Aedibus Collegii Caesarei Societatis Iesu. Excudebat Raphael Hofhalter, Anno 1560.* in 4. Opus constat Capitibus 37. et dedicatum est Clero eius. Repetitum a Carolo Péterfi in Conciliis Hung. Part. II. p. 45. seqq.

b) Scripsit *Collectanea in S. Apocalipsim D. Ioannis Apostoli --- ex omnibus omnium, quum veterum, tum etiam neotericorum castissimis Commentariis.* Parisiis 1571. Fuit auctor ex Ordine S. Pauli Eremitae.

c) *Catalogum Episcoporum Olomucensium* dicatum Stanislao Turzoni Episcopo Olomucensi, Budae d. 7. Nouembr. 1511. et Viennae impressum per Hieron. Philovallen, seu Vietorem -- habemus ab eo, licet rarissimum.

Georgius Draskovicz *a)*, Georgius Szegedinus *b)*, Arnoldus Gerazdus, Ioannes Kolosvari, Gabriel Pesti *c)*, Andreas Monofzloi, Stephanus Szántó feu

a) *Prodiit ab eo Epiſtola Paraenetica quam Georgius Draskovitius*, (vti titulus habet) electus Epiſcopus Quinque Eccleſienſis, ac laudatiſ. Caeſaris Ferdin. in Vngaria Conſiliarius, ad Dioeceſanos ſuos dedit. Viennae Auſtriae in aedibus Collegii Caeſarei Societatis Nominis Iefu Anno M. D. LIX. In ea, inter alia ita: Duo contagii genera noſtram iam pridem inuaſerant gentem: nouarum ſcil. rerum curioſitas, et mutuae refrixio charitatis, e quibus infeliciſſimi duo iſti bubones proruperunt, ex vno quidem latere Turcica tyrannis, ex altero vero haereſis Lutherana. -- Data eſt Vienna Auſtria Decimo Calendas Ianuarii 1559. 4. A nemine praeter Kerchelichium manca tamen, et nunc a Deniſio notata.

b) A patria ita dictus, Franciſcanus, Ordinis Prouincialis anno 1549, mortuus, ſcripſit Opuſculum in 8. ſequens: *Cenſurae Fr. Georgii Zegedini ex Ordine D. Franciſci in propoſitiones erroneas Mathiae Deuai, ſeu vt ille vocat, rudimenta Salutis continentes, anno M. D. XXXV. in 8.* Argumentum libelli eſt: " Quidam Mathias homo pertinax, nullius plane eruditionis --- imbibit aduerſus ὀρθοδοξίαν noſtram Religionem dogmata --- ne itaque ſermo illius --- ſerpat latius --- praeſentem cenſuram author libelli de diui Franciſci Ordine in publicum dare voluit. „ Iam denique examinat LII. Propoſitiones, determinat vel refutare nititur ex ſcriptura S. quae agunt de V. et N. Lege, Iuſtificatione, poenitentia, Fide, bonis operibus, inuocatione Sanctorum cet. ſub finem ait: Poſtea venerunt in manus duo alii eius tractatuli, qui non multo diſſimiles, quos, ſi haec, optime lector, aequi, bonique conſulueris, pro tempore et dei gratia retractabimus.

c) Diligentiſſimus et doctiſſimus hic Vir, fuit Canonicus Albenſis et Archidiaconus Vgocſenſis. Scripſit complura: inter haec vertit in Hungaricum, Nouum Teſtamentum integrum primus, ita, monachalibus latinis literis variegatis inſcriptum: Novvm Testamentvm ſeu quatuor euangeliorum volumina lingua Hungarica donata, Gabriele Pannonio Peſtino interprete; Wij Teſtamentum magijar nijelven. Cum gratia et Priuilegio C. Regiae Maieſtatis ad quinquennium 1536. Prae-

Arator, Petrus Illicinus *a)*, Alexander Comutius, Nicolaus Telegdi, Marcus Antonius de Dominis, Ioannes Szilvasi: Evangelici: Stephanus Kopacsi,

misit praefationem latinam, in qua de vsu versionum in omnes linguas loquitur, et editionem suam commendat. Singulus Euangelista habet prologum Hieronymi versum, et notas quasdam marginales. Sub finem est tabula textuum dominicalium et festiualium, cum interpretatione quorundam locorum difficiliorum. Epilogus est: Viennae Pannoniae Ioannes Singrenius suis ac Ioannis Metzger bibliopolae expensis XVII. Mensis Iulii excudebat. Anno M. D. XXXVI. Ab eodem proficiscuntur anno eodem ita inscriptae: Aesopi Phrygis Fabulae, Gabriele Pannonio Pestino interprete. Esopus Fabula ij mellyeket mostan Wijionnan magyar nyelvre forditot Pesti Gabriel. In praefatione ad lectorem haec habet: *Cum videam omnes fere mortales, ac Orbis Terrarum nationes, mira translationum copia scatere, passimque hac in re operam nauare, vt in cumulum decoris patriae eorum semper aliquid adiiciant, quo et linguam et ingenium suorum acuant, et latius diffundant. Cur quaeso non liceat mihi quoque linguam et ingenium nostrum doctrinis veterum sapientum, pro mea virili exornare, cui semel omnes debemus studere. Viennae Pannoniae die XXVIII. Augusti anno M. D. XXXVI.* Vt lectores idiomatis eius temporis et ortographiae Hung. ideam forment, afferam specimen, Fabulam de partu montium. A hegyeknek zyleserewl, Eczer egy idewbe nagy hire wala hogy a hegyek zylnenek. Az emberek oda fwtanak warwan ez chodat nagy felelemmel. Vegre zylenek az hegyek, ces egy egerke iewue ky belewlewk. Ertelme - fokan kik igen nagyokkal kerkednek, ward wegre a dolgot, hat chak wezekedek, Ees mynt hegyek egerrel wgya zegyesikednek. Atque ita aa pro a, ee pro é, ew pro ö aut ü, ch pro cs aut ts, z pro sz in integro libello, neque accentus apparent. In fine: *Viennae Pannoniae in Officina Ioannis Singrenii mense Augusto, anno M. D. XXXVI.* quod etiam hungarice repetit, vid. doctiss. Denisium l. c. pag. 380. et 378.

a) Fuit is Patria Senensis, variis casibus delatus in Hungariam Canonicus Strigoniensis factus anno 1552. Scholae Quinque

Stephanus Galszécsi, Ioannes Honterus, Valentinus Vagner *a)*, Benedictus Komjathi *b)*, Ioannes Sylue-

Ecclesiensis praepositus datus, circa annum 1558. maleuolorum odio exactus, Olomucii tandem Canonicus mortuus. Conscripsit in Hungaria, *Paraenesim ad I. Hungaricae Regni Proceres et Nobiles ac Ciues de antiqua fide seruanda* --- *Porro Orationem Paraeneticam ad Transiluanos, qui a Catholica fide alienati ad Sabellium* --- *et ad Arium, vel Nestorium, vel Photium degenerarunt. Atque de rectae fidei dignoscendi regula, Sermones X. in Metropolitana Ecclesia Strigon. facti;* atque Antonio Verantio, ac Clero et Statibus Hungariae dicati Olomutio d. 12. Ian. 1573. Vide opus illud primum in Péterfii Conicil. Hungar. Part. I. pag. 318. seq. postremum vero l. c. Part. II. pag. 443. seqq. repetitum.

a) V. D. Minister Coronensis, et Honteri Achates fidelissimus, orientalium linguarum gnarissimus, commodo Graecorum Coronae habitantium edidit Catechesin Lutheri graeco idiomate versam: et Coronae impressam anno 1544. porro Nouum Testamentum Graecum, cum interpretatione Erasmi latina ---

b) Fuit Komjathi itidem literarum Graecarum apprime gnarus, Gabrielis Perény Comitis filii vnigeniti Ioannis studiorum moderator. Interpretatus est is hungarice Epistolas Pauli Apost. atque Cracouiae anno 1531. typis Hieronymi Vletor excudi curauit. Suppeditauit occasionem erudito operi patrona Vidua Perényii, Catharina de Frangepanibus, quae porrexerat Komjathio veterem Epistolarum harum editionem, (quid? si fuit haec particula Scripturae S. a Ladislao Bathori, sub Mathia Coruino transfusae,) ab erroribus -- repurgandam. Quia vero et Scriptura difficilis lectu, et formae loquendi durae, ac incomtae videbantur: nouam versionem apparare maluit. Titulus Libri sequens est: *Epistolae Pauli lingua Hung. donatae. Az zent Pál leueley magyar nyeluen.* Interne Insignia Hungarica, scutum nempe quadripartitum, cuius area prima octonas fascias, secunda crucem duplicatam tricolli impositam, tertia Leonum tria capita, quarta Leonem erectum ad dextram conuersum, ac pede dextro Coronam in altum tollentem exhibet. Post titulum comparent Insignia Frangepaniana, duo Leones erecti, sibi mutuo

ſter *a*), Bartholomaeus Bogner, Leonhardus Baſilius, Simon Gerengel, Thomas Hilarius, Benedictus Abádi,

obuerſi, et in quolibet pede anteriori panem in altum tollentes: Scuto adſcriptae litterae Heroinae nominis initiales K. F. Folio ſecundo ſequitur Praefatio Typographi, ad Hungaros, in qua Paulum ſuum, iam Hungarum commendat, atque vt primitiis his laborum Hungaricorum faueant, quo ad talia plura publicanda animus ſibi augeatur, rogat. Liber concluditur hac Typographi Epiſtola. Clariſſimae Foeminae D. Catharinae a Frangepanibus, Magnifici quondam D. Gabrielis de Perén etc coniugi etc. Hier. Victor Typographus ſe commendat. Poſtquam ad me allatus eſt libellus Paulinarum Epiſtolarum tuis auſpiciis hungarice excudendus, et ſi eius linguae rudis et ignarus eſſem, hocque labor ipſe et difficilior futurus eſſet, et moleſtior, non putaui tamen recuſandum, vel quia opus videbatur cumprimis pium, vel quia conatibus iſtis tuis longe praeclariſſimis vehementer adficiebar. Neque enim obſcurum eſt, quid agas. Nempe vt primum in Aula Tua, quae quod audio, quaſi Schola quaedam eſt, vniuerſae Chriſtianae pietatis Magiſtrum et anteſignanum Tua Tibi loquentem Lingua haberes familiarem, deinde vt eum hoc nomine popularibus Tuis redderes commendatiorem, vtili profecto conſilio, et meliore inſtituto, quam pro vulgo principes Foeminae, imo viri plerique victitant. -- -- -- quanto oportet tuam laudem eſſe illuſtriorem? praeſertim apud Pannonas Tuos, quibus hoc vere es, quod gentilitio nomine diceris a Frangepanibus. Nunc enim frangis, praebes et diſtribuis panem eſurientibus, illum omnino panem vitae, qui de Coelo deſcendit -- -- Perge itaque in hanc pulcherimam gloriam magis ac magis incumbere, et ſuſcepti operis partem, (patet hinc totum N. Teſtamentum edere voluiſſe,) quae reliqua eſt, abſoluendam curare. --- Chriſtus pietatem tuam propitius proſperet et promoueat. Datum Cracouiae ex officina noſtra A. D. Milleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio. Menſe Februario.

a) Poſt abſoluta Vittebergae ſtudia, in ditione Comitis Thomae Nadasdi, cui a Philippo Melanchtone, vt ſupra innuimus commendatus fuit, incertum, eccleſiaſticum an ſcholaſticum

officium gesserit. Id certum est, Nouum Testamentum ex Graeco fideliter transfusum, in oppido Magnatis huius Vj-Szigethini, eiusdemque potissimum impensis, typis Benedicti Abadi anno 1541. in 4to edidisse. Dedicauit opus Ferdinandi I. Regis Principibus Filiis, Maximiliano et Ferdinando, praemissa erudita et vere latina epistola Vj-Szigetini anno eodem data. Typus est Monachalis, Ortographia etiam, vti supra vidimus rudis. Argumenta singulis libris praemisit, figuris etiam passim illustrauit, ac notas, haud inutiles, ad librum integrum intelligendum vtiles, sub finem annexuit. Ita de his Cl. Rotarides, *in Catalogo Scriptorum Hung. MS.* qui etiam affirmat, *sinceritate interpretandi, omnes reliquos Hungaricos interpretes superauisse.* Id quod exemplis etiam aliquot illustrat. Singulare id est, librum hunc esse primum in Hungaria Hungaricum impressum. Transfudit is etiam aliquot Cantilenas Lutheri in Hungaricum, atque scripsit *Grammaticam Hungaro-latinam in vsum puerorum,* Neanesi (Vj-Szigethini) in 8. 1539. Dedicatio Noui Testamenti, verosimiliter occasionem dedit euocandi eum ad docendam Linguam Hebraeam in Viennensem Vniuersitatem, vbi eum iam anni 1544. initio inuenio. Confundunt hunc Cl. Viri, Petrus Bod in Athenis Hung. et Veszprémi in Memoria Medicor. Hung. Cent. I. pag. 110. cum Ioanne Kolosvári Episcopo Csanadiensi. At vero nunquam ille se Kolosvárium vocauit, sed Syluestrum, Erdösi Pannonium; porro sub anni 1551. finem Viennae, in Dedicatione libelli: *Querela Fidei ad Sereniss. R. Hung. et Bohemiae etc. Regem Ferdinandum. Auctore Ioanne Syluestro Pannonio,* haec habet: *cum praeteritis hisce diebus, cum mandato Sereniss. Maiestatis tuae, in agellum mihi per M. T. S. collatum venissem, ab eo deturbatus iterum sum, seditione in me rusticorum mota. Qui etiam iussu officialium parati erant mihi vim inferre, nisi parua admodum corporis declinatione, periculum euitassem, in tutumque me, vxore, liberis, bonisque omnibus in periculo relictis, recepissem. Qui etiamnum incertis oberrant sedibus.* --- Contra Kolosvari primum Dominicanus, dein Abbas Kolosmonostoriensis atque iam anni 1561. initio, Tridenti Episcopus Csanad. mortuus est. An ille, esto forte, Uxore mortua, vti Listhius, sacrum ordinem

Abádi, Leonhardus Stöckelius *a)*, Petrus Bornemifsfa, Mathias Hebler, Stephanus Székely, Sebaftianus Boldi, Chriftophorus Soós de Sóvar, Thomas Fa-

ingreffus effet, tot gradus, intra decennium percurrere potuiffet, vt alia argumenta non addam, aliorum efto iudicium.

a) Stephanus Xylander alias Holzmann vitam eius in haec verba defcribit: " Natus eft Bartphae --- patre Leonhardo, qui Faber ferrarius erat, et matre Dorothea anno 1510. Ifti filium a prima aetate erudiendum dederunt Valentino Eccio Lindauienfi, Scholae Bartphen. Rectori; Bartpha miffus Caffouiam, vbi aliquamdiu erat fub Leonhardo Coxo Anglo, Henrici Regis Angliae adolefcentis paedagogo, quem metu diffidiorum deferere coactus eft, et Cracouiam confugere, vnde Caffouiam (prius Leutfchouiam) eft euocatus. Relicta Caffouia Leonhardus, profectus eft Wratislauiam, vbi audivit Vinklerum docentem, et Maederum in Graecis. Wratislauia Wittebergam venit, ibi Lutherum, ac Philippum Melanchtonem docentes audiuit, quibus femper fuit chariffimus, per annum integrum in ifta peregrinatione. Egit Rectorem Islebiae, in Patria Lutheri, vbi ipfi cum Antinomis conuenire non poterat. Reuerfus Witteberga in Hungariam, anno 1539. multum repugnante Philippo, qui maluiffet ipfum Wittebergae retinere: Scholam Bartphenfem rexit per annos 20. multosque praeclaros Viros, Nobiles et ignobiles educavit. Quanta iftius Viri fuerit diligentia, teftantur fcripta, quae in officio Ludi Rectoris in omnibus artibus, et praecipue de rebus Theologicis confcripfit, (Thomas Faber, in Rectoratu fucceffor, qui biographiam eius fufe defcripfit, vltra 38. opera dicit concinnaffe), Laborabat faepius ex oppilatione hepatis, ad quam 1560. acceffit --- ipfo die Pafchatis in choro, quem regebat. His morbis vsque ad Feftum Pentecoftes difcruciatus, interdum tamen remittentibus, lectiones dictabat, et dictanda fcribebat. In aegritudine accepit a ftudiofis quibusdam Wittebergenfibus litteras Philippi Melanchtonis, quas cum maximis lachrimis legit, (nam fama de morte eius, citius ipfis Litteris in Hungariam peruenerat,) ad has inquit breui coram refponfurus fum. Obiit die Veneris ante Trinitatis Feftum anno 1560. " Efto tam fcripferit; tamen Typis vulgata nón plura, mihi nota

bri, Michael Radaſchinus a), Seuerinus Scultetus b), Matthias Eberhard, Leonhardus Vidos, Petrus Muſaeus, Georgius Kúltſár, Georgius Dalmatinus, Demetrius Sibolthi, Stephanus Pepich, Gregorius

ſunt, *quam Annotationes Locorum communium Doctrinae Chriſtianae Philippi Melanchtonis, per Leonhardum Stökelium Bartphenſis Scholae Rectorem, conſcriptae, Baſileae 1561. in 8vo. apud Ioannem Oporinum*, atque *Poſtilla Latina*, Bartphae 1596. in Fol. per filium homonimum edita.

a) Conſcripſit is Confeſſionem V. Ciuitatum LL. Regiarum ſuperioris Hungariae magnae olim auctoritatis, cuius occaſionem coaeuus ſcriptor Daniel Türck, Senatorii Ordinis Leutſchouienſis Vir, in Diario MS. hoc modo exponit: " Anno 1549. die 14. Auguſti, qui fuit Vigilia Stephani, venerunt Commiſſarii duo a Maieſtate Regia, Domino noſtro Clementiſſimo, Reuerendiſſ. D. Epiſcopus Vaczienſis, Stephanus Bardala (Sbardelat) et Sthibrik ſenex inſpectum Eccleſias harum Vrbium ſuperiorum, quorum aduentu multi valde perterrefiebant, timentes Religionis euerſionem. Verum tamen mitius agebant. Deinde deſcendentes ad Eperjes, eo conuocatio ciuitatum habita. Expoſuerunt aduentus ſui cauſam, et deſiderauerunt a ſingulis ciuitatibus confeſſionem fidei ſuae. Quae cum nobis indicaſſent, noſtri reuerſi ex Congregatione, D. Michael Kromer, et Bernhard Henckel, et Thomas Sartor, ego Daniel cum Parocho, et Concionatore breue quandam excerptum ex locis communibus Philippi, per Michaelem Radacſinum Bartphenſem Parochum et Concionatorem, paucis quibusdam adiectis eo miſimus. Ac priusquam noſter tabellio confeſſionem detuliſſet, iam Domini Eperienſes confeſſionem exhibuerant. „ Excuſa eſt ea, Latine, Germanice, Hungarice, Slauice, Caſſouiae Anno 1614 Typis Fiſcherianis in 4to.

b) Fuit Seuerinus *Alſó - Sztregoua* Comitatus Neograd. loco ortus parentibus tenui fortuna, poſt Rectoratum Scholae Eperienſis, Paſtor Bartphenſis, et V. Vrbium ſuperioris Hungariae, ac Oppidi Saaros Senior, Vir aetate ſua celeberrimus. In *Colloquio Cſepregienſi* ex parte euangelica collocutor, cuius etiam Hiſtoriam anno eodem 1591. Bartphae excudi curauit. Scripſit complura: inter haec: *Erotemata de Communi-*

Muraközi, Balthasar Zólyomi, Nicolaus Galgotzi, Ioannes Pálffi Kanisai. REFORMATI: Mathias Devai *a)*,

catione idiomatum, h. e. proprietatum diuinae et humanae naturae, in vna indiuidua persona Christi. Bartphae in 8. 1593. per Quaestiones et Responsiones, ex Verbo Dei et testimoniis Patrum proposita. Porro Υπομνημα, siue *Admonitionem breuem ad Christianos, Regni Hungarici Ciues, de asserenda et retinenda veteri seu auita vere Christiana Doctrina, in Confessione Augustana comprehensa*, Bartphae 1559. Est contra Heleuticae Confessioni addictos directus libellus.

a) Deuaium, vti etiam Stephanum Szegedinum, Petrum Melium, cet. multis annis Confessionem August. secutos esse docent opera. Deuaium iam ante annum 1544. transiuisse ad Heluetios, patet ex Epistola Lutheri ad *Ministros Ecclesiae Eperies. et vicinorum locorum anno 1544. feria 2. post Quasimodogeniti Vitteberga data: Quod de Mathia Devai scribitis, vehementer sum admiratus, cum et apud nos fit ipse adeo boni odoris, vt mihi ipsi fit difficile vobis credere scribentibus. Sed vtvt fit, certe a nobis non habet Sacramentariorum doctrinam.* Docuit vero Sáruarini, Budae, Cassoviae. Sunt eius praecipua typis vulgata sub titulo: *Disputatio de Statu, in quo sunt beatorum animae post hanc vitam, ante vltimi Iudicii diem. Item de praecipuis Articulis Christianae Doctrinae per Mathiam Deuai Hungarum. His addita est expositio examinis, quomodo a Fabro in carcere sit examinatus*, in 4. sine loco et anno. Collimo tamen ex dedicatione Viti Theodori ad Franciscum Batzi Praepositum Scepusiensem ac Secretarium Regium directa calendis Iunii, anno 1537. eo editore, hoc tempore, esse verosimiliter Norlbergae impressa. Opusculum primum nuncupauit *Reuerendo Domino Emerico Bebec Praeposito Albensi, Domino et patrono suo Mathias Deuai gratiam et pacem.* Sub finem Epistolae habet: *Vale in Christo, vna cum tua Consorte, pro qua verbo Dei eruditus, omnem paternam haereditatem maluisti amittere quam -- -- Datum ex Saruar anno Salutis nostrae, 1533. in Feriis Pentecostes.* Continet libellus confutationem apologiae Gregorii Szegedini, Ordinis S. Francisci, quarundam quaestionum: nempe vbi sunt corpora et animae Sanctorum in Christo dormientium? an sciant aliquid de no-

Stephanus Kis Szegedinus *a)*, Petrus Melius *b)*, Petrus Monedulanus, Petrus Beregszázi, Thomas Félegyházi *c)*, Nicolaus Gyarmati, Stephanus Gyulai, Stephanus Gönczi, Stephanus Böjte, Casparus Károli *d)*, Petrus Károli, Stephanus Patai, Ioannes Si-

bis? an possint orare pro nobis? et an sint inuocandi pro mediatoribus? Secundum opusculum est Apologia LII. Propositionum, quas Gregorius Szegedinus Franciscanus, vti supra recensuimus, aut potius Faber Episcopus Vienn. (argumentum ab eo proficisci, epistolam ad lectorem, et castigationem compertum sibi esse dicit Deuai,) sub Censuram vocauerat. Praefatio habet: *Reuerendo Domino Francisco Baczi, Praeposito Scepusiensi, et Secretario Regio Mathias Deuai S. D.*

a) Natus anno 1505. Szegedini, studuit in patria et Lippae, denique Cracouiae, Vittebergae, anno 1545. redux illinc, partim in Schola, partim in Ecclesia docuit Tsanadini, Gyulae, Czegledini, Temesuarini, Turini ad Beretyó, Békesini, Tolnae, Laskouiae, Kalmancschini, et Raczkŏuini, vbi etiam 1572. anno mortuus est. Vir citra controuersiam eruditus scripsit *Locos communes Theologiae sincerae de Deo et Homine* --- in Fol. saepius recusos, quibus Biographia auctoris, a Mathaeo Scaritzeo praefixa est. *Porro Tabulas Analiticas* in Prophetas, Dauidem, Esaiam, Danielem, Ezechielem et Hieronymum. 1592. cet.

b) De exegesi Scripturae S. lingua Hung. inprimis bene meritus est. Epistolam ad Romanos anno 1563. in 4. Debretzini in homiliis, ac Apocalipsim Ap. Ioannis ibidem 1598. in 4. vulgatam scripsit. Porro Samuelis et Regum Libros in Hungaricum interpretatus est Debretzini 1563. in fol. vt alia taceam.

c) Nouum Testamentum cum notis vtilibus transfudit in Hungaricum in 4. Debreczini 1586.

d) Memorandus is est praecipue Versione Bibliorum Vngaricorum: quae primum Visolini 1589. et 1590. duobus Tomis in folio, sumtus conferentibus, Sigismundo Rakótzio, Stephano Bathorio, Stephano Homonai, Casparo Magócsi, typis Manskouiczianis edidit, frequenter dein, variis locis et forma repetita. Defectus eius varios notauit Cl. Iosephus Ter-

derius, Mathaeus Skaritza, Valentinus Hellopeus, Szikszai, Ambrosius Derecskei, Casparus Pilcius, Sebastianus Ambrosius Lamius. SOCINIANI: Stephanus Basilius, Nicolaus Fazekas Bogáti, Franciscus Dauidis, Georgius Enyedinus *a)*, Casparus Heltai, Paullus Káradi, Demetrius Hunyadi, Stephanus Csazmai, Stephanus Pauli.

IVRISCONSVLTI: Mathias Hilkus, Ioannes Kermendi, ambo Decretorum Doctores, Stephanus Verbötzi *b)*, Mathias Fronius, Blasius Veres, Ioannes

kos in praefatione Noui Testamenti Hungarici, Vittebergae, anno 1736. editi.

a) Auctor hic famosus est propter *Explicationes locorum Scripturae Veteris et Noui Testamenti, ex quibus Trinitatis dogma stabiliri solet*, sine loco et anno. Non est Enyedi auctor primus earum: nam prius iam idiomate hungarico Stephanus Basilius ipsas consignauerat: iste vero auxit solum et latine transfudit. Mathaeus Toroczkai iterum Enyedium secutus, in Hungaricum vertit, et Colosuarini in 4. anno 1619. edidit. Inter refutatores eius sunt Benedictus Szentkiralyi in libro: *Vindicatio locorum Veteris Testamenti aeternam Deitatem Filii et Sp. S. Mysteriumque SS. Trinitatis confirmantium, aduersus Georgium Enyedinum instituta. Marpurgi* 1619. in 8. atque Stephanus Mélotai libro Hungarico, inscripto: *Speculum Trinitatis*, Debretzini 1622. in 4. in eam rem edito.

b) Operis Tripartiti, quod conscripserat, atque Viennae editionem eius primam procurauerat, titulus sequens est: *Tripartitum opus iuris consuetudinarii inclyti regni Hungariae: per Magistrum Stephanum de Werbewcz personalis praesentiae Regiae Maiestatis locumtenentem: accuratissime editum: Impressum Viennae Austriae per Ioannem Singrenium. Anno Domini M. D. XVII. octauo die Maii.* Est typus Gothicus. Frequentius posthac hic et alibi repetita est eius editio. Versum quoque est in idioma Hungaricum per Blasium Veres, in Germanicum per Augustinum Vagner, in Croaticum per Anonymum, Nedelischae (est pagus in Muraköz inter

Deczius Barouius *a)*, Bernhardus Bakſai, Auguſti. nus Vagner, Ioannnes Delicaſius, I. V. D., Franciſcus Revai *b)*, Michael Mérei *c)*.

Drauum et Muram Fluuios) per Rudolphum Hoffhalter impreſſum, anno 1574. in folio.

a) Scripſit is *Syntagma Inſtitutionum Iuris Imperialis ac Vngarici, quatuor perſpicuis Quaeſtionum ac Reſponſionum Libris comprehenſum, anno Salut. 1593. Claudiopoli Tranſil. 4.* Quatuor Partibus, Rerum et Actionum Inſtituta tractantibus, librum hunc abſoluit auctor. Modus vero tractandi hic eſt. Primum, Titulum Iuris Iuſtinianei, methodo erotematica proponit, altero ſtatim, vel ſequenti titulo, in quantum putat, ſimilem materiam in Iure Hungarico reperiſſe, Hungarica annectit, ſaepius etiam, vtriusque Iuris figuras coniungit: nihil tamen ſpeciatim oſtendit, quibus in articulis eadem Iura, vel conueniant, vel inuicem diffideant. Praemiſit libro, non inutiles Tabellas, quas iſagogicas vocat, quibus totam tractationem, vno obtutu oculis ſubiicit. Sub finem operis, variarum Iuris regularum et ſententiarum, e Iure Romano ciuili, et canonico, e ſacris litteris ac ipſo quoque Ariſtotele, Demoſthene et Cicerone collectarum Centurias VI. adiecit, quas in certas rurſus decades digeſſit.

b) Per varios gradus ad Baronatum eluctatus, bonis, dignitatibusque aliis ampliſſime a Ferdinando I. Rege donatus. Vltimo multis annis Palatinalis Officii in Iudiciis Adminiſtratorem egit. Ab Auctoribus Quadripartiti mox laudandi in praefatione vocatur *Vir excelſi animi, ſummaeque prudentiae, Iuris Ciuilis ſimul et patriae peritiſſimus, quem merito parentem Iuris Hungarici, quis adpellauerit.* Vide Viri immortalis laudes paſſim apud Hiſtoricos patrios, praecipue Bellum in *Notitia Hungariae,* Tomo III. in Hiſtor. Vrbis Budenſis cet.

c) Fuit Mérei Perſonalis Praeſentiae Regiae in Iudiciis Locumtenens ac ex numero ſeptem illorum virorum, qui Iuri Hungarico reformando, a Ferdinando I. conſtituti fuere. Nempe vetus fuit Hungariae querela, Iura eius luxata, multis ſcatere hiatibus, antinomiis, legibus inapplicabilibus, ſuperuacaneis. — Frequenter itaque in Comitiis Regni Status II.

Sanctionibus publicis emendationem eorum constituerunt. Iam anno 1577. in Comitiis Budensibus art. 3. electi fuere XVI. Iurisconsulti, qui vniuersa Regni Decreta emendarent et in vnum corpus redigerent, subsecuturo Conuentu confirmandum. Eam tamen piam intentionem iniuria temporum sufflaminavit. Anno 1548. Comitiorum art. 21. denuo constitutum fuit, *vt aliquot Iurium periti viri eligantur, qui Leges regni revideant, et si quid contra aequitatem, Iusque Diuinum esse videbitur, in melius reforment*, cuius rei acceleratio etiam anni 1550. art. 10. vrgetur. Atque horum Sancitorum, resultatum est *Quadripartitum*, ad quod concinnandum per regem delegati sunt, Paullus de Gregoriancz, Zagrabiensis, Franciscus ab Vjlak, Iaurinensis Episcopi, Michael de Mére, Gregorius Sibrik de Szarvaskend Consiliarius, Thomas de Kamaria Vice - Iudex Curiae Regiae, Ioannes Zombor de Pokateleke Director Caussarum Regalium, ac Martinus Bondenarius I. V. D. et Vniuersitatis Viennensis Cancellarius. Occasionem, finem, et contenta Operis, in Praefatione ad Regem anno 1552. scripta sequentibus explicant verbis auctores: In Regno Hungariae vir excellens Steph. Verböczius, rem tantopere neglectam, Statuta videlicet ipsa et Decreta, Legesque et Consuetudines Regni diuulsa, mutila et male cohaerentia, in vnum connectere volumen, in scripturamque redigere ordinatiorem adgressus, quid effecerit, opus illud Tripartitum ab eodem editum, sufficiens praebet testimonium. Clarum quidem illud, et prout in prima talis partus foetura fieri potuit, satis diligenter elimatum, atque recollectum est, omnique laude prosequendum: in quo tamen et ipso, non pauca sunt vel penitus omissa, quae omitti non debebant, vel autem aliter, quam Iuris Diuini, Naturalisque aequitas, vetusque Regni obseruatio exposcere videbatur, praesertim in negotio prolationum, Iuramentaliumque dispositionum, et aliis multis posita: (nam in quibus rebus dispositioni Iuris communis, tam Canonici, quam Ciuilis aduersatur, nec commemorare quidem operae pretium existimauimus, cum vt praefati sumus, Decreta huius Regni Hungariae ad normam regulamque Iuris illius, sicuti ab initio redigi noluerunt, ita neque redigenda sunt) --- --- Mandatorum Maiestatis TVAE tenorum secuti, Leges, Decreta et Iura Pannoniae Tuae, ab ipsis vsque primis D. Stephani Regis temporibus,

vsque ad nostram hanc aetatem edita, et extantia, diligenti examine et trutina expendimus, ex iis, quae idonea et optima visa sunt, selegimus, quae vero varia dissipata, male cohaerentia, nec satis sibi constantia euagabantur, ab omni vitio, quod animaduertere potuimus, purgauimus, superuacanea et inutilia recidimus, imperfecta suppleuimus, antinomias, iuriumque dissidia conciliauimus, quae in desuetudinem abierunt expunximus, pernitiosas Leges et mores, Diuinum ac Naturale Ius oppugnantes, ad Diuini ac Naturalis Iuris formulam, citra tamen bonarum, veterumque obseruantiae offensam, reuocauimus, antiquatis iniquis legibus, honestas atque vtiles substituimus, illaesa et inuiolata nihilominus semper obseruantes Priuilegia, nec non immunitates ac libertates Nobilitatis, insertis etiam statim ab initio illis, quibus Regalis Celsitudo TVAE Maiestatis sublimis videlicet Thronus et praecelsa Maiestas Regum Hungariae, quibusdam velut propriis et peculiaribus sibi dotibus praefulget, vna cum immunitatibus et Priuilegiis Nobilitatis Hungariae. Denique nihil praetermisimus, quod ad rectam Politiam instaurandam facere videretur, singulas materias, sub congruis titulis collocantes, proximos proximis et adiunctis adplicantes, secuti interim ex professo, quantum ratio instituti operis sinebat, ductum atque contextum et ordinem Tripartiti illius Verböczii Operis --- a cuius serie propter illius vulgatum, et per plures iam annos receptum in Hungaria vsum recedere vsum non fuit. -- -- Vsi autem sumus verbis plerumque patriis et in Pannonia TVA vsitatis, non tam curantes, quam eleganter et exquisite, sed quid? et cui? dicatur „ --- Hucusque Auctores. Totum Opus in quatuor dispescitur Partes. I.) Agit de his, quae praeeminentiam, auctoritatemque ac celsitudinem Regis ac Regni Hungariae, nec non immunitatem, vetustamque Libertatem Nobilitatis concernunt, ac de qualitate Priuilegiorum, sigillorumque et de diuersarum Litterarum, tam in Cancellaria Regia vtraque, quam etiam coram Iudicibus Regni ordinariis, et in locis Capitularibus ac Conuentualibus redemtione. II.) De modo et ordine adquisitionis Bonorum et Iurium possessionariorum, eorumque gubernatione, alienatione, venditione, diuisione, concambiali permutatione, pignoratione, praescriptione, metali reambulatione, Iurium quartalitione et dotalitiorum solu-

Medici: Ioannes Salius *a)*, Michael Pannonius, Ioannes Antonius Cassouiensis, Andreas Seling, Laurentius, Adrianus Medicus, Ioannes Vitus, Bassarati, Mathias Mechouita, Georgius Blandrata, Petrus Raymundus Amodonus, Iacobus Gregory, Tobias Kober, Ioannes Iacobus Menardus, Geor-

tione et tutelis. III.) De diuersis Regni Iudicibus, eorumque Iurisdictionibus, nec non de rerum et Causarum, praetextu praemissorum Bonorum et Iurium possessionariorum, aliorumque negotiorum mouendorum et suscitandorum Processibus, iudiciis, sententiis et earum executionibus. IV.) De peculiari Regnorum Slauoniae, Dalmatiae, Croatiae, et Partium Transiluanicarum Iure et Consuetudine: nec non Comitum et Vice - Comitum ac LL. Ciuitatum Legibus, Causarumque, ab eisdem in Curiam Regiam transmittendarum ordinibus et modis: et finaliter villanorum quoque seu Iobbagyonum et ignobilium hominum conditionibus et legibus, ac demum, de rerum ac bonorum mobilium et immobilium aestimatione sua serie tractatur. Nihilominus tamen opus tam laboriosum tantaque contentione desideratum in examine totius Regni adhaesit, vimque Legis publicae, propter rationes non hic explicandas consequi non potuit. Nihil seculo XVII. tentatum circa reformationem Iuris inuenio. Anno demum 1714. Status et Ordines Regni resumunt opus, ac art. 24. nominant Iurisconsultos idem tandem confecturos: quin alias quoque Iuris partes, nempe Militare, Politicum, et Oeconomicum ordinatis fini eo, vi art. 59. ex Statu Magnatum et Nobilium XXV. Viris reformari opportuit. Vrsit idem repetitis Mandatis Augustus Carolus VI. ac in Comitiis anni 1723. recenseri quatuor has Iuris partes, ac, tanquam Legem perpetuo valituram confirmari voluit. At vero fata Iuri Hung. inimica, hoc etiam institutum vtilissimum euerterunt, Ciuibus iam a IOSEPHO II. hoc etiam necessarium beneficium, spe firma expectantibus.

a) Scripsit hic, *de Praeseruatione a Pestilentia et ipsius cura opusculum, non minus vtile, quam necessarium* — Viennae 1510 in 4. Dedicauit auctor I. Lulaeo Camerario et Iudici Regio — Cibiniensi — Cibinii 1510. pridie Idus Augusti.

gius Vernherus, Franciſcus Hunyadi, Thomas Iordán, Paulus Kercz, Paullus Kyr, Sebaſtianus Bauzner, Laurentius Phyſicus Scepuſienſis, Ezechiel Piperell, Simón Simonides, Paulus Kramer *a)*.

Philosophi et Mathematici. Albertus Leonhardus Lasky, Wolffgangus Kovaſſotzy, Stephanus Farkas, mathematicus et aſtronomus inſignis, Leonhardus Hermann, Ioannes Honter, Emericus Vjfalui, Ioannes Banfi-Hunyadi, Andreas Dudithius, Nicolaus Hammerus, Georgius Vette, Ioachimus Rheticus, Mathias Banczai, Ambroſius Somogyi, Nicolaus Olahus *b)*.

Historici et Antiqvarii: Ludouicus Tubero, Felix Petancius, Stephanus Székely, Marcus Marulus, Stephanus Brodericus, Ioannes Zermegh, Antonius Verantius, Bernhardus Bakſchai, Georgius a Reichersdorff, Ioannes Sambucus, Martinus Brenner, Thomas Bomel, Franciſcus Forgács *c)*, Caſpar

a) De plerisque horum vide dicta fuſius apud Cl. Veſpremium in Memoria Medicorum Hungariae --- Centuria I. et II.

b) Notus eſt Olahus reipubl. litterariae, qua hiſtoricus (nam *Atila* eius, et *Hungaria* cui eſt ignota?) atque theologus: philoſophum, praecipue alchimiſtam pauci ſciunt. Scripſit is tractatum in hac materia inſcriptum: *Proceſſus vniuerſalis Viae Tincturae Rubedinis et Albedinis Alchimicae artis Magiſtri, Nicolai Melchioris, Cibinienſis Tranſiluani*, et *Gloriae Mundi, ſeu Tabulis Paradiſi* inſertum, quae dicta gloria mundi continetur in *Muſaeo Hermetico Sopho-Spagyricae artis diſcipulos fideliſſime erudienti --- Francofurti anno 1625.* Melchiorem hunc ipſum eſſe Olahum noſtrum, ſupra veroſimilitudinem docuit laude mea maior Veſprémi in *Biographia Medicorum, Hung.* Centuriae II. Part. I. p. 128. et ſeqq.

c) Diuerſus hic eſt ab altero Franciſco Forgács Archiep. Strigon, qui ſeculum ſequens eſt aſſecutus. Fuit ille Epiſcopus Va-

Heltai, Michael Brutus *a)*, Stephanus Samofcius, feu Szomosközi, Euftachius Gyulati *b)*, Paulus Gregorianczius, Ioannes Iacobinus, Michael Sigler, Georgius Hufzti, Paulus Gyulai, Michael Cferényi.

ORATORES, POETAE et PHILOLOGI: Vlricus Tobriacher *c)*, Michael Thyr, AA. LL., M. Tho-

radienfis ac fcripfit *Hiftoriam fui temporis XXII. Libris conftantem, rerum Hungaricarum et Tranfyluanicarum, quam a morte Ioannis Regis, quae anno 1540.* euenit, orditur. Manfit hucdum in MS. multorumque teritur manibus, ac Scriptoribus compluribus pro fonte inferuiuit.

a) Fuit is primum a Stephano Bathori Rege Poloniae, vt hiftoriam fcriberet Hungariae conductus. Mortuo eo, in clientelam conceffit Rudolphi Imper. 320. fl. ftipendio auctus, hiftoriographum regium acturus. Anno 1592. in Tranfyluania quo excurrerat, e viuis exceffit. Propofitum fuit Bruto illinc inchoare, vbi Bonfinius defiit, et ad fua vsque tempora hiftoriam XII. libris confcriptam producere: tametfi poftea vltra numerum conftitutum excreuerit. Conftat nempe opus libris XIII., quorum tamen poftremus definit iam in oppugnatione Agrienfi, quae ad annum 1551. incidit. Vfus eft ad fcribendum fontibus finceris. Ex his fuere commentarii de legatione Hyeronimi Lasky ad Solimannum, Vernerus de admirandis Hung. aquis, Thomae Literati Ephemerides, Francifci Forgács Annales MSS. In quibusdam etiam Iouium fecutus eft. Nec nihil contulit Duditius et Afcanii Centurii Commentarii de bello Tranfyluan. Vide haec fufius in Cl. Pray *Indice rariorum Librorum Bibliothecae - Budenfis.* Part. I. pag. 200. feq.

b) Scripfit Hiftoriam Tranfyluanicam fui temporis, qua faepe Volfgang. Bethlen vfus eft. Sub Sigismundo Bathori magnae in Tranfyluania exiftimationis.

c) Ad mentionem Viri huius, non erit abs re inftaurare memoriam libelli infcripti: *Ioachimi Vadiani Heluetii Mythicum Syntagma, cui titulus: Gallus Pugnans -- -- Viennae Auftriae ad tertium Idus Ianuarii Anno M. D. XIII.* Qui quoniam quaedam curiofa de Hungaria eius temporis habet,

mas a Zalaháza, Leonhardus Coxus a), Vitus Vinſhemius, Simon Grynaeus, Adrianus Volphardus, Hieronymus Balbus b), Valentinus Ecki-

praefationem eius ad Ioannem Putſch Eccleſiae Viennenſis Praepoſitum - integram inſerere non piget. " Cum nuper Budam -- ego et Georgius Collimitius, Mathematicus et Medicus, inferioris Pannoniae Metropolim, celerrimo itinere perducti attigiſſemus, praeter alia complura, quae inibi maxima cum voluptate ſumus expiſcati, animaduerti etiam, priſcam illam inter Gallos certaminis palaeſtram ſtatiuis in ſingulos annos feriis, multo ſpectatorum deſiderio ſolitam exerceri. Quam, quia adeo celebrem maioribus fuiſſe, antea me et Plinius et Aelianus docuerant, quorum alter Pergami, omnibus annis Gallorum ſpectaculum ceu gladiatorium, editum, alter Athenis, poſt Themiſtoclis de Perſis obtentam victoriam, quotannis inſtitutum fuiſſe aſſerit: quaedam me quaſi ſcabies ludendi quicquam in eam rem, ſtylo remiſſiore, horisque ſaltem ſecundariis corripuit, idque vt perſequerer, me eſt hortatus humaniſſimus, nec protritae eruditionis Vir, Vlricus Tobriacher, qui tum ludo litterario praefectus nos et humaniter, et eleganter non ſemel excepit, cuius efflagitationibus audacior factus, foeturam ſubita feſtinatione conceptam, ſubito etiam partu, nec per praeſcriptos menſes ematurato, fere inuitus edidi, -- -- Vale ex collegio Principis Viennae -- Idibus Decembris Anno M. D. XIII.

a) Fuit is prius Henrici VIII. Regis Angliae pedagogus. De eo Conradus Sperfogel in Annalibus Leutſchouienſibus, apud Cl. Vagnerum in *Analect. Scepuſ.* Part. II. p. 140. ad annum 1520. haec habet: *In Vigilia S. Gertrudis eſt aſſumtus in Rectorem Scholae* (Leutſchou.) *Leonhardus Coxus de Anglia* (per Poloniam variis fatis iactatus) *Poëta laureatus manſit 2 1/4 annis, receſſit Leutſchouia 1521. ad Feſtum Lucae, et ſuſcepit ſcholas Caſſouiae.*

b) Seculo adhuc ſuperiore ſcripſit ad varios epigramata varia, oppido elegantiſſima, quae collecta, edita ſunt inſcripta: *Hieronymi Balbi V. I. D. nec non poëtae, atque oratoris inſignis, opuſculum Epigrammatum 1494.* Sunt in his, ad Ioannem Vitézium Ep. Veſzprimien. Michaelem Vitéz, quem

us *a)*, Georgius Frangepani, Valentinus Cybelei *b)*, Benedictus de Bekeny *c)*, Philippus More, Iacobus Piso *d)*, Stephanus Piso, Michael Sztarai,

vocat adolescentem non nimis amusoteron. Vt in praesens alia eius opera taceamus.

a) Fuit is Lindanus, quem Rudolphus Agricola popularis eius, Cracouiam ad studia pertraxit. Venit hinc ad Alexium Turzonem Camerae Regiae in Montanis praefectum, Bartphae post factus scholae Rector, vltimo Syndicus. Vir litteris humanioribus excultissimus: id, quod multa opera eius, quae iam producere non vacat, arguunt. Vide plura de eo in *Ianocianis Vol. I. p. 62.*

b) Scripsit *Opusculum de laudibus et vituperio Vini et aquae Valentini Cybelei Canonici Ecclesiarum, Quinque Eccl. et Albensis! Hagenau ex Academia Thomae Anselmi, 1517.* Constat foliis 27. in 4. Occasionem scribendo Schediasmati porrexit disputatio sympofiaca apud Michaelem Praep. Colocsensem inter eum et Ladislaum Macedonem, Quinque Ecclesiis agitata de problemate: Vinum an aqua praestantior?

c) Fuit is (Stylo Curiae Hung.) Protonotarius Palatinalis, non minus Poëta venustus. Edidit *Iani Pannonii Quinque Ecclesiarum Praesulis, Poëtae candidissimi, Elegiarum aureum opusculum. Extant* (pergit) *auctoris eiusdem Poemata plurima, quae in manus-Studiosorum proxime ventura sperantur.* Sequuntur tria Disticha Camersii *ad egregium Virum, Dominum Stephanum* (Verbötzi) *Maecenatem alterum.* Quatuor ieiuniores Francisci Zelei, Vaciensis et Poson. Eccl. Canonici ad lectorem. Praefatio pag. secunda *Egregio Domino Stephano de Verbeucz Patrono suo inclytissimo Benedictus de Beken S. D.* Queritur in ea, Vngaricam nationem propter bella continua, non posse explicare dotes animi; gratias agit pro missis poematibus Iani - rogatque etiam reliqua mitti, Datae sunt litterae anno 1514. Kalend. Martii. Impressum opusculum in 4to sine anno per Hieron. Victorem et Ioan. Singrenium.

d) Carmina quaedam eius edidit Georgius Vernher ita inscripta: *Iacobi Pisonis Transiluani, Oratoris et Poëtae excellentis Schedia. Viennae Austriae excudebat Michael Zimmerman an-*

Andreas Batizi, Georgius Deidrik, Georgius Göntzi, Petrus Ilosuai, Casparus Zeituogel, Michael Rustle-

no M. D. LIIII. in 4to. Dedicauit editor Opusculum Francisco Vjlaki Episc, Agriensi. Sensum eius dabimus. De Primate primum, Ladislao Zalkány ita: Patriam suam discendi causa nunquam egressus ita eminebat, vt cum egregie eruditis cuiuscunque nationis comparari posset. --- Hoc pluris ab eo fiebant Gaspar Vrsinus Silesius, et Tranquillus Andronicus Tranqurinus, Oratores et Poetae excellentes -- quod et ipse carmen facillime scriberet, scriptisque et sermonibus illorum apprime delectaretur. In hac Societate etiam Vjlaki cognitus est Vernhero, cuius laudes iam praedicat. Pisonem vero postquam in vita amauisset editor, Carmina eius post mortem vindicauit. A facilioribus initium fecit. De Pisone ipso haec habet: Transiluanum origine fuisse, honesto loco natum, in Italia sic excultum, vt duo summi Pontifices Iulius II. et Leo X. eo in legationibus amplissimis vti non dubitarint. Ornatus etiam est a Maximiliano I. Imp. laurea. --- Reuersus in patriam, datus est Ludouico II. Regi praeceptor, cum prius Alexium Turzo praeclara gente natum feliciter docuisset. Scribebat haec editor Viennae calend. Maii 1553. Sunt praecipui ad quos Piso scripsit, Pierius Gracchus, Ladislaus Zalkány, Philippus More Ep. Quinque Eccl., Vrsinus Velius, proprius eius Frater, qui Romae vna cum eo didicit et pecuniam inaniter prodegit. --- Epitaphium hoc sibi fecit:

Christe tuas cecini viuo qui pectore laudes;
Mortuus hic Piso nunc iaceo et taceo.

Confusis, post cladem Mohacsianam rebus, perdidit Piso, quae habuit omnia. Itaque Velius scripsit Strigonio an. 1527. die 10. Decemb. ad Erasmum: *Piso mense Martio spoliatus bonis omnibus, credo animi dolore, Posonii diem suum obiit.* Epist. Append. 344. Alibi vocatur ab Erasmo; cui dono miserat duo antiqua numismata Epist. 838. Praepositus (vero similiter Posoniensis) Inedita eius Carmina prostant nunc in Bibliotheca Budensi.

rus, Sigismundus Dauid Cassai *a)*, Stephanus Taurunus *b)*, Bartholomaeus Pannonius, Christianus Schaeseus, Paulus Rubigal, Ioannes Antonius Cassouiensis, Ioannes Makrus, Martinus Berzeuitzi, Gregorius Molnar, Basilius Fabricius Szikszai, Leonhardus Mokossiny, Nicolaus Bogati, Valerianus Maderus,

a) Hunc Philippus Melanchon in litteris die 27. Martii 1545. in haec verba Petro Comiti de Perény commendat: — *Te obtestor vt hunc Sigismundum, virum honestissimum, non solum Lingua Latina et Graeca, sed etiam doctrina ecclesiastica praeclare eruditum complectaris — — Iam curandum est, ne desint seminaria doctrinae ac virtutis.*

b) Scripsit is in 4. ita inscriptam: *Stephani Taurini Olomucensis Stauromachiam id est, Cruciatorum Seruile Bellum, quod anno ab orbe redemto post sesqui millesimum, quarto decimo, et Pannoniam, et collimitaneas Prouincias, valde miserabiliter depopulauerat: In quinque libros summatim digestum. Eiusdem Index eorum, quae in hoc opere visa sunt annotatu digna. Viennae Pannoniae per Ioannem Singrennium.* Praefatio scripta est Albae Iuliae, in aedibus (vt scribit) nostris, pridie Nonarum Martii M. D. XIX. In Dedicatione ad Georgium Marchionem Brandeburg. tutorem Ludouici, dicit se Strigonii in aula Cardinalis Thomae scripsisse: dum iam ad finem properaret, de repente ad ecclesiam Albensem Transiluan. adscitum esse, in qua Episcopi Francisci de Varda Vicarium nunc agat. Sepositum paulisper librum propter morbum, ex quo se Andreas Seling Medicus Cibinii restituerit. Inter adplaudentes, fuit etiam Franciscus Siculus Transilvan. Viri magni, quorum cum laude fit mentio, sunt Thomas Bakacs, Ioannes Bornemisza, Ioannes Mezerzius Archidiaconus Claudiopol. — Patet ex opere, Taurunum, Inscriptiones Romanas in Transiluania repertas diligenter interspersisse. Haner in *aduersariis de Scripp. de rebus Hung.* p. 109. falso putauit, Inscriptiones has, separatum esse opus.

derus, Franciscus Töke, Gabriel Szent Györgyi a), Petrus Huszti, Petrus Kákoni, Laurentius Armbruszter, Ioannes Sommerus, Stephanus Fabri Szathmari, Stephanus Számosi, Alexander Szomosközy, Sebastianus Tinódi b), Sigismundus Torda Geloi, Demetrius Tsanadi, Andreas Valkai, Ioannes Kran-

a) Fuit is a Secretis Thomae de Nadasd Palatini. Scripsit *Elegias aliquot de aerumnis Pannoniae inferioris*, editas Vittebergae 1552. 4. Scripsit etiam epicedium in mortem Pauli Istuansii de Kisassonyfalua, et filiae eius Elisabethae.— Interfuit quoque Colloquio Csepregiensi ab Illustriss. Comite Francisco de Nadasd, anno 1591. die 2. et 3. Iunii instituto.

b) Omnium hoc seculo plurima scripsit ligata oratione hungarica. Occasionem suppeditarunt plerumque bella, Turcicum et alia, ac memorabilia reliqua sui temporis. Itaque legas inter opuscula eius, de interitu Budae, et Valentini Török, captiuitate Electoris Saxoniae, de Szitnya Leua, Csabrag arcibus — — Memoria dignum est, cum res ad Agriam anno 1552. gestas cecinisset, Carmina eius coram Ferdinando I. Rege laudata fuisse. Dedit itaque Imperator in mandatis Ioanni Sambuco, vt ea latina faceret: Vnde enata est *Narratio* eius *rerum ad Agriam anno 1552. gestarum*, Stephano Dobo de Ruska Agriae fortiss. defensori dicata, subiunctaque Epitomae Rerum Hungar. Ranzani — Viennae excudebat Raphael Hofhalter anno 1558. vid. Cl. Denisii Viens Buchdruckergeschichte p. 561., quae nos ex ea, vti etiam complura alia, ad periodum hanc spectantia in rem nostram conuertisse, gratitudinis ergo profiteri iterum interest. Secuti sunt Tinodium, vel antecessere multi poëseos hung. cultores, vtpote, Andreas Batizi, Mathias Deuai, Stephanus Szegedi, Michael Sztarai, Steph. Kopácsi, Mathias Chierni, Demetrius Csapodi cet. Paulus Huszár, Petrus Melius, Petrus Bornemisza, et Georg. Gönczi V. D. M. Debrecinensis, Hymnos sacros primi collegerant, variisque Locis imprimi curarunt. At vero omnium horum ars metrificandi, ex habitu seculi examinari debet. In latina tamen Poësi plerique insignes fuere artifices.

tzytz, Leonhardus Vncius, Caſpar Frank *a)*, Ioannes Telegdi, Paulus Malus, Ioannes Garai, Martinus Rakovſzky, Georgius Thúri, Valentinus L. B. Balaſſa *b)*, Georgius Vernher, alter Georgius Vernher Caſſouienſis, Ioannes Rhau, Nicolaus Gabelmannus *c)*, Franciſcus Hunyadi, Valentinus Graeuius, alias Bacfort inſignis muſicus, cui Paduae mortuo, teſte Tröſtero, ſequens eſt poſitum epitaphium:

a) Fuit is Caſſouiae in Camera Regia, Rationum latinarum Magiſter, qui ſcripſit et edidit in Recuperationem anno 1598. Iaurini, et Varadini anno ſequente defenſionem. Prius illud ita habet: *De recuperato Iaurino ad illuſtres et magnificos Heroes DD. Adolphum a Schuarcenberg etc. Nicolaum Palfy etc. eiusdem Praeſidii expugnatores, praeclaros, prudentes et fortiſſimos.* Elegantem fuiſſe poëtam docet carmen. En documentum:

Troia dolis periit, Sinanis fraude, Sinanus
Iaurinum, et foeda traditione capit.
Rurſus vt aeterno Duce, numine, vindice magno
Caeſare et Auſtriaca belli gerante domo
Vincitur haud aſtu, ſed fraetis robore clauſtris,
Et valido caeſis cominus enſe Getis.

b) Hungaricus is Pindarus audit noſtris, propter carmina fuſa ſuauiſſime, quorum praeter typis frequenter expreſſa, quam plurima, in eruditorum bibliothecis ſuperſunt MSS. Auctor ipſe, anno 1594. in oppugnatione Strigonii, glande plumbea foemur vtrumque traiectus in flore aetatis, occubuit. Vid. Iſtvanfii Hiſtor. Lib. XXVIII. p. 386. Edit. Colon. 1724.

c) Iſtuanfius Hiſt. Lib. XXX. p. 432. ita de infauſto eius in pugna cum Turcis ad Kereſzteſum infelici ad annum 1596. interitu, inquit: *Periit etiam Nicolaus Gabelmannus, Vir Germanus, qui vt res in Pannonia aduerſus barbaros geſtas litterarum monumentis, poſterorum memoriae transmitteret, a Nádasdio Caeſari fuerat commendatus, ac in caſtra ſe contulerat, vt eorum, quae ſcribenda ſibi propoſuiſſet, pars*

Valentino Graeuto — e Transfyluania Saxonum — oriundo, quem fidibus, nouo plane, et inufitato artificio canentem audiens aetas noftra, vt alterum Orphea admirata obftupuit. Obiit anno 1576. Idibus Aug. vixit annos 69. — Adiungi huic meretur Valentinus Miska in Mufica theoretica et practica vir excellens organorum pneomat. Leutfchouiae magifter.

Neque praetereundae funt Illuftres Heroinae doctae, Catharina nempe de Frangepannibus, cuius fuperius habuimus mentionem, atque Grifeldis Bathorea, Chriftophori Bathori filia, Ioannis vero Zamofcii R. Polon. Cancellarii coniux *a)*.

§. 4.

Spectemus iam fata Vniuerfitatum et Scholarum illuftrium. Duas ex fuperiore illo, Seculum hoc fpectauit Academias, *Quinque Ecclefienfem et Budenfem*, non tamen diu fuperftites, faltim non intemeratas. Budenfes certe tam docentes, quam

foret, fubiectaque oculis, fidelius commemoraret. Quo autem cafu perierit, in pugnane, an eius nocturnae fugae tumultu, incertum eft: quum poftea a nemine vifus, nec quicquam de eo auditum aut compertum fit. Edidit tamen prius iam quaedam huc fpectantia fub titulo: *Nicolai Gabelmanni Monomachiae Hungaro - Turcicae Libri II. Patauii 1590. in 4.* Opus feftiuum metris elegantibus inclufum. Fuit Gabelmannus, priusquam hiftoricum Regium ageret, Rector Gymnafii Kesmarcenfis.

a) Omnibus elegantioribus litteris mire ornata fuit, linguamque latinam tam probe calluit; vt cum heroe marito fuo, haud aliter, quam latine loqueretur. Afferuantur in Zamoifcenfi Bibliotheca Academica coniugum illorum Illuftrium epiftolae mutuae, Sermone latino, propriis ipforum manibus fcriptae Vid. Ianociana Vol. II. pag. 12.

discentes, audita infausta pugna, anno 1526. Mohacsiensi, adeo clades haec perterruit: vt in fuga optimum salutis praesidium rati, qua quemque sors ferebat, dilaberentur. Simon Grynaeus, Vitus Vinsheinius, Ioannes Langus, qui cum laude varias docuerunt disciplinas, vnde venerant, in Germaniam redierunt. Atque ita domicilium hoc bonarum artium celebre, cum vix annis LX. stetisset, Collapsum, vltra sesqui Seculum, Buda sub Turcica tyrannide gemente, in ruinis iacuit. — Quinque Ecclesiensem benigniora paululum fata manserunt. Aiunt quidem scriptores, CCC. studiosos eius, cum doctore suo, pugnae Mohacsianae interfuisse, atque gloriosam pro patria mortem oppetiisse: nihilominus tamen, studium non penitus intercidit. Sunt documenta, ex quibus condiscas, si non floruerit, saltim lacinias quasdam post hac superfuisse. Ad annum 1552. Petrus Illicinus I. V. Doctor et Canonicus Strigoniensis, vir, qui iam prius Cracouiae graecas docuit litteras, scholae huic Quinque Ecclesiensi (Péterffi in Concil. Hung. Par. I. p. 318. Academiam vocat) regendae admotus est: cui muneri, ne auctoritas deesset, Praeposituram S. Thomae ad Strigonium, circa annum 1558. accepit. Nihil post haec memoriae de ea proditum reperio, estque verisimile, protensa et confirmata tyrannide Turcica, penitus euanuisse. Successura his fuerat *Claudiopolitana* in Transyluania a Stephano et Christophoro Bathoriis fundata, opimisque praediis, Monostor, Bacs, Iegenye, Bogártelke, Tiburtz, et Kajantó locupletata, ac inductae Societati Iesuitarum an. 1579. regenda tradita: non tamen maturitatem Seculo hoc consequi potuit. Societate etenim hac, flagrantissime id ordinibus postulantibus, ex Transyluania a Sigismundo Bathori anno 1558. proscripta, Academia suapte corruit. Nullam amplius Seculo hoc vi-

dit Hungaria Vniuersitatem, Rege, Statibus et Ordinibus Regni inclitis, non tam de cultura, quam defensione patriae sollicitis. Neque tamen curam hanc abiecerunt penitus. Sane admirari oportet, proximos naufragio Ordines Regni, Rem litterariam pro obiecto consultationum publicarum dignatos fuisse, omnimodoque vitae adminicula, et docentibus, et discentibus procurare intendisse: vti id Sanctiones in Comitiis Regni latae saepius, condocent abunde. In Comitiis v. g. Posonienfibus anni 1548. Articulo XII. vnanimi statuerunt consensu: vt *Bona et prouentus Monasteriorum et Claustrorum desertorum — ad instaurationem et erectionem Scholarum, earundemque Magistrorum intertentionem, ac denique bonae spei et indolis Iuuenum et adolescentum, vt bonis litteris operam dare possint, promotionem et auxilium applicentur et conuertantur: quo tali ratione, boni et docti viri alantur et nutriantur:* Biennio post idem repetunt status in Comitiis Posoniensibus Articulo XIX. Ferdinandum I. Regem suppliciter rogantes; *vt dignetur*, (sunt verba Sanctionis) *Bona et Prouentus Ecclesiarum, et Capitulorum, Conuentuumque desertorum, ad erectionem scholarum, doctorumque virorum sustentationem, sine diuturniori mora vbique conuerti facere a).* Non minori cura complectebantur Principes et Optimates Transyluaniae studia litteraria: id, quod Statuta in Comitiis Albensibus annorum 1557. 1565. 1566. cet. docent abunde. Atque ne verbis solum huncce litterarum progressum promouere viderentur: ipsi certe, imo communitates etiam ciuitatum, mascule manum ad-

(a Ne Senatusconsultum intra verba subsisteret, Rex Ferdinandus Georgio Bornemisza Praeposito Scepusiensi anno 1565. die 21. Nouembris, sub ipsis Comitiis, hac conditione bona Claustri Lapidis Refugii contulit: *vt probos doctosque moderatores, qui Scholis praeessent, aleret.*

mouerunt operi adeo; vt vix fuerit Magnas, vix Vrbs atque municipium, qui non Gymnasium, studiis altioribus *a)* propriis aperuissent sumtibus *b)*. Age videamus ex multis, illustria quaedam: Bartphense *c)*, Gyulense, Erdödiense, Békesiense, Lip-

a) Habet id prae Germania patria nostra, quod vltra medium seculum prius Gymnasia illustria instituerit, quam id ibi factum est. Cel. Heumannus in Conspectu Reipubl. Litt. Cap. IV. §. 56. I.) ipse fatetur: *Seculum XVI. Academias et Scholas Grammaticas habebat, mediis scholis, quas vocamus Gymnasia, carebant ciuitates.* Quare Andreas Hyperius, vir non vulgaris, in *opusculis theologicis Basileae an. 1570.* editis pag. 305 -- 363. singulari libro suadet, vt instituantur noua Collegia, hoc est, eiusmodi in quauis prouincia scholae, in quibus tractentur, Theologia, Philologia, et Philosophia. Putat scilicet, talibus in scholis adolescentes melius, ac certius addiscituros esse discenda, quia ibi maior sit disciplina, cum academicos studiosos reddat segnes summa morum licentia. Subiuncto in libello pag. 364. -- 436. docet, tale gymnasium, non debere carere annuis examinibus publicis, maxime theologicis. Ac valuisse hoc Hyperii Consilium, nata postea gymnasiorum multitudo, testis est. Felix igitur Regio, in qua, praeter grammaticas scholas, et gymnasium, laete floret et accademia. Talibus institutis, vti Hyperius voluit, ante medium seculi huius, conspicua, gymnasia, fundata fuisse, quae producimus, certum est.

b) Docuit frequentiam hanc, Ioannes Rezikius vasto opere inscripto: *Gymnasiologia Euangelica Hungariae.*

c) Gymnasium hoc, cum toto seculo, sub Valentino Ecckio, Thoma Fabri --- tum praecipue sub Leonhardo Stöckelio, fuit frequentissimum, celeberrimum. Tota fere Hungaria concurrebant iuuenes ad eum: vt praeceptor Hungariae dici mereatur. Magnatum filios, quam plurimos, in his Reuaios educauit. Immo ipse Episcopus Agriensis, Antonius Verantius, Euangelicis ceteroquin non semper aequus, affinem suum Hieronymum Domitium, ad quem hic com-

paiense, Zagrabiense *a)*, Banouicense *b)*, Eperiense, Cassouiense, Leutschouiense *c)*, Schemnitziense, Cremnitzense, Neosoliense, Posoniense, Sopronien-se, Bicsense, Tholnense, Szikszouiense, Neerense

morantem epistolam illius datam vide in Schmitthii *Episcopis Agriensibus Tom. III. pag. 86.* ad Stöckelium, erudiendum misit. Quare subit mirari Cl. Vagner, quod in *Analectis Scepus.* Part. II. pag. 59. cum ex Chronicis Leibitzerianis ad annum 1560. diem 7. Iunii adnotasset: *Mortuus est doctissimus M. Leonhardus Stoekelius Rector Scholae Bartphensis, et vir bene meritus de tota Hungaria* — in nota dubius dicat: *meritus ne sit an secus?*

a) Gymnasium aetate hac non incelebre fuisse patet ex opusculo: *Oratio in Introductione ac Installatione Reuerendiss. ac amplissimi Domini D. Volffgangi Gyuulay Episcopi almae Ecclesiae Zagrabiensis, ibidem in templo cathedrali, per Reuerendis. ac eximium D. Paulum Lectorem Canonicum ac Vicarium eiusdem Eccl. Zagrab. etc. in maxima doctissimorum Virorum et optimatum Regni Slauoniae corona, populique frequentia habita anno salutis nostrae 1549. die 24. Febr. Viennae Austriae, Ioannes Carbo, et Aegidius Aquila excudebant Anno 1549.* Post orationem sequitur epistola, ad eius auctorem, *Ioannem Krautzitz Capituli almae Zagrab. Ludimoderatorem*, a Georgio Petrinai submontano cui excudenda Viennam missa erat, scripta.

b) Iam sub initium seculi huius floruisse, ostendit Daniel Krman in Hist. Eccl. Hung. vbi dicit, in templi Banou. sub primordia seculi XVII. restauratione facta, repertam esse inscriptionem sequentem: Epitaphium optimae indolis et spei Iuueni Tobiae Baticio Veliceno in cursu studii litterarii A. C. 1527. die 29. Febr. metam vitae ante studiorum metam abrumpenti, et in beatam vitae aeternae Academiam transcripto, erectum a studiosis scholae Banoicensis Euangelicae.

c) Floruit ea magnopere, sub Rectoribus, Daniele Türck, syndico post, ac vltimo praetore Ciuitatis, ac M. Antonio

ſeu Straſenſe *a)*, Cſepregienſe, Galgocenſe, Moſſovienſe, Selyenſe Ieſuitarum, paulo poſt Tyrnauiam translatum, Riuulenſe, Debrecinenſe, Magnovaradienſe, Saros Patakienſe, Coronenſe, Cibinienſe, Schaesburgenſe, Claudiopolitanum, Alba - Iuliacenſe, Nagy Enyedienſe.

§. 5.

Id mireris, cum in tanta virorum eruditorum, et aliorum ad rem litterariam inſtitutorum ſpectantium copia, complures fuiſſe inſtructiſſimas in regno Bibliothecas, in promtu ſit credere, paucarum, ex defectu hiſtoriae litterariae, ad nos perueniſſe memoriam. *Budenſis* maligno eodem cum Vniuerſitate hauſta eſt fato. Perſtitiſſe eam ad annum 1526. vtcunque ſaluam *b)* conſtat inter Scriptores:

Platnero, vnaque ſyndico vrbis, vltimo paſtore Eccl. primario. Ad analecta eius ſpectat, leganiſſe ei Teſtamento, anno 1587. Gregorium Trübel opulentiſſimum metallurgum fl. 100. vid. Analecta Cl. Vagneri Part II. p. 15.

a) Inſtituta ea fuit a Gregorio Horuath Stanſich, viro immortali, de quo ſupra nobis ſermo fuit, anno 1584. ſed cum parente anno 1597. die 4. Ianuarii elata, filiis minorennibus, Marco et Balthaſaro tutelae amplif. Senatus Bartphenſis, priore etiam ſcholae elati, commendatis. Singulare fuit inſtitutum, diebus dominicis et feſtiuis, conciones S. ac integrum cultum diuinum in Gymnaſio hoc, idiomate latino celebratum fuiſſe. Inter doctores, ex quorum Inſtitutione multi magni viri prodierunt, fuerunt: Albertus Grauerus, Theologus dein Summus Ienenſis, ac Superintendens generalis Saxo - Vinarienſis, Erhardus Dalheimius. —

b) Non penitus a Vladislao etiam Rege fuiſſe deſertam patet inde, quod inueniam, fuiſſe ei ſcriptorem Librorum Regiorum, Paulum, et Miniatorem Librorum Regiorum Abbatem de Madocza.

qui tamen in contraria euntes, alii hunc eundem ei annum, extremum, accepta clade Mohacsensi, cum Solimannus Budam, panico perculsis terrore Hungaris, cepisset vacuam, statuunt; alii vero ad annum 1541. post obitum Ioannis de Zapolya, capta iterum astu a Tyranno Vrbe, referunt. Mihi perpensis sententiae vtriusque argumentis, vero videtur simillimum, vice neutra, rapaces effugisse manus hostium. Anno etenim 1526. etsi quidem igne non saeuierit in arcem, in qua thesaurus hic depositus fuit, tyrannus: non tamen temperasse a rapinis, iam statuae illae tres nobiles, quas Constantinopolim deuehendas, et in hyppodromo locandas iussit, condocent. Et quomodo potuisset auarissimum hominum genus, volumina, aureis argenteisque obducta laminis relinquere intacta? In quantum tamen malum id se extenderit, nemo determinabit. At illatum tantum non esse, vti initio fama ferrebat, et suspicax arripiebat animus, lubens admitto. Maiorem saltim his eos, qui et biennio illo, quo Ferdinandus rerum Budae potitus est a) et in altera vrbis a Solimanno inuasione, atque temporis successu, diuersis perierunt tempestatibus, constituisse numerum, assumserim pro certo. Quaenam fata reliquias has laceras sesqui fere seculo, donec barbaram cum vrbe ferre cogerentur seruitutem, manserint: diuinabit quisque facile, qui Turcarum erga litteras meliores, perspexerit studia. Lambecius auctor est, in antrum quoddam squali-

a) Multi eius dediti litteris aulici, vrbem hanc id temporis negotiorum Regis caussa adire solebant, quos non recessisse vacuos, si quid mercium huiusmodi asportari poterat, facile est diuinare. Re vera autem ita esse factum, multis exemplis, inprimis a Ioanne Fabro, magnae apud Ferdinandum auctoritatis, docet Cl. Schier in Dissertatione, *de Bibliothecae Budensis Ortu, Lapsu, Interitu, et Reliquiis.* p. 46. litt. b. cet.

dum, ausu nefando coniectas, negligentissimeque habitas, licet, ne christianis paterent, omni industria, imo pertinacia clausas, situque, et puluere obductas, murium et tinearum escam fuisse. Tanto itaque magis, non docti modo, sed Principes etiam Viri, omni adnisi sunt studio, et liberalitate; quo has barbarorum perrumperent catastas. Petrus Pazmanus certe, 30000. florenorum rh. genus ceteroquin auarissimum, emollliturus si posset, successu tamen irrito λύτρον promisit. Leopoldus vero Imperator, per Comitem Leslaeum suum Constantinopoli Legatum, emancipationem eorum enixissime, itidem frustra contendit: vsque dum felicissimo sydere, anno 1686. victricibus armis, Buda Turcis erepta, quicquid hic loci fuit reliquiarum, in Augusti peruenerit potestatem. Quam vero infra spem, comparuerint tenues, Catalogus ab Illustri Pflugio vulgatus docuit. Vix trecenti numerabantur, iique etiam plerique perexigui vsus, qui omnes, proximis ab expugnatione Vrbis, diebus, Vindobonam deuecti, Palatinaeque Bibliothecae illati, securum reperierunt salutis asylum. Fuere non minus alii, qui cimelia haec Bibliothecae Budensis, variis per Europam ac Asiam casibus iactata colligerent, maiori mox, mox tenuiori, vti fortuna adspirabat, prouentu. Sunt in his Augustus Dux Brunsuicensis, Joannes Cuspinianus, Ioannes Faber, Ioannes Sambucus, Car. Franciscus Comes Marsigli: imo vix est fere illustrior Europae Bibliotheca, quae non vnam, ac alteram gemmam Budensem ostentet. Sed de his hactenus. Secunda est *Strigoniensis*, eodem Turcico diluuio periit: multos tamen codices in Augustam Viennensem peruenisse, Cel. Franc. Adamus Kollar testis est. Vid. Nicolai Schmitth Episcopos Agrienses Tom. I. p. 369. Quae fata *Magno - Varadiensem*, de qua ad seculum superius

dictum est, manserint, nihil pro certo affirmare habeo: non tamen vanis inducor coniecturis, vt credam, saluam, inter tot conuersiones patriae mansisse, imo auctiorem, et illustriorem, inducto Gymnasio et typographeo celeberrimo, atque viris doctissimis, Vrbem hanc illustrantibus, instructam fuisse. Neque praetereunda est, *Leutschouiensis*, cuius parietiebus varia memorabilia inscripta fuere. Inter haec, ad annum 1513. *Ioannes Henckel, a quo plurimos libros bibliotheca habet, ex Archidiacon. et Canon. ac Vicariatu Varadinensi postulatur* (nempe ad Parochiam Leutschou.). Vnde patet, iam prius, nempe seculo superiore eam exstitisse. Vid. Cel. Caroli Vagner *Analecta Scepus. Part. II. pag.* 347. *seqq. Scepusiensis* Ven. eiatis Collegii, de qua, ad seculum sequens, vberior nobis redibit memoria. Nouam hoc seculo institutam fuisse, eamque inter principes suae aetatis, *Coronae* in Transiluania, Ioannes Honterus auctor eius, in libello *Reformationis Ecclesiae Coronensis*, Cap. *de scholis* ita docet. *Ac ne quicquam adminiculorum Religioni conseruandae deesset, etiam constructa est pro necessitate studiosorum Bibliotheca publica, omnigenis bonis auctoribus, theologis, medicis, iureconsultis, ac ceteris politioribus pro nostra mediocritate referta.* Aucta ea fuit compluribus codicibus MSS. ex Bibliotheca Budensi; vnde quantum ei pretii accesserit, nemo non videt. Georgius a Reichersdorff inquit, bibliotheca hac, nullam in Pannonia post dissipatam Budensem, cultiorem vsquam fuisse. Inter priuatas Virorum doctorum memoranda est, *Augustini Olomucensis* seu *Kaesenbrod*, de qua Ioannes Cuspinianus in dedicatione *libelli de Lapidibus pretiosis* anno 1511. Viennae, ita ait: *Quis Te vno Bibliothecam habet variis, rarioribus, melioribusque libris, in omni disciplinarum genere refertiorem. Taceo antiquitates insignes, omit-*

to Caesarum, *Consulumque*, *ac regum vetustissima numismata*, *quibus apud nostrates*, *nemo est Te ditior.* — Ingens laus! Viennae in tanta virorum doctorum frequentia non habuisse superiorem. Scrutatus erat ipse vir hic eruditissimus omnia haec Budae apud Augustinum diuersatus. — — De hac bibliotheca scribit Episcopus eius Stanislaus Turzo ad Ioannem Schlechta: *Reliquit* (nempe Augustinus mortuus) *certe egregiam et frequentem librorum suppellectilem Ecclesiae nostrae Olomucensi.* Memoriam quoque merentur, *Francisci de Frangepanibus*, qui in Testamento anno 1543. condito, apud Pray in specim. Hierarch. Hung. Part. II. pag. 80. omnes libros suos, qui erant apud sororem eius Catharinam Frangepan, et domi, et Venetiis, legauit Ecclesiae Agriensi; *Stephani Kis Szegedini*, Tasnadini ei erepta, *Mathiae* cuiusdam *Chwnys*, qui ad annum 1513. queritur esse exustam — Fuisse iam nunc inter nationes etiam quae nobis barbarae audiunt, in Valachia et Moldauia Bibliothecas instructissimas collimare licet ex dedicatione Michaelis Neandri praemissa libro: *Nili Episcopi et Martyris capita*, *seu praeceptiones de vita*, *pie*, *christiane*, *ac honeste exigenda*, *graeco-latine*, *a Michaele Neandro Soraviense conuersa*, *et exposita. Basileae 1659. fol.* Vbi haec legas: *Meum auctorem (Nilum) reperiit aliquando in bibliotheca quadam vetustissima*, *apud Barbaros plane homines in Valachia Ioan. Honterus Coronensis*, *vir doctissimus*, *et de litteris in patria sua Transiluania optime meritus*, *linguarum*, *et totius antiquitatis studiosissimus*, *dum eius regionis*, *et vicinae Moldauiae bibliothecas excussit; plura autem procul dubio reperturus*, *et cum studiosis communicaturus fuerat*, *si eum virum*, *quemadmodum etiam Vagnerum*, *vtrumque doctissimum*, *et linguarum cognitione eximium*, *et Transiluaniae suae lumina clarissima*, *fata minus aequa*, *ei terrae*,

et publicae etiam vtilitati non inuidissent. — *Eum auctorem* (Nilum) — — *cum amici ex Transiluania ad nos misissent, vt publici eum vsus faceremus, ex graeco in latinum conuertimus.* Valebunt haec, quae hucdum dicta sunt, eo, vt occasionem viris doctis praebeant, digniores, quas certe frequentes fuisse, nullum est dubium, ab obliuione vindicandi. De Bibliotheca Sambuci celebratissima, vel ideo nihil diximus, quod Hungariae nunquam illata fuerit.

§. 6.

Neque praetereundae Typographiae, insignia litterarum vehicula. Prima omnium est seculo hoc *Coronensis*, cuius auctor fuit Ioannes Honterus, theologus, historicus, poeta, orator, mathematicus, astronomus, geographus insignis. Redux iam 1533. Basilea, vbi complures exegerat annos, typos simul, et typographos deduxit Coronam, ibidem propriis erexit officinam impensis; protinusque opuscula sua geographica, et Lutheri, atque Augustanam Confessionem, prelo subiecit. Secutae sunt hanc illico, in Hungaria et Transiluania complures, *Bartphensis*, *Neosoliensis a)*, *Vilagos - variensis b)*, *Csepregiensis*, *Kereszturiensis*, *Galgoczensis* Valentini Manskouitz, *Német - Vjuariensis c)*, *Sar-*

a) Fuit ea Christophori Scholtzii. Anno 1578, mense maio impressa est *Confessio Montanarum Ciuitatum*, in Synodo Schemnitziensi, ab omnibus earundem V. D. Ministris anno 1559. die 5. Decemb. subscripta Ferdinando I. Imp. ac Archiepiscopo Strigoniensi Nicolao Olaho exhibita.

b) Stephanus Böjte edidit in ea opusculum inscriptum: *A Keresztény tudománynak rövid Summája* — — *Vilagos - Váratt. 1582. 8.*

c) Idem Böjte curauit imprimi in ea anno 1528. Florum Hungaricam.

variensis, *Vj-Szigetensis* Benedicti Abádi, *Also-Linduensis*, *Szecsiniensis* Manlii *a)*, *Samariensis*, *Semptauiensis*, quae denique iure venditionis facta est *Rárbokiensis*, prope arcem Detrekeö, *Papensis* Valentini Török ab Ening Magnatis, *Monyorokerekensis* Ioannis Manlii, *Leutschouiensis*, *Eberauensis* Ioannis Manuel *b)*, *Nedelischensis*, *Ginsiensis*, *Tyrnauiensis*, *Debreczinensis*, Raphaelis Hofhalter, *Visolyiensis* Manskouicziana, *Magno-Varadiensis*, *Claudiopolitana* Casparis Heltai, *Alba-Iuliacensis*, *Cibiniensis*, quarum notitiam dare vberiorem, non est praesentis instituti.

§. 7.

Bibliopolas, quos aurigas, seu institores (vt reuera sunt) reipublicae litterariae iure vocare possis, quatuor (praeter Paepium, superiori iam seculo notatum, qui hoc etiam libros excudi curabat.) eruderare potui. Est eorum primus, Vrbanus Kaym, qui anno 1517. *Missale secundum Chorum almae Ecclesiae Strigoniensis;* nec non *Opusculum Dialecticum Michaelis de Vratislauia Argentorati anno 1515.* Secundus, Michael Pelschnitz eundem librum liturg. anno 1524. vterque Venetiis, impensis propriis imprimi curauere. Tertius est Stephanus Hekel de Riuulo Dominorum Librarius Budensis, cuius sumtibus edente Petro Lichtenstein prodiit *Missale Strigoniense Venetiis anno 1513. die 4. Ian. in 4.* Vltimus

a) Gregorius Vizáknai edidit hic 1593. *Az Keresztény tudománynak egy néhány fö articulusirul való Könyuecske.*

b) Prodiit ex ea; Iohann Hartlieb christlicher und kurzer Bericht von dem hochwürdigen Sacrament des Altars aus der ersten Epistel an die Corinthier am eilften gezogen. Gedruckt zu Eberau in Vngern bey Hans Manuel. 1590. 8.

est Georgius (cognomen ignoro) de quo Lutherus Epist. Lib. II. pag. 243. b. citante Illustri Sekendorfio in *Hist. Lutheranismi Lib. I. Sect. 63. §. 183.* et Abrahamo Sculteto *Annal. Eccl. Dec. I. ad annum 1524.* nos docent, Budae eum, vna cum libris Euangelicis rogo esse exustum.

§. 8.

Inter memorabilia litteraria, non est indignum ad seculum hoc referre, anno 1546. Coronae in Transiluania, primam omnium officinam chartaceam fuisse, auctoribus Ioanne Fusch, Iudice Vrbis, et Ioanne Benckner institutam. De his ita Mathias Miles, in opusculo historico, quod inscripsit: *Siebenbürgischer Würgengel* pag. 40. *In diesem Iahr* (1546.) *ist zum erstenmale in Chronstadt Papier gemacht worden, durch Verlegung H. Hans Fuchsens Richters, und H. Hans Bencknners: auch ward das Wollentuch zum erstenmale zu Chronstadt gemacht durch Verlegung eines Bürgers Hans Teysz genannt.*

§. 9.

Seculo XVII. noua omni ex parte, accepere litterae incrementa. Seu etenim fautores, seu eruditos, seu domicilia, et id genus adminicula requiras scientiarum: multo illustriora et frequentiora reperias. Ad ordinem Augustorum et Maecenatum pertinent Ferdinandus III. et Leopoldus M. Imperatores: Stephanus Bocskay, Gabriel Bethlen, Georgius I. et II. Rákotzy, et Michael Abaffy, Principes Transiluaniae; Stephanus Illyesházy, Georgius et Stanislaus Turzo, atque Nicolaus et Paulus Esterházy, Regni Hung. Palatini, Franciscus Forgacs, Petrus Pazmany, Emericus Lossy et Georgius Lippai, Ar-

chiepiſcopi Strigonienſes, Franciſcus et Paulus de Nádasd, Petrus Réuai, Caſparus Illyeshazi, Georgius Szécſéni, Benedictus Kisdi, Ioannes et Mathias Oſztroſith, LL. Barones de Illaua, Ioannes Bethlen, Catharina Pálffy, et Suſanna Lorandffy, omnes Primores Hungariae: non minus Magiſtratus LL. ac RR. Vrbium, quorum ad ſeculum ſuperius, honorificam fecimus mentionem, incliti: quibus porro acceſſerunt Kaeſmarcenſis, Modrenſis, Breznobanyenſis, Trencſinienſis, Alnouienſis. —

§. 10.

Eruditorum, quos Hungaria ſeculo hoc, complectebatur praecipuos, promamus. Ex ordine Theologorum ROMANO CATHOLICI fuere: — Franciſcus Forgacs *a)*, Petrus Pazmany *b)*, Valentinus Lépes *c)*, Thomas Balásfy, Andreas Illés, Georgius

a) Scripſit is opus, quod tamen hucdum lucem non vidit publicam, *de compeſcenda Haereticorum petulantia*, in cuius prima parte docet, quomodo colloquium cum Euangelicis, quos ille haereticos vocat, ſit inſtituendum; in ſecunda refellit, quae ſub ſpecie pacis ſibi fuerunt propoſita: in tertia declarat, quibus notis haereticus a Catholico diſcernatur: in quarta, qua ratione haeretici cum fructu ſint coercendi.

b) Praeter eriſtica, vt fuerant tempora, quae referre plane non intereſt, ſcripſit ſermone Hung. *Hodegum ad veritatem* Poſonii 1613 in fol. *Homilias in Euangelia Dominicalia totius anni*, ibidem 1636. fol. *Thomae a Kempis de Imitatione Chriſti* libros IV. a ſe hungarice redditos. — Plura vide in Péterffii Concil. Hung. Par. II. p. 226. ſeqq.

c) Ab eo proficiſcuntur libri *de controuerſiis fidei et aſcetica vita* Pragae 1616. et ſequenti editi. Vnus eorum, qui ait *de IV. Nouiſſimis*, correctior recuſus eſt in 4to. Agriae anno 1771. et ſequenti.

orgius Káldi *a)*, Zacharias Trinkelius, Martinus Kopchani, Gregorius Vásárhelyi, Ioannes Nádasi, Casparus Taffi, Michael Veresmarthi, Georgius Forró, Mathias Samsúr, Mathias Zambar *b)*, Emericus Kiss, Gabriel Ivul, Leopoldus Kolonits *c)*, Stephanus Tarnotzi.

a) Bene meritus est de Ecclesia sua, quod S. Biblia ex textu vulgato, in Hungaricum transfuderit, ac Viennae apud Mathaeum Formica anno 1626. excudi curauerit.

b) Theologus hic polemicus nimium praefidens, quandoque non alias, quam sub conditione amittendi a discessuro ex arena, victo capitis, congredi cum aduersariis voluit. Aiunt aliquando, in oppidis Haidonicalibus, cum aduersariis, ita disputationem instituisse; sed iis numero pluribus conclamatur, cecidisse caussa Iesuitam. Vitae quidem parsum est, sed ne sine nota discederet, dentem molarem, ope chirurgi euellunt. Crenam illedente vacuam laetabundus, immisso ei digito, ostendit Cl. Rezikio, qui id in Gymnasiologia sua notauit, Cassouiae, et tanquam tropaeis, pugnans pro veritate Catholica, gloriabatur, inquiens, id ego vitium, tanquam sacramentum militiae meae circumfero exultans, quod quidpiam molestiarum in corpore sustinuerim pro Religione Rom. Catholica ---

c) Per gradus varios, ad Archiepiscopen, Strigoniensem ascendit. Vir, si quisquam alius, Protestantibus minime aequus. Scripsit cristicum contra eos opus, tecto licet nomine: *Augustana, et Antiaugustana Confessio*; cui D. Valentinus Alberti, Professor Theol. Lipsiensis, iussu Aulae Elector. Saxonicae, opposuit aliud scriptum, Lipsiae 1684. 4. impressum.

EVANGELICI: Thomas Eſzterházy *a)*, Elias Lani *b)*, Iſacus Abrahamides, Ioannes Hodikius, Florianus Duchon, Emericus Zuonaries, Abraham Chriſtiani, Caſparus Köſzeghi *c)*, Stephanus Del-

a) Frater fuit, opinor Franciſci Eſzterházi de Galanta, totius nunc I. huius Gentis parentis. Peragratis Regnis et Vniverſitatibus exteris, doctrinaque cum ciuili, tum Theologica, egregie auctus, poſt reditum in patriam, ſcripſit polemicum contra Rom. Catholicos librum, de articulo eccleſiae, inſcriptum: *A Kriſtus; e földön vitézkedö Anya - Szent egyházáról Kérdéſſek és Feleletek.* Iratott Galantán 1601. in 4. Liber ſpiſſus dedicatus Magnati cuidam Matronae, vbi hiſtorice corruptionem ante Reformationem Eccleſiae atque correctionis eius neceſſitatem fuiſſe, fuſe oſtendit.

b) Fuit is Superintendens Comitatuum Trencſinienſis Arvenſis, et Liptouienſis, qui cum reliquis duobus Superintendentibus, Iſaco Abrahamide, et Samuele Melikio, Lutheri Catecheſim minorem, ex decreto ſynodi Bitſenſis, in Slauicum transfudit, adiectis articulis quinque, de Deo, Peccato, Iuſtificatione, Poenitentia, et S. Coena, quibus Eccleſiae noſtrae Slauicae, hucdum vtuntur, atque dedicatam Comiti Georgio Turzo R. H. Palatino, ac Coniugi eius Eliſabethae Czobor, anno 1612. excudi curauit. Repetitus eſt a Daniele Pribiſcha Paſtore Harhouienſi, et Seniore Fraternitatis Inferioris Hornad, cum quaeſtionibus M. Balthaſar Fiſcheri. Iuncta ſunt ei tria alia opuſcula inſcripta, *Roſarium animae, de modo precandi, et odae aliquot ſpirituales*, Leutſchouiae 1634. Eius etiam opuſcula ſunt: *Scutum Libertatis Chriſtianae in vſu Imaginum hiſtorico.* Bartphae 1594. *Defenſio libertatis Chriſtianae in vſu imaginum hiſtorico, ſcripſit Elias Lany Paſtor Eccleſiae Moſchouianae*, Bartphae. Dedicatum Petro et Franciſco Reuay, Baronibus 1559.

c) Fuit Paſtor Oſgyanenſis. Scripſit idiomate Hungarico, *Explicationem 10, Praeceptorum*, Leutſchouiae 1658. in 12. atque *Ducem bonae viae* ibid. 1659. in 12.

ſchenits *a)*, Elius Kreuchel *b)*, Iacobus Jacobaei, Ioannes Inſtitoris, Gregorius Muſſai, Nicolaus Gönczi, Petrus Pechi, Ioſua Wegelin *c)*, Stephanus Letenyei, Daniel Dubrauius, Samuel Dürner, Andreas Gräff, Abrahamus Pinnerus, Daniel Remenius, Ioannes Mihalykö, Martinus Madaráſz, Michael Zuonaries, Daniel Pribiſcha, Iacobus Király, Ioannes Hodikius, Mathias Lang, Ioannes Kemelius, Daniel et Zacharias Lanii *d)*, Dauid Lany, Iaco-

a) Georgii Szécſi, Comitis, perpetui in Murány, aulae V. D. M, meditationes Kögelii transfudit in Hung. Leutſchouiae 1639. in 12. editas.

b) Argentinas patria, Rector Gymnaſii Schemnicienſis, edidit: *Sciagraphiam theologicam, de vniuerſali Salnatoris noſtri Paſſione, et ſatisfactione*, Leutſchouiae 1663. in 4. Porro: *Exercitium Theologicum de natura relationum perſonalium SS. Trinitatis*, ibid. 1660. in 4to. vt alia taceam.

c) Patria Auguſtanus, ab anno 1635. ad finem vitae, qui in anno 1640. diem 14. Septembris incidit, Senior Contubernii Poſonienſis. Scripſit complura: *Chriſtum emblematibus adumbratum* Lindauii impreſſum, verum diſcrimen Legis et Euangelii, ex SS. Patribus, et b. Lutheri libris oſtendit: Librum precationum titulo praefixo: *Deuota cum Deo reconciliatio*, *Proceſſum*. *Inaugurationis Templi Poſonienſis*. ad SS. Trinitatem, quod denique Ieſuitis ceſſit, inſcriptum: *Domus Domini renouata, SS. Trinitati dedicata, et Euangelicorum more inaugurata, Poſonii Hungarorum anno 1638*. Vna cum Icone eiusdem, et Sermone S. ſolennitate hac, ab eo dicto. Impreſſus 1640. 4. Adornauit etiam ad typum Tractatus, de *Militia Moſaica*, *de externa Eccleſiae fortuna*, nec non *Diſpenſatorium Infirmorum* qua nempe ratione, cum aegrotantibus in Noſodochiis ſit procedendum Hi tamen lucem nondum viderunt publicam.

d) Daniel fuit primum Paſtor Galgotzenſis, et Dioeceſis in Comit. Nitrienſi Senior, poſt ad D. Eliſabethae Neoſolii

V. D. M. scripsit in 4. spissa duo Volumina polemica, varia eruditione, inprimis antiquitatum Eccl. et Patrum notitia refertissima, quorum sensum tituli indicant. Prioris est: *Ignea Veritatis Euangelicae columna -- -- Perspectiuo minus perspicuo Bonauenturae Hocquardi, Monachi Franciscani Amalechitarum instar castra Domini, bello offensiuo inuadentis opposita in Hungaria, a M. Daniele Lany, Pastore Euangelico Galgocensi, eiusdemque Dioecesis in Comitatu Nitriensi Seniore. Vittebergae typis Michaelis Veni Anno 1654.* Pars haec est generalis, dedicata Vniuersitatis Vittebergensis Proceribus, plusquam tribus Alphabetis constans, ait de 17. his capitibus: 1.) De S. Scriptura, primo principio, ac vnica norma controuersiarum fidei in Eccl. 2.) De libris apogryphis. V. T. 3.) De authentica scripturae editione, et vernacula, latina versione. 4.) De Traditionibus non scriptis. 5.) De Ecclesiae Romanae Autoritate, et Papae Fallibilitate. 6.) De consensu Graecae Orientalis ecclesiae. 7.) De Conciliis, eorumque Decretis. 8.) De Patribus, eorumque Testimoniis. 9.) De Canonibus et Constitutionibus Apostolorum. 10.) De Liturgiis Apostolorum. 11.) De Decretalibus Pontificum Rom. Epistolis. 12.) De Iure Canonico. 13.) De Scholasticis, eorumque Theologia. 14.) De Legendis Sanctorum, et in specie de quibusdam Sanctis Papistarum. 15.) De Luthero et Scriptis nostratium symbolicis. 16.) De Concilio Tridentino. 17.) De Haeresibus falso euangelicis attributis. Vel ex his titulis patet, virum fuisse eruditissimum. Volumen alterum, hunc praesefert titulum: *Ignea Veritatis Euangelicae columna -- -- Perspectiuo minus perspicuo Bonauenturae Hocquardi Monachi Franciscani allegatione suspecta et supposititia Patrum, Conciliorum Orientis et Occidentis, Pontificum Rom. Traditionum humanarum scholasticorum, ac denique Lutheri, librique concordiae dictorum, in peruersum sensum deprauatorum, a via veritatis, ad deuia errorum suorum abducere -- maiori conatu, quam successu allaborantis, opposita in Hungaria a M. Daniele Lany, Eccl. Nouisolieusis ad aedem S. Elisabethae Pastore, et Presbytero. Lipsiae, Typis Ioannis Vittigau 1659.* in 4to. alph. fere sex. Dedicatum inclitis statibus et ordinibus Regni Hungariae Euangelicis, continet Partem specialem, de Articulis 23.,

quos Hocquardus propofuerat, agens, puta de nomine Euangelici, et vnitate S. Matris Ecclefiae Catholicae et Apoftolicae, extra quam nulla datur falus, de Iuftificatione, de Numero Sacramentorum, de Transfubftantiatione, de reali praefentia Corporis et Sanguinis Chrifti, fub fpeciebus panis et vini, in ven. Sacramento Euchariftiae, extra vfum, de communicatione fub vtraque fpecie, de confeffione, et enumeratione peccatorum, de partibus Sacramenti poenitentiae, de effectu Sacramentorum, de ordine ecclefiaftico, de cultu et inuocatione Sanctorum, de Sacrificio Miffae incruento, de Purgatorio et fuffragiis pro defunctis, de libero arbitrio, de quinque abufibus Ecclefiae Romanae, quos enumerat Auguftana Confeffio, de tertio in fpecie abufu, de Miffa, de quarto, nempe confeffione auriculari, de quinto, difcrimine ciborum, de ftatutis Ieiuniorum diebus ab Ecclefia, vt funt Quadragefimae, quatuor temporum, feriae fextae, item Sabbathi, de delectu ciborum, et ftatutis ieiuniorum diebus, de traditionibus in communi, de contradictionibus a M. Luthero, Lutheranorum Propheta, Euangelifta et Corypheo, in diuerfis rebus, etiam maximis fidei commiffis. --- Appendix continet catalogum Teftium veritatis, ductum Igneae Columnae, fequentium continens, Quam voluiffem, fi per propofitum licuiffet, librum eruditione theologica ampliffima refertum recenfere fufius! ---

Zacharias vero Lany fuit Paftor Banouicenfis, poftea Trencfinienfis, et Comitatuum Trencfin. Aruen. et Liptou. Superintendens. Proficifcitur ab eo, *Strigil Aetiologiae Kirfcherianae, fiue orthodoxa Depulfio Caufarum et Argumentorum, quibus M. Ioannes Kircherus Tubingenfis, permotum fe iactitat, cur e Synagoga, vt ait Lutherana, transmigrauerit in Ecclefiam Catholicam, Authore M. Zacharia Lany p. t. Miniftro Ecclefiae Banouicenfis et Venerab. Conturbernii Gradnenfis Seniore, Impenfis Illuftriffimi Comitis ac Domini D. Cafparis Illyesházi etc.* 1642. in 4. duorum Alphabetorum. Dedicatum ipfi Comiti Illéshazio, fedecim capitibus Opufculum abfoluitur v. g. deficta incertitudine Lutheranorum ex parte facrae lectionis facri codicis, verfionis, canonis, fenfus, et interpretationis, de purioris ecclefiae non continua vifibilitate, et vifibilis fallibilitate, de lu-

bus Zablerus pater et filius, Ioannes Heinzelius *a)*, Antonius Reiserus, Martinus Tarnoczi, Michael Liefman, Paulus Maior, Samuel Pomarius, Mathias Zimmermann, Daniel et Christophorus Kleschii, Tobias Masznicius, Stephanus Pilarik, pater et filius, Ioannes Sinapius, Ioannes Simonides, Hiob Trusius, Michael Institoris, Christianus Selmann, Vilhelmus Bayerus, Michael Acs, Andreas Kassai *b)*.

REFORMATI: Petrus Aluinezi *c)*, Ioannes Dajka Keseröi, Ioannes Samariai, Albertus Mol-

therana ante Lutherum Ecclesia, de vocatione Lutheri: Fuit ei etiam controuersia cum Belauio Canonico Posoniensi, cui is *Pseudo - Spiritum Posoniensem opposuit*, vt alia taceam.

a) Gymnasii Neosoliensis Rector, vir laboriosissimus, cuius opera cum fusius percensere non licet, en titulo tenus. *Diatriba Philosophico - Theologica, de Creatione Soluae an. 1665. 4to. Disquisitio de Natura Fidei Iustificae. Leutschoviae 1667. 4to. Exercitatio Theologica de Maiestate Omnipraesentiae Christi, 1666. Leutschouiae in 4to. Exercitium Metaphisicum de vniuersali et singulari, Leutschouiae 1665. in 4to. Disputatio de Caussis Corporis naturalis, Leutschoviae 1667. in 4to. cet.*

b) Pastor Vjfaluinus, praeter alia, praecipue homiletica scripta edidit, idiomate hung. xcviii. Quaestiones de Seruatoris optimi Passione, et morte, Stephano Tárkány dedicatus. Bartphae 1624. in 4to.

c) Minister Cassouiensis, vir citra controuersiam eruditus, cui multae cum Iesuita Pázmány controuersiae intercesserunt. Multa scripsit. Nos vnum solum memoramus librum inscriptum: Itinerarium Catholicum idiomate Hung. an. 1616. editum, et omnium trium Religionum Statibus dedicatum, in quo secundum secula antiquitatem Ecclesiae R. quomodoque innouationes pedetentim in Ecclesiam R. C. irrepserint, ostendit. Praemonuit Lectores ita:

Ne quaeso offendare, prius damnesque libellum,
Causa probe fuerit, quam Tibi nota, meum.

nar *a)*, Petrus Laskouius, Ioannes Iratosi, Martinus Tályai, Stephanus Katona Gelei, Paulus Kereszturi, Ioannes Pósahazi, Petrus Margitai, Ioannes Apatzai, Petrus Dengeſegi, Ioannes Enyedi, Samuel Bándi, Stephanus Kereſſzegi, Georgius Batai, Samuel Kapuſi, Emericus Katona, Georgius Martonſalui, Ioannes Alexius, Paulus Veſselin Kiſs-Mariai, Mathias Nögrádi, Ladislaus Gyöngyöſſi, Georgius Cſipkés Komaromi *b)*, Samuel Köleſéri, Ioannes Palánki, Paulus Megyeſſi, Stephanus Milótai, Benedictus Nagyári, Michael et Samuel Némethii, Michael Sárpataki, Benedictus Szent-Királyi, Stephanus Szent-Péteri, Petrus Baka Szatmári, Stephanus Ötues Szatmari, Stephanus Pécſi, Iacobus

a) Szenciensis patria, variis, plerumque aduerſis, per Germaniam et Hungariam fatis iactatus, vir laborioſiſſimus, et de patria meritiſſimus. Opera conſcripſit complura, quorum Cl. Bodius decem numerat. Praecipuum eſt Biblia S. Hungarica Károlyiana ex editione Viſolyenſi, quae ex textu Hebraeo recognouit, formas loquendi hungaricas emolliuit, limauit, ac forma minori, Hanouiae 1608. edidit, ſoepius poſt repetita. Eum etiam agnoſcunt auctorem, Lexicon Latino-Graeco-Hungaricum, et Hungarico Latinum Francofurti 1604. Grammatica Hungarica 1610. Hannouiae. Poſtilla Scultetica in Hungaricum transfuſa, vt etiam Ioann. Caluini Chriſtianae Religionis Inſtitutionem Hanouiae 1624. in 8vo. -- --

b) S. Th. Doctor, Diſcipulus Leusdenii, theologus inſignis, hebraeus tantus, quod loco publico, in Vniuerſitate lingua perorauerit. Dedit eius etiam ſpecimina inſignia, quod totum V. et N. Teſtamentum, ex LL. Orientalibus interpretatus circa an. 1685. fuerit, quod etiam Lugduni Batauorum 1719. in 8. typis elegantiſſimis impreſſum, at aduerſiſſima fata in limitibus Hung. expertum. Adcuratiorem verſionem Hungari nondum habent. Opera eius alia referre ſuperſedemus.

Csech - Csuzi *a)*, Stephanus Czigledi, Stephanus et Petrus Vásárhelyi, Samuel Enyedi, Stephanus Vécsei *b)*, Ioannes Ziláhy.

Sociniani : Benedictus Arkosi, Valentinus Radecius, Matthaeus Toroczkai *c)*, Paulus Csanadi, Samuel Iárai, Michael Almási.

Ivrisconsvlti : Ioannes Kitonics *d)*, Ioannes Serpilius, Christophorus Lackner, Andreas Loch-

a) Itidem Theologiae Doctor, consors passionum in triremibus Neapolitanis, redux, Lossontziensis. mox Debrecinensis V. D. M. Scripsit exegesim, patrio sermone, in Prophetam Abdiam, homiliis comprehensam, Debrezini 1682. 8. —

b) Conscripsit eruditissimi illius, et vtilissimi, *Samuelis Bocharti Hierozoici seu de animalibus Scripturae Compendium* Franekerae, 1690. in 4to. atque Apocalipseos Ioanneae Interpretationem Hungaricae, ibidem eodem.

c) Claudiopolitanus Superintendens, transfudit in Hungaricum Georgii Enyedi librum scriptum (vti supra dictum est) in in ea loca V. et N. Testamenti, ex quibus Dogma de Trinitate stabiliri solet. Claudiopoli 1619. in 4to. atque Doctrinae Christianae secundum V. et N. Testamentum compendium, ibidem 1632. in 12.

d) Nobilis de Koſztanicza, Causarum Regalium (stilo Iurisconsultorum Hung.) sub initium Seculi Director. Duplici opere is de Patria est benemeritus, praeclarus hic Iurisconsultus. . Prius est : *Directio methodica Processus Iudiciarii Iuris Consuetudinarii I. Regni Hungariae.* Absoluitur illa XII. Capitibus, quae iterum in certas quaestiones distribuuntur. In prioribus X. Capitibus, accuratam in iudiciis procedendi, ostendit methodum: vndecimo cum Iuris Processum qui in Sedibus Iudiciariis Comitatuum obtinet, ostendisset; capite vltimò Processum Fori Ecclesiastici pertractat. In in-

ner *a)*, Ioannes Kaſſoni, Balthaſar Friſſouitz, Vilhelmus Artner, Iacobus Szeleczki, Martinus Schödelius *b)*,

tegro vero Tractatu, data occaſione, multa ex Iure Canonico, et Iuſtinianeo, variisque praeclaris horum Iurium auctoribus repetita inſeruit. Idque eo ſe ſuſcepiſſe conſilio, ſapienter dicit: quod cum Iura noſtra ſuam hiſce originem debeant, magnam ea inde lucem, praecipue in rebus, Iure noſtro non definitis, ſupplementum acce plura eſſe, experientia edoctus fuerit propria. Alterum opuſculum eius eſt, *Centuria Contrarietatum et Dubietatum e Tripartito deſumtarum et reſolutarum:* cuius quidem contenta hac ratione ſunt diſpoſita: vt in contrarietatibus primo Theſim, in Dubietatibus ipſum dubium, ſeu Quaeſtionem Iuris inde emergentem, e Verböczio petitam ponat; contrariam apparentem antitheſim eiusdem verbis opponendo, quaſi idem diuerſis locis ſibi contradixiſſet, contrariari viſa reſoluat, et Leges ſubſtratas conciliando oſtendat, admiſſa moderatione, Verbötzium ſibi non contradicere. -- -- Prima vtriusqne opuſculi editio prodiit Tyrnauiae 1619. in 4to. altera Leutſchoulae anno 1620. cum verſione Hungarica Ioannis Káſzoni in 4to ſaepius denique repetita.

a) Sempronienſis, Commentationem academicam conſcripſit ſub titulo: *Facies Iuris Publici Hungariae.* Tubingae 1666. in 4to, decem Capitibus abſolutam, quae vide in Zuittingero ad hunc locum. Repetiit editionem, variis obſeruationibus adauctam, cum *Superpondio de auſpicio Regis Stephani I. Hung. Apoſtoli* Ioannes Iany et Ienae quarta forma anno 1717. exprimi curauit, anno 1757. repetitam.

b) Patria Poſonienſis, clarus libro inſcripto: *Diſquiſitio Hiſtorico-Iuridita de Regno Hungariae.* Argentorati, typis Ioannis Reppii 1630. in 4to alph. 1. Opus erudite elaboratum, ex hiſtoria, literaria, ciuili, naturali, eccleſiaſtica, politica, iureque ciuili, publico --- coagmentatum, Methodus ſaltem ſcholaſtica, eſt moleſtiſſima, per materiam et formam, per cauſam efficientem, inſtrumentalem, finalem cet. procedens. Interſperſae ſunt Icones variae, praecipue ſub

Ioannes Beigler *a)*, Andreas Perlouicz *b)*, Ioannes Szakmárdi, Michael Paneratius *c)*, Ioannes Oko-

finem adiectae elegantissimae, tam personarum quarundam, quam numismatum memoria dignorum. v. g. Atilae Hunni, mulieris Hungarae, ex seculis antiquis, S. Stephani, soluta Oppugnatione Viennensi cusorum nummorum castrensium varii moduli, Ferdinandi I. ante Budam obsessam, Mauritio item Electore Saxoniae contra Turcas proficiscente 1552. Ioannis Sigismundi II. contra Maximilianum Imp. arma moventis 1565. Mansfeldii, Rudolphi II. Ioannis Medices, Sigismundi Bathorii Bocskaii, Marci Baxa Hungari, a Turca in proelio, lancea oculum adacta feliciter restituti. --- --- Ignorantiam prodidit Ferdinand. Behamb, cum in editione altera inscripta: *Notitia Hungariae antiqua modernae Bernegerianae*, in 8vo 1676. opus hoc Bernegero adscribat; --- cum tamen is, in praefatione ad patrem Schödelii nostri scripta aperte fateatur, hunc nostrum, *Dissertationem illam suopte Marte sine cuiuspiam opera subsidiaria confecisse*, *adeoque suo tantum remigio, vt ille ait, rem egisse* ---

a) Fuit itidem Posoniensis, variaque postea gessit non in honorifica munera. Cooperante Ottone Tabor, edidit *Collationem Iuris Romani et Hungarici*. Argentorati 1657. 4., quae postea operibus Taboris inserta est. Talem *Collationem* conscripsisse I. A. Prayningum, Vrbis Sopron. olim Praetorem, testatur Sebast. Ferd. Dobner, mihi nunquam visam.

b) Bathensis Hungarus. Eius possideo *Conclusiones aliquot Politicas*, quas -- ex Augusti Caesaris vita sub init. publicae disquisitioni subiecit Argentorati 1628.

c) Patria fuit Transiluanus Szasz - Sebesiensis anno 1631. natus, studuit Tyrnauiae, Vittebergae, Rostochii, ubi in I. V. Doctor creatus, Historiam et Rhetoricam professus est, vsque dum anno 1667. Eperiesinum ab I. I. Statibus Euang. ad docendam ciuilem prudentiam et Historiam vocaretur. Motus hinc, vltimo Superintendens in Transiluania creatus,

licſany *a*), Michael Nyerö *b*), Stephanus Iſtuanffi *c*),

anno 1694. mortuus eſt. Scripſit *Diſputationem de Iuramento Perhorreſcentiae, Roſtochii 1661. 4to.* Porro *Exercitationem Politico - Iuridicam, de Imperio et Iuribus Poteſtatis Imperantium, in capita Subditorum, Caſſouiae anno 1668. 4to.* Praecipuus eſt *Tractatus Politico - Hiſtoricus Iuris publici Regni Hungariae. Caſſouiae 1668. 4to.* erudite conſcriptus, qui tamen materiam propoſitam non exhauſit. Dixit etiam orationem occaſione Inaugurationis Collegii Eperienſis, Bartphae cum Pomariana expreſſam anno 1667., de qua infra dicetur.

a) Agnoſcit eum auctorem *Compendium Decreti Tripartitalis ligato ſermone compoſitum iuuandae iuuentis memoriae cauſa,* Bartphae 1636. typis Iacobiklöſz excuſus impenſis Sigismundi Bán, de Lutska, et dedicatus L. Baronibus, Nicolao, Paulo et Mathiae Oſztroſzith de Gilenitz et Illaua.

b) Erat is aetate ſua cauſarum Fori vtriusque per Hungariam celebris Aduocatus. Opus ſuum MSS. quod proſtat, inſcripſit: Iurisprudentia e Iure Hungarico conſcripta, variisque Definitionibus, Diſtinctionibus, Regulis Axiomatibus, Rationibus et Argumentis e Iure Imperiali, Canonico et experientia Iuridica collectis, illuſtrata, adaucta, atque in IV. libros diſtributa: quorum primus tractat de Iure ingenere, ſecundus de Perſonis, tertius de Proceſſu cauſarum, quartus de ſtylo et praxi iudiciaria.

c) I. Π. Comitatuum, Gömör, Borſod, et Tornenſis Notarius, qui reliquit eruditum MS. opus, cui titulus eſt: *In Decretis R. A. et Tripartito Verböcziano, ac Nouellis Conſtitutionibus publicis, nec non, quoad Proceſſum in Directione Kittonichiana contenti Iuris Hungarici Extractus, ſuper Iuribus Perſonarum, rerum et actionum, pro eiusdem Iuris tyronibus, in breuiſſimas Quaeſtiones, tribus ſectionibus, inſertas formatus.* Plura auctor doctus praeſtitit, quam promiſit. Interſpergit frequenter hiſtoriam iuris, quaenam praecipue leges, et quo tempore mutatae, aut prorſus ſublatae fuerint. Praemiſit etiam in principio operis explicationem

Andreas Szikely *a*), Andreas Szirmai *b*), Stephanus Aſzalai *c*), Ioannes Marcus Leibiezer *d*), Ioan-

obſcuriorum Iuris terminorum ordine alphabetico adcuratam.

a) Aduocatus Scepuſienſis reliquit MS. Opus anno 1696. in pago Hunsdorff perfectum. *Proceſſus Iudiciarius in Comitatu Scepuſienſi.*

b) Eius eſt itidem MS. Opuſculum, quod in gratiam filiorum concinnauit, iam cum aliis etiam communicatum: *Compendium Tripartiti*, in quo ad quemlibet Tripartiti titulum adcurate oſtendit, in quantum in vſu ſit, vel iam ſublatus, aut circumſcriptus: praeter ea multa ex praxi, quae in Tripartito non occurrunt, et tamen obſeruantur, oſtenduntur. v. g. De Diuiſionibus, Teſtamentis, de contractibus cet. Conſcripſit etiam *Indicem Tripartiti, generaliumque Regni Decretorum, ordine alphabetico*, qui Cynoſura Aſzalaii mox, producenda longe eſt perfectior.

c) Fuit Aſzalai Vice-Iudex Curiae Regiae, magni Vir Nominis. Dedit Iuriſconſultis *Indicem, ſeu Compendium Tripartiti et generalium R. H. Decretorum, ordine alphabetico digeſtum, in quo ſingulae Iuris materiae, ſub certis titulis, vocibus ac quaeſtionibus propoſitae, ſcite et accurate continentur.* --- Tyrnauiae 1650. 4. Editio altera, ſubſecutis Regni Articulis aucta, vna cum Legibus Tauernicalibus, recuſa eſt ibidem, forma eadem 1694.

d) Conſcripſit anno 1698. *Epitome Proceſſus Iudiciarii in XIII. Oppidis obſeruari ſoliti, ſecundum Ius Caeſareum, Saxonicum et Municipale.* --- Idiomate germanico, quod tamen lucem publicam nondum conſpexit. Vir fuit in regione Scepuſienſi, multis officiis honoratis, aetate ſua defunctus. Vertit etiam is Inſtitutiones Iuris Iuſtinianei, in Germanicum, ac denique in Compendium contraxit.

nes Steinhübl *a)*, Iac. Andreas Prayning, Ioannes Marcus.

MEDICI: Procopius Bonanus *b)*, Tobias Kober, Samuel et Dauid Spilenbergeri, Marcellus Camellus Squarcialupus, Christianus ab Hortis, Ioannes Brewer, Paulus Francisci, Georgius Fabuschi, Ioannes Purcher, Paulus Görgei, Vilhelmus et Carolus Reygerii *c)*, Ioan. Dauid Ruland, Paulus Spindler, Ioannes Veber, Nicolaus Parschitus, Franciscus Parisz Pápai, Carolus Otto Mollerus, Georgius Kovacs Tátai, Matthaeus Palumbiny, Andreas Loew, Ioan. Godofredus Hellenbach *d)*, Ioannes Paterson Hein.

a) Fuit Ciuitatis Cremnicensis rerum montanarum curator, qui Germanice edidit Vratislauiae anno 1694. in 12. Epitomen Iuris montanistici VII. montanarum Hungariae Vrbium.

b) Camerae Regiae Archiatrum in metallifodinis Hungariae egit, composuit ingens rerum naturalium volumen, aeneis tabulis, plusquam ducentis adornatum, quod de *admirandis Hungariae rebus* inscripsit, et iam tum proditurum erat, nisi praematura auctoris mors, tantos conatus intervertisset. Vbi pretiosissimus thesaurus lateat, nescitur.

c) Pater et Filius, vterque celeberrimus. Prior est inuentor pulueris nephritici, hucdum celebratissimi, contra arenam, et calculum renum vtilissimi: posterior, operibus etiam quam plurimis inclaruit, quae vide apud Cl. Veszprémi in *Biograph. Medicor. Hung. Cent. I. p. 146. seqq.*

d) Patrem habuit Ioannem Hellenbach, Schemnitziensem ex primis, Vrburarium, Virum doctum, qui Vittebergae anno 1656. *Orationem pro Hungaria* recitatam, publicauit, et anno 1658. *Logicarum Quaestionum* manipulum defendit ibidem. Natus est noster Schemnitzii anno 1659. iacta studiorum in patria fundamenta in Germania confirmauit et Vittebergae Doctoris Medicinae Honores anno 1685. capessi-

Philosophi: Comes Casparus Illyésházi *a*),

vit, ac postea, adeo feliciter praxim exercuit: vt Leopoldum Imper. etiam atroci nephritide calculosa multum diuexatum, sanitati restitueret. Quare in proemium, saepius in Augusta aula exercitae suae artis, initio seculi sequentis non modo L. Baronis axiomate liberaliter a Caesare donatus, sed etiam S. Caesareae et R. Maiestatis Consiliarii titulo cohonestatus est. In infelici tumultu Rakotziano seditiosi. Principis partes sequi coactus anno 1705, summus rerum Metallicarum Praefectus constitutus, tumultuantibus ob cupream monetam Metalli fossoribus, ac operas detrectantibus, magno Regis et metallorum eruendorum commodo, multa millia ex suo in eosdem distribuit. Profligato ad Threncsinium Rakotzio anno 1780. In Poloniam aufugit, fortunis prius in coecos fornices absconditis, quas ab insecutoribus repertas, et in Fiscum relatas amisit. Sed pace ad Szathmarinum conclusa, in praedia sua est restitutus. In Synodo Prouinciali Rosembergensi anno 1707. constitutus fuit Consistorii Cis-Danubiani, ex parte seculari Praeses anno vero 1721. in Commissióne Religionari Pestiensi ab Aug, Carolo VI. a parte Euang. Aug. Confessionis delegatus Commissarius. Mortuus est anno 1728. fere Septuagenarius. Haec memorasse Pietas erga inclitam Gentem lubenter voluit, ex qua promotorem studiorum nostrorum iuuenilium munificentissimum, *Iosephum Ludouicum*, *L. B. ab Hellenbach*, nostri illius pronepotem, etiam post fata pie veneramur. Reliquos aeui huius medicos, Doctiss. noster Veszprémi saepius iam a nobis laudatus ex merito, ex quo haec etiam, maximam partem habemus, dabit.

a) Francisci Illyesházy filius, Stephani vero Regni Hung. Palatini, Comitis Trencsin. et Liptov. adoptiuus, Iactis in patrio solo litterarum fundamentis, Lipsiensem adiit Vniuersitatem, in qua, magna ingenii laude, liberales excoluit Artes. Insigne ei praebuit Testimonium vitae et doctrinae, Academiae eiusdem Rector, Otto Schwalenberg, quod vide apud Cl. Horanyum in *Memoria Hung. Tom. II. pag. 216. seqq.* Redux in Patriam, non solum eruditos amauit, scholas, praecipue suas, Banouicensem et Rosembergensem

Comes Ioannes Kéri, Comes Nicolaus Zriny *a)*,

fouit; fed etiam ipfe eruditionis propriae fructus tulit. Inter eos funt: *Ioachimi Beuft manuale, pium et beatum e vita exitum indicans* in Hungaricum ab eo transfufum et impreffum Debretzini 1639. 8. In quo opere, fpecimina poëfeos eximia occurrunt. Edidit etiam *Viridarium varii generis flofculorum, in vfum Iuuentutis honeftae, fenectutis venerandae plantatum ab Illuftriff. et Magnifico DD. Cafparo Illyeshazi de Illyesháza perpetuo a Trenchin, eiusdem Comitatus Trenchinienfis et Liptouienfis perpetuo, nec non Aruenfis fupremo Comite S. C. R. M. Confiliario, Equite aurato 1634. 4.* Complectitur liber infignem e SS. Litteris, SS. Patribus, hiftoricis, philofophis, poetis, aliisque fcriptoribus depromtam fcientiarum fuppellectilem, et loculenta auctoris pluribus in locis animaduerfiones. Mortuus eft, vir magnarum opum anno 1648.

a) Incomparabilis heros, non armis folum patriam a Tyrannide Turcica vindicare ftuduit, verum etiam litteris. Scripfit nempe idiomate Hungarico infcriptum librum: *Ne bánts* id eft, *nemo impune laceffit*, in quo oftendit media fufficientia, quibus Hungaria ex Faucibus Turcarum femet liberare poffet. Vid. de opufculo hoc, et occafione fcribendi oculatum teftem Nicolaum Bethlen in *Memoires du Comte Bethlem Miklos a la Haye 1739. p. 229.* Edidit idem, Comes Simon Forgács anno 1705. in 12. fub hoc titulo: *De bellica difciplina reftituenda, et Regno ab infultibus inimicorum tuenda* -- -- Aliud porro agnofcit eum auctorem: *Adriai Tengernek Sirenaja, Gróf Zriny Miklós* Viennae apud Mathiam Cofmera 1651. in 4. i. e. Adriatici maris Siren Nicolaus Zriny, in quo magni illius Nicolai, Szigethi propugnatoris virtutes, patrio fermone verfibus decantat. Non erit abs re, teftem adhuc vnum oppido idoneum eruditionis Zrinianae producere, latiniffimum Iacobum Tollium, qui fauorem infignis huius herois non vulgarem coram, in arce Cfák-Tornyenfi expertus erat, cum epiftolam ad amicum datam, in qua itinerationem fuam ad eum, et quae ibi obferuauit, defcripfit anno 1671. publicaret: ifta de cauffa eius edendae praefatur: Defungar fimul officio, munificentiam erga me

illuſtriſſimi, ac fortiſſimi Herois', Nicolai Serinii grate commemorans. Obiit hoc Croatiae, Hungariaeque lucidum Sydus ante annos pauculos: cuius virtutes et animi decora, prudentiam, fortitudinem, clementiam, liberalitatem, eruditionem, ſi tenuiter tantum delibare voluero, complures paginas impleuero. Linguarum quidem complurium ita callens fuit, vt qui illum ignorantes loquentem audirent, ſiue ille ſenſus ſuos, Hungarica, Croatica, Sclauonica, lingua exprimeret; ſiue Germanica, Latina, Italica, Turcica proloqueretur, quaenam ipſi vernacula foret, ambigerent. De rebus praeclare geſtis nihil dicam. Tam enim eorum, quos ab ineunte adoleſcentia, ad vitae vſque terminum patrauit, quam nuperi, cum Turcis in Hungaria belli, ſuo cum maxime ductu profligati memoriam, nulla temporum delebit iniuria. Vos autem Serinii Manes auete: et, ſi ſentire datur poſt fata quietis, hanc illuſtriſſimi veſtri nominis pertenuem commemorationem, ab animo grato, veſtraeque gloriae deditiſſimo profectam volentes accipite, ac aeternum valete!

a) Inſignis hic mathematicus Caeſareo - Regius fuit per Hungariam. Complura ſcripſit opera huc ſpectantia, puta *Medullam Geographiae practicae Bartphae 1639. 8. Bibliothecae, ſeu Cynoſurae Peregrinantium, h. e. Viatorii Partes II. Viennae 1643. ſeq.* Faſtos ſeu calendaria multis annis, latino et hungarico idiomate continuauit. Ego poſſideo ſequens: *Quod Deus bene vertat! Faſti ſiue Calendarium exhibens menſes, hebdomadas, feſta fixa, mobiliaque numerationem dierum triplicem (Gregorianam, Iulianam, et Romulinam) motus, ortus, occaſus, culminationes, configurationes, coniunctiones, aliasque habitudines planetarum, tum ipſorum ad inuicem, tum cum illuſtrioribus fixis ſideribus, item tranſitus, apertiones portarum et valuarum, tandemque tempeſtatum praeſagia in Annum Dei - hominis M.DC.XLII. ea diligentia, quanta fieri potuit elaboratum, atque hiſtoriis memorabiliſſimis illuſtratum per Dauidem Froelichium S. Caeſ. Regiaeque Maieſtatis per Hungariam*

Apaczai *a)*, Ioannes Kemelius, Ioannes Kutſera *b)*,

Mathematicum. Proſtat Noribergae apud Volffgangum Endterum Bibliopolam acceſſit: *Coelum anni aerae Chriſt. vulgatae 1642. verae 1644. ſiue Iudicium aſtromanticum de quatuor anni temporum principiis, tempeſtatibus, eclipſibus --- ſubiuncta ſunt paradoxa quaedam Mathematica.* Libri auctoris huius, ſunt ſane eruditione philoſophica, mathematica, hiſtorica --- refertiſſimi, quorum fuſiorem recenſionem vid. apud Zuittingerum, et Horanyium ad hunc titulum.

a) Aeterna dignus memoria, quod hungarice primus encyclopediam ſcripſerit hoc titulo: *Magyar Entziklopedia, azaz, minden igaz és haſznos böltſéſégnek egy be-foglaláſa.* Vltraiecti 1653. Non alias fieri potuit, quin obſcuritate multis in doctis laborare coactus fuerit: cum terminos nouos Hungaricos condere debuerit. Vtinam ſecuti fuiſſent poſteri, facile ciuitate donati fuiſſent. Partes de Hiſtoria, Geographia ſunt clariores. Scripſit itidem Logicam Hungaricam Albae Iuliae, 1656.

b) Fuit is Gymnaſii tum celeberrimi Roſembergenſis circa an. 1638. Rector. Multa ſcripſit Vir diligentiſſimus, philoſophica, et theologica. Nos iſta notabimus: *Diſputatio Ethica de Virtute. Leutſchoniae 1641. 4. Diſputatio Ethica de Virtutibus Homileticis, ibidem 1642. 4. Diſputatio Mathematico-theologica de Computu XIV. Problematum, ibid. 1642. Thematum Philoſophicorum Faſciculus, ibid. 1644. 4. Diſſipatio Phoſphori fatui coecos X. radios ſpargentis, quem Thomas Belaulus, Canonicus Poſonienſis, e fumo pingui formauit, et in aere Liptouienſi ſuſpendit, ibidem 1644. 8vo.* Conſtat opus X. Diſputationibus, de Eccleſia, Coena Domini, Miſſa, Cultu coelitum, Purgatorio, Ieiunio, Confeſſione, Bonis Operibus, Antichriſto, et de Miraculis. Dedicauit id, Carolo Szobeck L. Baroni de Kornicz D. haereditario in Konſzka, et filio eius Georgio.

Samuel Kapuſi *a*), Bartholomaeus Bauzner, Ioannes Fuchſz, Elias Thomae *b*), Ioannes Mautnerus *c*), Simon Albelius, Martinus Albrichius, Ioannes Bayerus *d*), Elias Ladiuer, Iſacus Zabany, Petrus Kiſztei, Simon Baſch, Michael Vnger, Ioannes Andreas Schubert, Caſpar Schoen, Georgius Lany, Georgius Mártonfalui, Samuel Németi, Ioannes Pap-Szathmári, Matthaeus Czanaki, Stephanus Eſzéki, Martinus Szilàgyi, Stephanus Tolnai, Ioannes Schwarcz, Dan. Vilh. Mollerus, Daniel Parſchitius, Georgius Bucholcz, Valentinus Greiſing.

a) Dolendum eſt, viri huius opera mathematica nondum lucem aſpicere potuiſſe publicam. Talia vero ſunt: *Promptuarium mathematicum, continens theſauros Matheſeos vniuerſae. Promtuarium Philoſophicum, vbi Phyſica pulcherrimo ordine pertractatur. Compendium Geographiae, iucundis Obſervationibus inſtructum. Epitome Aſtronomiae Calendariographia. Tractatus mathematicus, de partibus, vſibus et fabrica Quadrantis Aſtronomico - Geometrici.*

b) Gymnaſii florentiſſimi *Poſonienſis Rector. Scripſit Poſitiones ex ciuili doctrina ſelectas.* Poſonii editas anno 1669. 4. porro *Religionem qua talem*, ibidem 1699. 4. *Aphoriſmos Politicos.* MSS. ---

c) Rector Gymnaſii Caſſouienſis *Tyrocinium Logicum XX. et Gymnaſium Logicum C. Tabulis comprehenſum* Leutſchouiae 1640. 4to. publicauit, quod ab Eruditis tanti fiebat; vt M. Georgius Michaelis, Phil. Facultatis Adiunctus in Vniuerſitate Vitteberg. pro fundamento Lectionum ſuarum ponere non dubitauerit. Fuſa Mautneri noſtri biographia inuenitur in Rezikii Gymnaſiologia, Articulo de Gymnaſio Caſſov.

d) Vir hic oppido doctus, qui Gymnaſii primum Eperienſis Rector, Miniſter denique Neoſolienſis, ac vltimo Szepes Váralyenſis praecipuum ſortitus eſt, inter nouatores in Philoſophia locum. Ab Ariſtotelica abhorrebat nimium, tanto vero magis promouere ſatagebat et perpolire comenianam ſeu moſaicam. In Logica ſua, quam inſcripſit: *Filum Laby-*

Historici, et Antiqvarii: Nicolaus Istuánfy *a)*, Petrus L. Baro de Reua *b)*, Ioannes Volfgan-

rinthi, vel Cinosuram, seu Lucem mentium vniuersalem, cognoscendis, expendendis, et communicandis vniuersis rebus accensam, Cassouiae 1663. principiis maxime insistit Verulamii, logicamque doctrinam instruit; vt non speculationibus inutilibus; sed rebus praeclaris inueniendis inseruiat. --- In Physica sua, quam inscripsit *Ostium, vel atrium naturae ichnographice delineatum, i. e. Fundamenta interpretationis et administrationis generalia, ex mundo, mente et scripturis coacta, Cassouiae 1662.* de rerum naturalium principiis, plane aliter philosophatur, ac ea aetate fieri solebat. Tria enim, ad Philosophiae mosaicae ductum, admittit principia, *Materiam, Spiritum et Lucem.* --- Vide recensionem operis huius fusam in Dan. Georg. Morhofii *Polyhistore Edit. IV. Lubecae 1747. Tom. II.* pag. 102. 160. seq. et Ioan. Franc. Buddei *Introduct. ad Hist. Philos. Ebraeorum,* pag. 256. Caetera opera eius metaphisica recensere non vacat.

a) Lis est inter eruditos; num Historia eius Hungariae sit per Iesuitas, quorum opera anno 1622. Coloniae lucem aspexit, interpolata et corrupta. Sunt qui id variis argumentis sibi affirmant. Ego tamen vt credam, sufficientia non habeo. Quod religioni euangelicae non semper aequum semet praebuerit, id citra eorum corruptelas, studio Religionis propriae, ex diuersis principiis facere potuit. Quod caussas belli Bocskaiani alias, quam Volfgangus Bethlen produxerit: hoc rationi status, quae tum Pragae, et in Transiluania dehique, opposita plane fuit, aut persuasioni fuit tribuendum. Et cur velimus Istuánffium in omnibus ab errore immunem esse? cum tamen eruditi, in historia eius temporis complures detexerint. Vide. Cl. Vagner, *in Analectis Scepusiensibus* passim.

b) Praeter cognita opera eruditi huius Magnatis, *de S. Coronae Hung. ortu, virtute --- Commentarium et Centurias S. Coronae ---* Conscripsit etiam *Viridarium, materiarum variarum sacrarum, ethicarum, politicarum,* in quod, capita et themata circiter 500 sunt coniecta. Praeter ea, *Valedictionem Regi, Regno, Vxori, Liberis, inprimis Filio Paulo* (est trium philosopharum opus eruditissimum). De quibus vid.

gus, et Nicolaus, Comites de Bethlen *a)*, Ioannes

de *Orationem Funebrem habitam anno 1622. die 17. Iulii a Raphaele Hrabetio, Cassouiae 1623. 4to.*

a) Triumviri hi, insigniter illustrarunt genus suum celeberrimum litteris, id, quod neminem litteratorum latere potest. Primus horum Cancellarius Transiluaniae, scripsit *Epitomen Rerum in Transiluania ab anno 1629.* (nempe a morte Gabrielis Bethlen) *ad annum vsque 1663. gestarum Cibinii 1663.* Continuatio ad annum 1674. hucdum in tenebris haeret. Secundus itidem Cancellarius Michaelis I. Abaffii, suscepit scribere Historiam Hungariae et Transiluaniae, a Clade Mohacsiensi ad sua vsque tempora. Morte tamen anno 1679. in flore aetatis, (quadragenarius etenim fuit) praeuentus, vltra an. 1609. producere non potuit. Post fata eius Frater Alexius Bethlen, in arce Keresdensi constituta typographia, opus excudi curauit, eo tamen itidem morte immatura sublato, filioque Alexio infante Georgii Banfi Gubernatoris tutelae commendato, omnis suppelex ad hunc translata est, atque ita impressio libri impedita, sequentibus bellis domesticis promoueri non potuit, opusque ipsum, titulo et praefatione, residuaque sui parte in MS. delitescente, mancum adhaesit. Ita haec Excel. Paulus, Comes Bethlen Volfgangi ex fratre Alexio pronepos, in litteris ad Cel. Godofredum Schuartzium, Bonyha anno 1770. die 8. April. datis, enarravit. Anno tamen praeterito, Martinus Hochmeister, Typographus Cibiniensis, nouam reipubl. litterariae operis huius, vna cum residua in MS. parte, annuntiauit Tomis VI. in 8. proditurам. Primus eo anno 1782. prodiit inscriptus *Volfgangi Bethlen, Celsissimi Principis Transiluaniae Consiliarii Intimi -- -- Historia de rebus Transiluanicis. Editio II. Tomus I. Cibinii, typis et sumtibus Martini Hochmeister, 1782.*

Sunt, qui gloria libri Bethlemium priuare volunt, eamque Grondszhio et Vengerszhio Polonis apud eum diuersantibus tribuunt. Ego tamen affirmare ex vero possum, me lituras, interpolationes et correctiones manu autoris propria, in Opere MS. residuo vidisse. Postremus Nicolaus praecipue memorandus, propter biographiam propriam gallice conscriptam: *Les Memoires du Comte Bethlen Niclos.* a Amsterdam 1736.

L. B. Haller, Comes Franciſcus Nádasdi *a)*, Thomas Borſos, Ioannes Tomko, Andreas Pinxnerus, Ambroſius Somogyi *b)*, Georgius Ratkai, Stephanus Szomosközi *c)*, Melchior Inchofer *d)*, Io-

a) Tribuitur ei *Mauſoleum Potentiſſ. ac Glorioſiſſ. Regni Apoſtolici Regum et — Ducum — cum verſione operis germanica. Noribergae 1664. fol.* ſtilo lapidari erectum, ſaepius denique repetitum. Verſionem Hungaricam oppido elegantem dedit Cl. Alexius Horányi, inſcriptam: *Magyar Orſzágnak hatalmas, és ditſőſéges Királyainak, és elſő vitézkedő kapitányainak emlékeztető koporſó épülete, Budán 1771.* Scripſit Nadasdius etiam: *Cynoſuram Iuriſtarum, loca decretalia et articulos nouiſſimarum Conſtitutionum I. R. Hungariae vſque ad annum Chriſti M. DC. LIX. incluſiue, ſub titulis, ordine alphabetico collectis, breuiter repraeſentantem, Pottendorffii 1668. 8vo.* Multo vero auctior, et emendatior editio prodiit Leutſchouiae 1700. 8vo, in qua articuli annorum 1681. et 1687. comparent.

b) Fuit Interioris Szolnok Comitatus notarius. Scripſit magnam partem, quae vidit, et expertus eſt, Hiſtoriam Hungariae et Tranſiluaniae, incipiendo vbi Bonfinius deſiit. Scilicet ab anno 1490, ad annum 1606. Ideo in rebus praecipue ſuae aetatis fide dignus.

c) Stephani Bocskay, et anteriorum Principum Hiſtoriographus, quem multa fidedigne ſcripſiſſe, ex vltimis Bocskaii tabulis patet: in quibus ſeptem mille florenos in expenſas typographicas Operis eius hiſtorici conſtituit, executoresque teſtamenti, ſub comminatione iudicii diuini, ad perficiendum Opus adſtrinxit. Nunquam tamen lucem aſpexit. Eadem fata manſerunt Ioannis Bocatii et Caſparis Böjtii, Gabrielis Bethlen Hiſtoriographorum Opera, quae latine magna cura conſcripta fuiſſe, eiusdem aetatis teſtantur auctores. Vide Steph. Melotai *Speculum Trinitatis* in Dedicatione.

d) Sunt, qui eum Bauarum, alii Viennenſem patria dicant. Poſſideo ego Naenias in obitum Georgii Kapi, a compluribus Hungaris Iuuenibus ſtudioſis (puto Viennae, nam opuſculum titulo mancum eſt) ſcriptas. Inter hos, *Melchior*

annes Ambrosius, Mathias Aszalai, Caspar Böiti, Paullus Lisnai, Michael Oroszhegyi, Alexander Féluinczi, Valentinus Frank, Laurentius Topoltinus, Ioannes Tröfterus, Samuel Tordai, Ioannes Házi, Georgius Haner, Dauid Hermann, Franciscus Foris Otrokocsi, Christophorus Parschitius, Ioannes Nadányi, Georgius Krekuicz, Miron Moldauus *a*).

Oratores, Poetae, et Philologi: Simon Petsi *b*), Ladislaus Listius *c*), Ioannes

Inchofer Ungarus Rhetoricae Studiosus, (vti subscripsit), dialogismum inter hospitem et nuncium cecinit.

H. Quo properas tristis? *N.* dolor heu transmissus in oras
 Austriacas *H.* quaenam tristia signa refers?
N. Et non iam pridem vestras peruenit ad aures
 Fama trucis gesti? *H.* non age qualis erat?
N. Hic tibi quem tanta sublimem stirpe creauit
 Kapiadum, celeri morte Georgius obit. —

a) Viri huius vel ideo facienda fuit memoria, quod primus et vnus sit, quem in classem eruditorum ex hac natione, referre potuimus. Sed et merito suo locum tuetur. Cel. Cantemirus insigniter eum laudat his verbis: *In der Beschreibung des Fürstenthums Moldau*, pag. 340. *Am Ende des vorigen Iahrhunderts fiengen endlich auch einige Moldauer an, sich auf die lateinische Sprache und Wissenschaften zu legen. In dieser lobenswürdigen Sache gieng ein gewisser Miron, den andern mit seinem Beispiele vor. Er war Logotheca, und der richtigste Geschichtschreiber, den die Moldauer haben.*

b) Vir latinae, graecae, hebraicae, arabicae, turcicae et germanicae linguae gnarus. Vertit ex Talmude opus sequens: *Doctrinae SS. Patrum ex Hebraico Hungarice reddita, cum interpretatione a Simone Pechy.* Multa passus est propter Sectam Sabbathariorum, quam in Transiluania fundauit. Bibliorum ex hebraico versioni immortuus.

c) Insignis suae aetatis poëta Hungaricus, cuius et operum delineationem vide apud Cl. Horányi Part. II. pag. 497. seqq.

Kalinkius *a*), Daniel Pretorius, Elias Berger *b*), Ioannes Bokatius *c*), Ioannes Filiczky, Paulus Kismariai, Blasius Aponyi, Petrus Benitzki *d*), Ioan-

a) Rector Gymnasii Euangelici Rosembergensis, deinde V. D. Minister Raduanensis. Praeter alia conscripsit *Iusta Cygnea* carmine complexa, in exequiis suis recitanda, Trenchinii an. 1638. impressa. Magnus alias Orator et Poëta, latinus ac Slauicus.

b) Rector Gymnasii Euang. Posoniensis, et Aulae Caesareae Familiaris ac Historiographus. Scripsit Opera complura ab Horányio Part. I. sub hoc articulo, et Prayo in *Indice Rariorum Librorum Bibliothecae Vniuersitatis Budensis, Part. II.* p. 126. seq. fuse laudata et recensita.

c) Lusatus natione, Rector Eperiensis, dein Cassouiensis, vltimo Vrbis Consul, Poëta L. Caes. suauissimus, latinus et germanicus. Scripsit varia, Inter haec sub titulo: *Hungaricos Libri Poëmatum V. 1mo continet Martialia vel Bellica, 2do Encomiastica, 3tio Nuptialia, 4to Miscellanea, 5to Sepulchralia. Ad Illustrem, Magnificum et Generosum D. D. Sigismundum Forgács L. B. de Ghymes etc. Bartphae, excudebat Iacobus Klösz 1599. 8.* Scripsit etiam *Paraphrasim Syracidis, metro conclusam*, olim a me visam. *Historiam Hungariae*, a Gabriele Bethlen conductus, quae tamen iam interiit, Historiam Congressus Botskaii cum M. Vezirio in Campis Rákos anno 1605. in *Apparatu* Beliano impressam. --

d) Eques auratus, Poëta ex Principibus Hungaricis. Opusculum eius prodiit saepius inscriptum *Rithmi seu Versus Hungarici.* Parte priore, Cantica sacra, et poenitentialia, posterior adagia Hungarica continent. Huius aetatis sunt Poëtae Hungarici, Ioannes Rimai, cuius foetus, cum Blasiano saepe est excusus, Ioannes Bado, Leonhardus Szegedi, Stephanus Gyöngyössi, V. Comes Gömör., cui Cl. Horányi tantum in Hungaria tribuit, *quantum Tasso Italia, Voltairio Gallia, Opiczio Germania. Nihil inquit pulchrius; eius versibus. Carmen eius nitidum et sponte fluens, cogitationes foecundae atque acutae: omitto elegantissimas descriptiones, adfectus amoris, odii, commiserationis aliasque ani-*

nes Rimái, Ioannes Badó, Mathias Gazur, Ioannes Hrabſzky *a*) Leonardus Szegedi, Stephanus Gyöngyöſſi, Georgius Tranouſzki *b*), Daniel Böde-

mi viciſſitudines, natiuis quaſi coloribus depictas, ac fere oculis ſubiectas, quas vix melius, aut elegantius, vel in priſcorum poëtarum monumentis reperiamus. Poemata ipſius ſaepius ſunt expreſſa, Leutſchouiae, Tyrnauiae, Barthae, Budae. Ita eſt, feruntur Hungari natura in poeſim tam latinam, quam patriam. Documenta exteri videant in Deliciis poëtarum Hung. Paraei. --- Huc porro ſpectant Daniel Bedö Kórodi, P. L. C. Franciſcus Oeruendi, Chriſtophorus Pasko -- quorum opera fuſius recenſere non eſt noſtri inſtituti.

a) Fuit patria Raduanenſis, Hebraeae, Arabicae et Turcicae linguae gnariſſimus; abſolutis ſtudiis humanioribus, Vittebergae ſolidiora excoluit. Vbi etiam ſubiecit diſputationi publicae Exercitationem philologicam, *de Vtilitate et Neceſſitate Linguarum Orientalium* anno 1654. Reſpondente M. D. Tieſtrunk. Anno 1657 in editione Bibliorum hebraicorum Lipſiae multum laborauit. Redux in patriam factus eſt Rector Gymnaſii Modrenſis, paullo poſt, non ſine ſuſpicione veneni mortuus.

b) Teſchinio Pileſius V. D. S. Nicolai Liptou. Miniſter, poëtarum ſeculi huius Slauorum facile Princeps, reueraque in pangendis carminibus, Slauonicus Lutherus, qui diuinam ſuam venam, praecipue condendis hymnis ſacris conſecrauit, quos partim ex germanico a ſe transfuſos, partim recenter compoſitos, cum odis aliorum auctorum, praecipue Eliae Lány ac Bohemicis, edidit inſcriptos: *Cithara Sanctorum* Leutſchouiae anno 1635, typis Breuerianis, ac Ioanni Szunyog L. Baroni de Budetin dedicauit. Opere hoc Eccleſia euang. Slauicae nationis in cultu diuino hucdum vtitur. Scribit auctor in praefatione, ſe 4. ſolum Lutheri hymnos in Slauicum traductos reperiſſe; itaque ſe vltra 150. partim ex germanico variorum, interpretatum eſſe, partim nouas adieciſſe. Editio haec prima non niſi 400. complectebatur Cantilenas, ſucceſſu temporis Seculo hoc, nouies, Leutſchouiae, et Trenchinii repetita, maxima accepit, a poëtis Slauicis,

kòrodi, Iaćobus Eslinger *a*), Ioannes Bakos, Ioannes Bellostenecz, Ioannes Fridelius, Emericus Beczeli, Georgius Peucker, Michael Köuesdi, Franciscus Oeruendi, Adamus Plintovicz, Christophorus Pasko, Michael Ritthaler, Ioachimus Kalingius, Augustinus Serpilius, Georgius Zabognik, Tobias Paluschius, Michael Missouicz *b*), Michael Institoris.

His addi iure merentur duae mulieres, ex vero doctae, Susanna Lorandfi, Principis Georgii I.

Ioachimo Kalinkio, Georgio Zabognik, superintendentibus, Adamo Plintouicz, insigni musico Solnensi, Daniele Sinapio --- incrementa, vtinam vero maiori etiam cum selectu. Negari etenim non potest, multos hymnos, critico indigere ventilabro.

a) Gymnasii Poson. Euang. Rector. Nondum plura viri huius mihi occurrerunt, quam *vita et mors Viri adm. reuerendi, atque excellentissimi D. M. Iosuae Wegelini, Eccl. Posoniensis --- Pastoris, Venerabilis Contubernii Senioris et Scholarchae dignisss. breui oratione descripta, et publice in Gymnasio Posoniensi recitata a Iacobo Eslingero in Festo D. Ap. Thomae* A. O. R. 1630. impressa, 1631. 4. subiunxit Epicedion latinum et graecum.

b) Insignis humanista, communis Hungariae Euang. Praeceptor vocatus, ex vico Szmrecsah Liptov. oriundus. Iniuria temporum subinde exactus, multis locis maximo cum applausu docuit, Rahouiae, Lossoncini, Ozorocii, Trenchinii, Osgyanini, Rosnauiae, vbi etiam anno 1710. 4. Aprilis mortuus, honesto funere elatus est, iusta parentalia, Martino Pelsöczi Pastore Hung. soluente. Edidit varia in vsus iuuentutis studiosae opuscula grammatica. Fuit is etiam primus, qui in Gymnasiis Ius Hungariae docuit. Conscripsit ergo primas Lineas, quas sequeretur, methodo erotematica, inscriptas: *Delineatio Logico-Iuridica Operis Tripartiti Verböczlani*, quae tamen lucem non vidit publicam.

Rakoczii coniux *a*), et Dorothea Sophia cel. Friderici Balduini S. Th. Doctoris, et in Vniuersitate Vittenbergensi Professoris filia, Christophori vero Böhmii, Antistitis Leutschouiensis primum, dein Ioannis Serpilii, Consularis Sopronienfis Vxor, latine, graece, et hebraice doctissima *b*).

a) Scripserat spissum volumen Theologicum lingua patria: --- *Moses et Prophetae*, id est: *verae Christianae Religionis XLV. Articulorum, ex Serm. S. petita inuincibilis confirmatio*, Albae Iuliae 1641. 4. In quod opus inepte sedulus poëta sequens lusit carmen:

Nunc Paulina tonant, madidis oracula mappis,
Ante focum nutrix, potaque mussat anus.
Quid mirum, si sit nobis Ecclesia discors?
Dant passim bibula, Biblia voce sonos. ---

b) De ea M. Ioannes Christoph. Olearius in libro: *Euangelischer Lieder - Schatz*. Part. III. pag. 76. ita: Dorothea Sophia --- eine gebohrne Balduininn, hat dieses Lied (Iesu meines Lebens Leben etc.) sonderlich hoch und werth gehalten, also dass sie selbiges nicht allein täglich ihr Morgenlied seyn lassen, sondern es auch selbst in die Hebraeische Sprache übersetzet, und in ihre Laute gesungen hat. Ia sie hat den guten Gebrauch gehabt, allezeit, so oft sie nur eine gute Zeitung, in publicis und Priuatsachen gehört, solches in ihrer Retirade Gott zu Ehren und schuldigen Lob abzusingen. Wie sie denn eine recht gottselige, dabey auch sehr geschickte und gelehrte Matrone gewesen, welche nicht nur in der Philosophie und Theologie, sondern auch in der heiligen Sprache sonderbare Wissenschaft gehabt, so gar dass sie die Hebräische Sprache so gut als ihr Teutsch reden, mit gelehrten Rabbinen korrespondieren, und die Hebraeischen Psalmen, nach Art des Magnificats täglich mit Verstande singen können. Ia sie hat ihre Kinder selbsten, so weit gebracht, und angehalten, dass sie alles dasjenige, was etwan Teutsch zu reden vor fremden Leuten sich nicht wohl schicken wollte, in Hebraeischer Sprache, fragen, erzehlen und beantworten können: --- Mortua est matrona eruditissima Sempronii anno 1685. aetatis anno 46.

§ II.

Academiae Seculo hoc, successiue fundatae, quatuor illustrarunt Hungariam, nulla tamen illustre Vniuersitatis stricto iure aucta est axioma. Agmen ducit *Tyrnauiensis*, Petri Pázmanii, Archiepiscopi Strigoniensis, insigne monumentum. Experiendo is didicit, quantis impendiis, iuuentus R. Catholica, extra patriam, eruditionem subliniorem mercari coacta fuerit. Vt itaque malo poneret obicem, sitimque anhelantium Scientias extingueret, vel potius irritaret: emporium hoc bonarum Litterarum Anno M. DC. XXXV. confectis rite Tabulis die XII. Maii instituit, atque Religiosis S. I. regendum traditum, in frequentissima optimatum Hungariae panegiri, praelecto Fundationis Pázmánianae, et Confirmationis Caesareo - Regiae Ferdinandi II. in Templo Academico Tyrnauiensi Diplomate anni eiusdem, die XIII, Nouemb. solemniter inaugurauit. Tenuissima fuisse eius initia, Franciscus Kázy, qui ceteroquin omnes ingenii neruos, ad eam laudandam intendit, candide prodidit: Vix initio in disciplinis altioribus, praeter Logicam spinosam eam Philosophiam naturalem, Theologiam, Polemicam, et Ius Canonicum, aliud est traditum. Accessit Anno 1638. Theologia specultatiua: anno 1665. Moralis, anno 1667. tandem ius Hungaricum, Sumtus, Emerico Lòsi, et Georgio Lippai non minus 30000 fl. ferentibus. Alia non multa sequentibus inducta sunt annis. Aesculapii sectatores, toto hoc seculo irato Ioue, iure ciuitatis abstinere sunt coacti. Reliquos defectus ad seculum futurum notabimus. Suppar fere huic fuit Cassouiensis, itidem Iesuitarum, quam Benedictus Kisdi, Agriensis Episcopus anno M. DC. LVII. induxit, cuius et mores, et statuta, et studia et vicissitudines ex Tyrnauiensi facile agnoscas: adeo fuit eius similis. De ea ita Nicolaus Schmitth, in

Episcopis Agriensibus Tom. III. Tyrnauiae anno 1768. in 8. pag. 264. commentatur: *Annus 1657. ter felix faustusque erat, non modo Cassouiensi vrbi, verum etiam omni superiori Hungariae, insigni beneficio nostri Praesulis, quo Cassouiensi Gymnasio amoenioribus litteris eo temporis florenti, seueriores disciplinas vtriusque Reipublicae per quam necessarias, nimirum philosophiam, polemicam, ac ipsam denique sublimiorem Theologiam, scientiarum Reginam addidit, ac vna, multorum annorum desiderium, quo illarum partium Ciues ardebant, feliciter absoluit.* Leopoldus Imperator, et Rex Institutum Praesulis, Diplomate anno demum 1660. die 7. Aug. confirmauit, ac omnes immunitates, quibus veteres et nouae per Germaniam et Hungariam Academiae gaudent, impertiit. Adulto iam autumno eiusdem anni, Senatus Academicus, ornamentis suis insignitus, solemni ritu, in sacram aedem profectus, redditis Deo gratiis, Iuuentuti ad scientiis humanas, diuinasque perdiscendas, aditum aperuit. Iungenda his *Budensis*, quam Mathiam Coruinum aemulaturus, opere licet et euentu dispari, erectis, victricibus Leopoldi M. armis, anno superiore Turcis, sequenti illico M. DC. LXXXVII. Georgius Szécséni, Archiepiscopus Colotsensis constituit, et Societati Iesuitarum, docendam commendauit, Typum eius oppido tenuem Anonimus in *Re Litteralia Hungariae*, pag. 14. ita delineat: *Sex in ea litterarum humaniorum Classes numerantur; Philosophicae item praeceptiones, Theologia, quae ad mores Christianos pertinet, Summorum deinde Pontificum, et Ecclesiae sancita, Iusque omne, quod Canonicum vocamus, explicantur, non mediocri Iuuentutis vtriusque concursu, et emolumento.* Postrema est *Claudiopolitana*, in Transiluania, Molitiones nempe Bathoreorum, seculo superiore adiectas, Leopoldus Imp. confecit, cuius auspiciis anno M. DC. XCVII.

die XVII. Nou. coepit instaurari, atque vix alia, praeter Philosophiam initio doceri. Quae instituta sub Iesuitis, quidue ordinis fuerint, patet ex oratione tum in Academia hac dicta, et sub titulo *Primitiarum Academicarum* excusa, nec non ex *Litteris inuitatoriis* S. Sigismundi Vizkeleti, Archidiaconi, in officina Nicolai Torsalusi, anno 1698. editis.. vide *Ortus, et Progressus Collegii Academici S. I. Claudiopolitani*, auctore P. Georgio Baróczi S. I. Non minus Euangelici Patriae ciues, initio iam Seculi, intendebant, in tam vtile institutum curas. Daniel Curman, in *Historia Ecclesiastica Hung. MS. Periodo IV. §. 3.* testis est, complures Ministrorum Euangel. Confraternitates I. I. Statibus, et ordinibus Regni suae Confessionis porrecto, in Comitiis anni 1608. libello supplice petiisse, inter cetera, Vniuersitatis erectionem. Sed pia desideria, tempora nouercantia sufflaminarunt.

§. 12.

Accedimus itaque ad Gymnasia, quae frequentissima aperuisse, omnium religionum Ciues, ex dicendis patebit. Praecipuum est, licet non aetate primum, *Eperiesiense*, quod splendebat, dum saluo esse licuit, tamquam inter stellas, luna, minores. Siquidem instituti, in commune vtilissimi, penitus fere iam euanuit memoria, neque vlla, quod quidem sciam, descriptio eius, luci publicae data est: non feret lector humanus inique, si vltra fines praescriptos, fusiorem dedero eius delineationem. Gaudebat quidem vrbs haec Gymnasio, a superiori inde seculo, sed eo, ad normam reliquorum, in Hungaria instituto, in quibus vnus solum docens altiores, easque saltim Instrumentales docebat disciplinas, reliquis, quorum 3. 4. numerabantur, humaniora profitentibus. Multi viri doctissimi aegre

ferebaut in regione, Vniuersitate destituta, tam angustos studiorum limites, iuuenibusque ad mercatum in exteris regnis, bonarum litterarum proficisci, quibuscunque de Causis nequeuntibus, occasionem ingenia explicandi, praescissam: ideoque desiderabant, scholam scientiis amplioribus, instructiorem in patria erigi. Fuit inter hos vir imprimis eruditus, et operibus orbi erudito datis clarus, M. Ioannes Bayerus, Gymnasii Eperiesiensis Rector, qui naeuos hos, coram M. Ioanne Sartorio, Ecclesiae Euang. Vrbis eiusdem Pastore primario, Ioanne Vebero Praetore, ac Stephano Vitnyedio, viro illustri, saepius taxans, votaque sua promens, facile hos consentientes habuit. Hi itaque non difficulter status et ordines Regni Euangelicos, superiorum inprimis Hungariae partium, ad suas partes pertrahunt. Re hunc in modum motui data, conueniunt Anno 1665. die 11. et 20 Augusti sex Superiores Hung. Ciuitates, et Comitatus Sárosiensis, per nuntios Conuentum Eperiesim celebrant de sumtibus, loco lycei huius futuri, et id genus necessariis consultaturi. Hospitium, ei Vrbs Eperiesiensis vltro lubens concessit: impensis I. I. Status *a)*, tulerunt, multum auens dato, ab eorum nuntiis, in Conuentu regni Cassouiae Congregatis die 18. Nou. eiusdem 1665. anni, ad fidei per Hungariam, et Transiluaniam socios, libello supplici (quod amoris

a) Samuel Pomarius, Collegii huius moderator supremus, ibi, co mox laudando, pag. 40. idem testatur inquirens: Nemini melius, quam vobis ipsis Domini constat, quam tenuibus instructi sumtibus, fundamenta prima operis huius posueritis, quam desperabundis quidam in Hungaria, cum cogitationibus conflictati, vix ausi fuerint, in eam spem animos exigeret, vt ea crederent in altum deductum iri, quae tamen in praesens, liberalitate statuum, passim affluente, eam in molem stant erecta: vt cum quibusvis aliis Hungariae et Germaniae Gymnasiis, imo academiis certare possint.

Christiani officium praestiterunt, Reformati etiam ex eodem Conuentu, litteris ad suos Commendatitiis) per charitatiuum subsidium. Imo serenissimos Reges etiam Sueciae, Daniae, Elector Saxoniae, Respublica Bataua, non defuerunt, tam vtili operi; inter MSS. Heuenesiana, Tom. IV. iiii. qui totus documenta ad Gymnasium hoc spectantia continet, insunt tabulae autenticae, quibus docetur, Hungaria, et Transiluania vltra 30000. fl. ex exteris vero Prouinciis 20000. esse collecta. Praeparatis itaque necessariis, iaciuntur, anno 1666. die 5. Aprilis, in praesentia Nuntiorum, Comitatuum, et Ciuitatum, inter instrumentorum musicorum concentum, milleque gaudia, fundamenta, dicta a Ioanne Sartorio docta oratione. Vix haec molimina patriae sane vtilissima, percrebuerunt: apud augustam aulam deferuntur, obicesque ponuntur, quo opus integrum suffiaminari possit. Scribit itaque Archiepiscopus Georg. Szeleptsényi, extemplo litteras dehortatorias, et cum nihil proficeret, permouet Augustiss. Imperatorem Leopoldum, quo auctoritate sua conamina prohiberet. Triplex lego Mandatum anni 1666. diebus XI. Aprilis, XXI. Iulii, ac tertium ad petitionem Fisci regii, quo eos ad causam facti reddendam euocat, die IX. Iulii anni sequentis. Praeter aliud, ad Palatinum primo illi adiunctum, ad Senatum Eperiensem datum, quorum sensus est: *Augustissimum Dominum, ex informatione nonnullos cum displicentia intelligere, eos Academiam erigere adniti: cum vero Academiae fundatio soli suae Maiestati competat, nec in fundis Censualibus, contra voluntatem suam erigi valeat: ab eiusmodi fabrica supersedere; sub graui animaduersione teneantur.* Responsum tulit Episcopus Agriensis, Thomas Pàlffi, qui primum, qua *Commissarius regius*, detulerat Eperiesinum, *ignotum esse Senatui titulum hunc Academiae: quod vero Scholam communem Euan-*

gelici status aedificent, *id negotium*, *quoniam non se praescise*, *sed inprimis statum Euangelicum concerneret*: *idcirco sese ad litteras Maiestatis Sacratissimae sine Statu Euangelico*, *resoluere non posse*. Idem est sensus, humillime informationis ad b. Mandatum posterius datae. Ipsi status ad litteras Causarum regalium Directoris Euocatorias respondent: *mirari se*, *quod Fiscus ramusculis vulgi*, *citra vllum fundamentum credat*, *nec sibi esse animum*, *vt Academia formalis aedificetur*, *sed schola amplior*. *Id non pugnare contra Maiestatem Caesaream*, *vel leges Regni*, *cum licitum sit*, *per eas scholas aedificare*, *pertinereque id ad liberum religionis exercitium*: *rogantque in informatione hac adquiesceret*, *nec permittat*, *vt osores tranquillitatis publicae sint molesti*. — Nihil motum lego amplius. Quare tanto gnauius incumbunt operi adeo, vt duplici aestate *a*), surrexerit, et supremam manum inpositam acceperit, moles sumtuosissima. Dicitur enim XXV. millibus thalerorum constitisse, ac in fabros solum murarios, singulis hebdomadis 300. th. expensos fuisse. Illud est ex *Transactione*, inter status Euangelicos, et Magistratum Eperiensem, die 16. Ap. Anno 1661. ibidem inita certius: *aestimatum esse aedificium XXV. millibus fl. Hung. conuentumque*, *quodsi ciuitas certis rationibus inducta*, *aedificium occuparet*, *summam illam exsoluere obligaretur*. Princeps iam fuit cura, quae ad internum, et externum spectabant, collegii habitum constituere. Celebratur itaque anno hoc 1667. ibidem conuentus, in quo *de Gymnasii huius conseruandi sumtibus collectura*, *Conuictu nobilium*, *et ignobilium adolescentum stipendiis professorum*

a) Idem ibidem pag. 10. Quis est, inquit, qui nondum biennio, integro exacto, sed binis duntaxat aestatibus, laboribus fabrorum, et opificum insumtis, largiter benedixit, eosque tam feliciter profligauit, vt iactis non solum fundamentis

fessorum Inspectoribus constituendis a), aliisque externis: dein de sectionum ordine, serie, modo, ac methodo docendi, auctoribus proponendis, praeceptis explicandis, exercitiis, et examinibus instituendis — agebatur. In decem classes omnia dispescere libuit stu-

profundis, quae firma et idonea essent, operi perferendo, sed erectis etiam muris, columnis, fulcris, fornicibus, e quadrato lapide constructis, et magnis robustisque molibus, in altum deductis, tandemque consignationibus et tectis ex amussim superinpositis, aedificium totum, ad colophonem vsque summam perduceretur, et in hac se fabrica inuidenda, et stupenda machina conspiciendum praeberet, qua nunc omnium intuentium oculos, et animos in se conuertit, et ad stuporem rapit. Deus, Deus omnino est, qui dat et velle et perficere, *qui coepta simul, mediumque beans, colophona coronat;* adeo, vt Status Hungariae Euangelicus, eius beneficio tripudiare nunc de hoc opere suo absoluto longe gloriosius, quam Romanae fidicen lyrae, odis suis, ad vmbilicum deductis, et pronuntiare habeat;

Exegi monumentum aere perennius
Regalique situ Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non aquilo inpotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, et fuga temporum.

a) Fuere hi sex ex Statu Nobilium, totidem ex Ciuili sequentes: Franciscus Semsei de eadem, V. Comes, Andreas Keczer, de Lypocz, Assessor, Melchior Keczer, de Lypocz, Assessor, Andreas Dobay de eadem, Notarius, Sebastianus Sárosi, Iudex Nobilium, Petrus Feigel, Assessor, omnes I. Comitatus Sárosiensis: Michael Hakker, Iudex primarius, Ioannes Veber, Iudex secundarius, Sigismundus Zimmermann, Tribunus plebis, Thomas Kunrad, Senator, Daniel Guth, Notarius, Georgius Gaffer, Vice-Notarius, omnes Liberae ac Regiae Ciuitatis Eperiesiensis. Quorum officii erat, Collegium sartum, tectumque conseruare, Docentibus, vt officium exacte facerent, inuigilare, eosdem vocare, suum cuique tribuere. -- --

dia, vtpote, in Claſſem Theologicam, Philoſophicam, Logicam, Rhetoricam, Poeticam, Syntacticam, Grammaticam, Donatiſtarum, Paruiſtarum, et Legentium, ad quas ſtudia reliqua praeſcripta pertinuere. His ita rite ordinatis, deliguntur viri docendis, attributis ſibi ſcientiis, eruditiſſimi. Qui ſummae rerum, totius Collegii praeeſſet, petitus eſt, ſcriptis ad ſereniſſ. Electorem Saxoniae, et Abrahamum Calouium, Profeſſorem in Vniuerſitate Vittebergenſi Primarium, a Statibus litteris, et datus Samuel Pomarius, hucdum ad D. Iacobi Magdeburgi Paſtor *a*), qui ſuſcepto, ſumtibus I. I. Statuum S. S. Theologiae Doctoris Vittebergae, axiomate, hoc anno 1667. Eperieſinum feliciter appulit, Theologiam et Linguas docturus orientales. Secundus ordine fuit Michael Pancratius, Iuris vtriusque Doctor, Pro-

a) Iuuat hic inſerere, quae Nicolaus Schmitth, in *Epiſcopis Agrienſibus* Tom. III. pag. 271. et 272. ad annos 1666. et ſequentem habet; ſiquidem ſupra dicta confirmant, et illuſtrant. Ita vero is: Conſequente anno (1666. Thomas Pálffy, Ep. Agr.) a Leopoldo Rege Eperieſium, graſſanti illic haereſi fraenum iniecturus legatur: nimirum ipſe antiſtes eius opem implorauerat, ne pateretur errorum praeſidium Eperieſim exigere, quod Sectarii, feſtinatis operis vrgebant. Rei Catholicae ſtudioſiſſimus Princeps, facile exoratus, coepto vt opere deſiſtant, manumque iam exſtruendae illic locorum academiae (male, nam Gymnaſium ſolum fuit, neque vlla Iura Vniuerſitatum habuit) fabricae iniecerant, intra moram retrahant, continuo perſeuerum mandatum mittit. Habetur illud in MSS. Heueneſianis noſtri Muſaei Hiſtorici Tomo XXXVIII. pag. 221. Equidem Eperieſienſes reuerenter, vti decebat, regium Legatum, mandatumque accepere, nihilominus Principum Acatholicorum (inprimis Regis Sueciae opem eos implorauiſſe, neſcio, quam fide digne dicit) patrocinio audaciores, adeo dies noctesque accelerarunt coeptum opus, vt fere ſupremam manum eidem impoſuerint, (imo vero anno hoc 1667. plane impoſuerunt). Inuitati

quoque erant, variarum artium Magiſtri Vittemberga, ad tradendas litteras Iuuentuti, quo etiam ſeries claſſium, et diſciplinarum transmiſſa eſt, ad Abrahamum Calouium Doctorem, vt ſe nominat in litteris, ad Senatum Eperieſienſem miſſis, Theologiae per terras Elector Saxoniae Seniorem, Academiae Vittebergenſis Profeſſorem primarium, et Electoratus Saxonici Superintendentem generalem. Placuit vltimam Claſſem iſthic recenſere iis ipſis verbis, quibus vſi ſunt authores feriei, (vtinam et reliquas adieciſſet) e quibus iudicium ſtatuas de aedificio, „decima Claſſis, vltima et ſuprema eſt Theologorum, vbi tractabitur Theologia ex profeſſo, cum linguis orientalibus, Hebraeae quidem Forſtii, ceteris vero, pro arbitratu Profeſſoris Primarii, et Directoris Gymnaſii, qui pro tempore eſt admodum reuerendus, excellentiſſimus et ampliſſimus vir, Dominus Samuel Pomarius, SS. Theologiae Doctor, Magdeburgo huc accerſitus. Huius ſalarium ſunt annuatim quadringenteni talleri imperialis, item 25. talleri lignalis pecuniae, viginti quatuor cubuli Eperieſienſes ſiliginis, tritici puri cubuli ſimiles ſex, duo vaſa vini, decem vaſa cereuiſiae, hoſpitium honeſtum gratuitum.„ Verum Pomarius, quod nollet inter ſpem et metum poma fugacia captare, (eſt Sarcaſmus frigidus, et indignus a Schmitthio fabricatus) diffuſe propoſitis difficultatibus, quae ipſum non abs re terrebant, oblatam ſpartam alteri conceſſit, (ſed vero ipſe ſibi actor, oblitus repente ſui contradicit: dixit enim, fuiſſe pro tempore Profeſſorem Pomarium, quin vir optimus non ſponte, ſed exturbatus Gymnaſium deſeruit) et academia magno ſtrepitu inchoata, opinione ſectariorum celerius euanuit„ (Vtinam non Schmitthii ſociorum inuidia, noſtro vero et litterarum malo, ſanguineis lacrimis, nunquam ſatis deplorandô.) Pomarius noſter fuit Sileſius origine, facultatis Philoſophicae Vittembergae adiunctus, deinde Decanus Colonienſis, ad Spream, mox Superintendens Paleo-Stolpenſis, vltimo ad D. Iacobi Magdeburgi Paſtor Primarius: vnde Eperieſinum vocatus, anno vero 1673. in exilium actus Profeſſor Theologiae, Extraord. Vittembergae creatus, qua Superintendens Liberae et Imperialis vrbis Lubecenſis anno 1683. die 2. Mart diem ſuum obiit.

fessor eiusdem iuris, et historiarum futurus *a)*. Isacus Zabanius Artium L L. et Philosophiae Magister, Professor Theol. secundarius, et Philosophiae ordinarius *b)*, Elias Ladiuer, Logicae et Matheseos professor, nec non Paedagogiarcha *c)*. Adamus Lazius,

a) Patria fuit Sebesiensis Transiluanus, patre Martino Antistite Kelniciensi anno 1632. ortus. Studiis in Gymnasiis Claudiopolitano, Posoniensi, Vittebergae, Lipsiae, Ienae, Altdorffii — excultis, Rostochii, vbi etiam Historiam, Rhetoricam, aliasque eruditionis partes, publice docuit, Doctoris in vtroque Iure titulo ornatus est. Vocatus in Collegium Eperiesiense, ad ius docendum, hincque exturbatus, Cibinium se recepit, mox Neovillae, atque Mediae Pastor factus. vltimum Superintendens Transilvaniae Euangelicus, an. 1690, die 11. Iulii mortuus est. Vide fusius biographiam eius descriptam, apud Cel. Martin. Schmeitzelium in *Dissertatione Epistolica, ad Ernestum Salom. Cyprianum, de statu Ecclesiae Lutheranorum, in Transiluania.* Ienae 1722. in 4. pag. 87. seq. et Cl. Benko in *Transiluania* Tom. II. pag. 433. *seqq.*

b) Fuit is patria Brodsanensis (Zuittingerus pag. 49. Transilvanum dicit) prope N. Tapoltsàm I. Comitatus Nitriensis, Ioanne Zabány, Pastore loci natus. Studuit Sempronii et Vittembergae, vbi sub M. Ioan, Bayero de *Gnomone scioterico anno 1658.* disputauit, post reditum fit an. 1660. scholae Brizno - Bauyensis Rector, hinc vocatus, Gymnasii Eperiensis veteris Conrector, vltimoque in Collegio Professor. Exul hinc in Transiluaniam semet recepit; vbi in Gymnasio Cibiniensi Rector factus, Pastor dein Orbacensis, ac vltimo Cibiniensis primarius, mortuus est anno 1707.

c) Patre Elia Ladiuero, Ministro Solnensi natus. Eius vitam ita descripsit Cl. Ioan. Rezitzius in Gymnasiologia Euang. Hung. ad scholam Bartphensem: „Post scholam patriam, et Gymnasia alia, delegerat Gymnasium reformatum Patakiense, cuius nomen auxerat Comenius. Linguam Hungaricam hoc loco, familiariorem sibi reddidit, rationem docendi Commenianam est affecutus, Vittembergae audiendo Scharffium, Calovium, Meisnerum, Cunadum, Erfurti se quoque excoluit.

Belgium ingredi in animo habuit, ſed obedire vocandi patriae debuit. Rediit anno 1655. diuinarum, et humanarum rerum, notitia inprimis ſtili latini ornatu excultus. Impendit ſe ſcholae patriae, plus minus triennio, Conſilio Eliae Spleny Bartpham transfertur, locum Martini Pfeiferi occupaturus. Diligentia fuit ſumma, quinta hora matutina adibat pulpita, occidente ſole deſerebat, ſaepius impranſus, ad coetum ſtudioſorum redibat. Pater vix ex ſe natos tam indulgenter tractat, quam hic diſcipulos. Hi pariter vix propendebant amore in progenitores tanto, quanto in hunc. Amabatur pariter, ac timebatur. Docebat Theologica, et Philoſophica hoc modo: Quae dicta ſunt, reuocauit ad praxim, erotematice, ſyllogiſtice, examinans auditores. Interdum ipſe ſtudioſum occupauit argumentando, interdum fecit poteſtatem illi, ad ſe inpetendum. Dormitare licuit nemini. Intelligere ſi quis dicta non potuit, interpellare licuit. Scholam ſe Pythagoricam habere nolle, inculcabat. Inprimis provexit conatus per circulos. Hi vero tales fuere: Abſoluta lectione, diſceſſerunt ſtudioſi, in circulos; Reſpondentis vice fungebatur vnus, alter opponentis, data libertate inſtanti omnibus reliquis. Si haeſit reſpondens vel opponens, ipſe iuuit. --- Aegre tulere nonnulli; quod Ariſtotelis fuerit amantior, eidemque iuventutem mancipauerit in tanta Philoſophorum Chriſtianorum copia, cum ipſe quoque innutritus fuerit Philoſophorum recentiorum placitis. Ad haec ille: quod hunc potius ſequor, quam illos, cauſa eſt, quod ductu rationis conſcripſerit Philoſophiam ſervientem Theologiae, talesque illam continere hypoteſes, quae Theologorum ſeruiunt placitis. --- --- Addidit, Academiam Vittembergenſem olim Peripatheticam fuiſſe, et hodie eſſe Lipſienſem, Argentoratenſem, Altdorffinam, Ienenſem Non placuit nonnullis etiam iſta eius aſſertio: Accidens non habet ſuam propriam exiſtentiam, diſtinctam ab exiſtentia Subſtantiae: univerſale in intellectu eſt res. Quarum poſteriorem Iſacus Zabanius, diſſertatione publica, anno 1670. in examine anniuerſario Eperieſini inpugnauit. Vnde virorum horum diſſenſus. Conſcripſit Bartphae exiſtens, *Diſſertationem de Coena Domini*, Stephano Szirmay reſpondente. Tandem an. 1662. die 18. Febr. praemiſſa valedictione, aegre dimiſſus. diſcipulis, quorum circiter 70. adulti

Artium LL. Magifter, profeffor Oratoriae a). Inferiorum claffium Praeceptores fuere fequentes: Pau-

ftudentes fuere, conplorantibus, ad Ecclefiam Teplenfem vocatus abiit, ac a Ioachimo Kalnikio Illouiae Superattendente initiatus. Perfeuerauit ibi, donec ad Collegium Eperienfe, ex voto ftatuum vocaretur Profeffor, et Paedagogiarcha, methodum difciplinarum Sturmianam, ab Amofo Comenio perfectam, quam is apud eum Patakini imbiberat elimaturus, in omnes Scholas Lutheranas introducendam. Fuit Difputator acutiffimus, qui cum Zabanio ab Vniuerfitate Caffouienfi, litteris faepe conuentus, cum Iulio, Zambario, Grybeczyo, antagoniftis, infigni cum approbatione difputabat: lufuum Comicorum artifex ingeniofiffimus, quos frequentes, vti erant tempora, fummo cum fpectatorum applaufu Eperiefini, per difcipulos, producebat. Motus fparta, Ecclefiae Tiszoczenfi in Com. K. Honth, fpatio exiguo praefuit, vnde exturbatur non acceptata ad Profefforatum, in illuftri Gymnafio Thorunenfi vocatione, Germaniam peragrans, fchola Schaesborgenfi in Tranfi u nia admotus, iterum Eperiefinum, vti infra dicetur, reuocatus eft, atque ibi an. 1686. die 2. Aprilis mortuus.

a) Michaele Lazio Caffenfi in Com. Trentfin. Miniftro genitus. Amiffis in pueritia parentibus, tutelae L. Baroniis Steph. Petroczi, et Ioachimi Kalinkii Superint, commendatus, Patauini, Solnae apud Ladiuerum, poft Vittebergae ftudia excoluit, illincque Eperiefinum eft euocatus. Sed laborum fcholafticorum pertaefus, poft medium annum, ad munus miniftri aulici, apud Comitem Stephanum Tököli gerendum tranfiuit, quo mortuo, eiectus, per Silefiam fatis aduerfis iactabatur. Impotens aerumnas ferre exilii rediit, Pofonii coram Archiepifcopo Szeleptsénio, ad facra R. Catholica defecit. In Gymnafio Eperief. fucceflorem accepit M. Iacobum Röfer, Facultatis Philofophicae Vittebergae Adiunctum, qui ingreffurus Hungariam confcripfit *Annotationes Anti-Grotianas ad Genealogiam Chrifti fecundum Lucam*, fub Praefidio Calouii ventilatas, et Infpectoribus Collegii Eperienfis dedicatas. Poft exilium factus eft SS. Th. Doctor Vittebergae, vbi aliquamdiu fubftitit.

lus Michaelis Politices *a)*, Ioannes Schnaczinger Syntaxeos *b)*, Andreas Szantó Grammatices, Martinus Sárosſy Principiorum, Ioannes Iankouics Donatiſtarum, Ioannes Simonides circa legendas, Nicolaus Hadikius circa colligendas, Stephanus Szép circa dignoſcendas Alphabeti Litteras in claſſe minima Praeceptores. Illuxit tandem felici ſydere dies XVIII. Octobr. anni M.DC.LXVII. Lucae Euangeliſtae ſacra, qua ſolennis Collegii huius inauguratio fuit ce-

a) In fano S. Petri Liptouienſi, parentibus ruſticis natus, muſicus inſignis, ſed vitae minus caſtigatae: ſtatione depulſus, in aulis illuſtrium per Hung. mox per Germaniam, muſica victum quaeritabat, nullibi ob enormem bibendi libidinem fixus, tragicum vitae finem fecit.

b) Metallurgorum officiali Caeſareo in valle Dominorum 1640. natus, ſtudia Eperieſini, exculta Vittebergae confirmauit, ac cum D. Pomario, Comes itineris ad Gymnaſium nouum venit, mox poſt quinque menſes deſeruit, ac Olaszini in Scepuſio ſcholam regendam ſuſcepit. Succeſſit ei Georgius Dömöteri, qui prius defendit *Vindicias veritatis Euangelicae, aduerſus Ieſuitas Iaurinienſes in Hungaria adornatas, a Chriſtoph. Volfflin Th. D. et PP. in Academia Tubingenſi, Tubingae typis Gregor. Kerneri 1666.* Editus erat ab eis anno 1661. Libellus typis Tyrnauiae mandatus, ſub auſpiciis Com. Franciſci Nádasdi, cui etiam eſt dicatus. Expendunt in eo tres vti quidem in titulo recenſentur ſalutares quaeſtiones: Vtrum Lutherani et Caluiniani ſint in vera fide? Solane vnica pontificia fides ſit vera? num Pontificii contrarientur Scripturae S. magis, vel Lutherani et Caluiniani? Vertit ſcriptum ex Hungarico (eo enim prodiit) Dömöteri, ac rogauit D. Vofflinum, id vna et altera exercitatione Academica refutaret, quod et factum eſt. Promiſerat Dömöteri Hungaricam vindiciarum ſacrum translationem. Steteritne promiſſis dicere non habeo. Excepiſſe hunc iam anno 1671. lego Ioannem Laurenty Velkopolenſem, qui conſcripſit et defendit *de vitae termino a ſupremo numine hominibus praefixo, Diſſertationem,* Bartphae an. 1761. ſub praeſidio D. Pomarii.

lebranda. Concurrunt itaque I. I. Statuum et Ordinum Euangelicorum nuncii, aliique fummi, imi, vltra exfpectationem frequentiffimi: in quorum ampliffima panegyri M. Ioannes Sartorius, alteram iam in Gymnafii huius folennitate peroraturus, orationem dixit luculentam, atque collato ei auctoritate publica *Inclitorum Statuum Euangelicorum Gymnafii* axiomate, Profeffores et reliq. Docentes in nouum hoc Lyceum, nomine, et auctoritate I.I. Statuum introduxit, ac ius docendi impertiit. Refpondit primum Samu. Pomarius, Collegii futurusDirector fuprem., oratione non minus elegantiffima, et litteratura multifaria excultiffima, quam folennitate hac digniffima, digna ideo, quae typis excudatur repetitis: *De Cura Magiftratus Ciuilis pro Scholis a)*, in qua de Officii huius, ei diuinitus demandati ratione, et ex vfu, ac neceffitate publica fubditis, pro educanda Iuuentute adolefcente, fedulo adminiftranda et impendenda, argumentis et exemplis ex Scr. S. philofophia, hiftoria erudite peritis perorabat, ficque poffeffionem Cathedrae iniit. Continuabat panegyrim Pancratius,

a) Prodiit ea Bartphae primum, cum Pancratiana, aliis acceffóriis anno 1668. mihi nondum vifa, mox repetita Vitebergae, litteris Wendianis 1669. fub titulo: *Oratio aufpicalis in folenni inauguratione I. Gymnafii I. I. Statuum Regni Hungariae Auguftano Euangelicorum Eperiefini recens erecti, Die XVIII. Octobris anno 1667. inftituta habita in frequentiffima fplendidiffimi Auditorii Panegyri, a Samuele Pomario, SS. Theologiae Doct. et P. P. eiusdemque Gymnafii Moderatore ac Directore fupremo. Acceffere Intimationes et Orationes quaedam breuiores aliae, hoc ipfo anno ibidem ab eodem expeditae, e quibus facies moderna Illuftris Athaenei pro palam innotefcit.*

MNEMOSYNOTEOSTICHON.

FRAGOPOLI EXSTRVCTO LVX LVCE It FESTA LVCRO
LVX EVANGELII TRANSIT IN HVNGARIAM.

cuius tamen Opuſculi copiam conſequi nondum potui. Itaque de eo nihil dicere habeo. Quod reliquum diei ſupererat, datum eſt gaudio. Concurriſſe mox initio ad emporium hoc bonarum litterarum Iuuentutem frequentia, quam quae eſſe poteſt maxima, teſtis eſt Pomarius l. c. pag. 41. *Spectamus nos quoque inſigni voluptate in primordiis Gymnaſii huius noſtri, quatuor magnificos et ſpectabiles Liberos Barones coram oculis noſtris, exſpectamus breui illuſtriſſimum Comitem, et magnificos Dominos, complures alios, Nobilium et Ciuium numerus adeſt frequentiſſimus a).* Abſolutis ceremoniis, concurrunt ad operas ſuas et docentes ſinguli ſibi attributas, et diſcentes, annuntiante eas, Programmate *b)* valuis collegii affixo, D. Pomario Directore, quas ardore animi ſummo,

a) Inter cives Gymnaſii, qui ſequenti 1668. anno ad diem 26. Aug. Pomario Onomaſterion, Bartphae impreſſum, ſunt gratulati, ſequentes Magnatum filii numerantur: Emericus Tököli de Keſmark, perpetuus in Arva, eiusdemque et Marmaruſienſis Comitatuum, perpetuus Comes, Franciſcus Nyári de Bedeg, L. Baro, ac haereditarius Dominus Arcis Berenez, nec non Caſtelli Szeptenz-Ujfalu, Nicolaus Petröczi. L. B. de Petröcz, Stephanus Petröczi L. Baro de Petröcz, Emericus Petröczi L. Baro de Petröcz, Franciſcus Pongrácz L. Baro in Ovár, ut alios frequentiſſimos ex primis Nobiles taceam,

b) Non abs re fuerit primum hoc programma licet longiuſculum inferre; ſi quidem mores et ordines Scholae huius penitus ex eo innoteſcunt. Ita vero illud habet: Programma inuitatorium ad Lectores vniuerſos Illuſtriſſ. Gymnaſii Eperieſienſis Inclitorum Statuum Regni Hungariae Auguſtano-Evangelicorum Ciuibns Scholaſticis S. P. D. et Συνεσιν καὶ Προκοπτιν ἐν πασιν Intellectum et Profectum in omnibus, a Deo trino praecatur Samuel Pomarius, Ss. Theol. D. eiusdemque et linguarum orientalium Profeſſor publ. primarius, Gymnaſiique ipſius Moderator et Director ſupremus. Initiatum ſuperiori ſeptimana, diuina adſpirante gratia, et auctoritate incluti

et diligentia exercent, cuius anno euoluto, die X. Octobris et sequentibus, insignia dederunt in Examine publico specimina a). Quaenam vero Scientiae

Dnus Ioannes Schnazinger, in Syntaxi tractabit Grammaticam Rhenii, Cornelium Nepotem, Epistolas Ciceronis familiares, et ad Atticum, Grammaticam graecam Velleri, et Epitomen Catecheseos Dieterici, cum exercitio germanicae linguae.

Dnus Andreas Szàntò in Grammatica voluet Compendium Rhenii, januam Comenii Epistolas Ciceronis familiares, Elementa graecae linguae Velleri, Epitomen Catecheticam Dieterici cum exercitio hungarici idiomatis.

Dnus Martinus Sàrossi, in principiis docebit Compendium Rhenii, Vestibulum Comenii, Epistolas Ciceronis minores, et Catechesin minorem Lutheri, adiuncto exercitio hungaricae linguae.

Dnus Ioannes Jankowitz, in Parua inculcabit donatum Rhenii, vocabula latinae linguae, Euangelica et Catechesim minorem Lutheri, cum exercitio Scriptionis.

In minima Classe, occupabuntur Dnus Ioannes Simonides, circa legendas: Dnus Nicolaus Hadikius circa colligendas: Dnus Stephanus Szèp circa dignoscendas, et vniuersi circa scribendas Alphabethi literas, in Germanico et Hungarico Idiomate, cum recitatione capitum Catecheticorum, et dictorum biblicorum. Singulae autem classes, a piis precibus studia sua semper incipient, et in easdem desinent

Sed et praeterae istud intimandum vobis est, ex Decreto Generosorum et Nobiliss. D. D. Inspectorum Athenaei huius, Patronorum nostrorum venerandorum, ordinatum atque constitutum esse: ut omnes ac vniversi eiusdem Alumni, per singulas Classes, et moderni et futuri, nomina sua apud Directorem et Moderatorem supremum profiteantur, et Matriculae Gymnasii inserantur. Comparebunt ergo hac septimana, tempore, quod publice significabitur, in Musaeo meo, quotquot hactenus bonis litteris hic nauarunt operam, et hoc agent. Ita valete in Dno Iesu, et rem studiorum vestrorum feliciter gerite! P. P. Eperiesini Domin. SS. Trinitatis anno Christi CIↃIↃCLXVII.

a) Sapienti sane Consilio instituerant Status; vt evoluto singulo anno scholastico, examen institueretur solenne. Primum hoc ce-

in Lyceo hoc doctae fuerint, maiorem partem ex dictis patet: Nempe Theologia, Dogmatica, Polemica, Moralis, Lingua Hebraea, Graeca, Ius, Logica, Metaphisica, Philosophia moralis, Mathesis, Historia Ciuilis, et Ecclesiastica, Geographia, Rhetorica, Auctores, Classici, Poesis *a*) vt de inferioribus taceamus.

lebratum est, in praesentia Ablegatorum statuum, ac Inspectorum die X. Octobris, omnium adprobatione maxima. Confluxerant ab his inuitati ecclesiastici et ciuilis ordinis viri, summa frequentia. Possideo orationem Moderatoris de *Examinum scholasticorum Dignitate, Necessitate et Vtilitate,* qua Tentamen hoc omnium disciplinarum propositarum ex orsus est. Productus est sub finem Actus in Theatrum Collegii Tragicus *de Eleazare constante*: praemiaque auctoritate Inspectorum destinata, quem morem, nostra adhuc aetate, in multis patriae scholis in vsu fuisse meminimus, bene meritis adolescentibus in eodem Theatro distribuebantur.

a) Id innuebant Statuum Ablegati in libello supplici, per Hungariam misso, cuius supra habuimus mentionem: *Notificamus quod nos vnanimi nostro et Principalium nostrorum, voto et suffragio in honorem et gloriam praepotentis Dei eiusdemque Verbi SS. --- nec non politici status, vberius incrementum, certum Collegium scholasticum, in quo praeter artes instrumentales, praecipua quaequae facultates superiores, tam scientiae theologicae, quam practicae ex professo tractarentur, in Libera ac Regia Ciuitate Eperiensi --- erigendum determinauerimus.* --- Distinctius D. Pomarius explicat in Oratione supra laudata pag. 41. dum alloquitur Status: *Tot Deo exstruxistis aras, tot aedificastis templa, quot hic studiosos Theologiae confluxuros spectabimus, aris et Ecclesiis Patriae suae deinceps inseruituros. Tot curias et fora publica apparastis, et adornastis, quot hic Alumni, Iurisprudentiae principia, et Philosophiae practicae tradita reportaturi sunt domum suam. Tot scholas publicas aperuistis, quot hic Philosophos Theoreticos, quot Logicos, quot Rhetores. quot Grammaticos educabimus, in vsum aliarum, et ex hac*

die XI. Martii, atro notanda calculo, collegio etiam Heros excussit veteres, dictato Docentibus exilio *a*), quo quemque sors ferebat die IX. Martii cum lamentis totius vrbis dispersis, in Transiluania aliis, aliis vnde orti erant in Germania, quibusdam in Borussia Polonica, asylum quaerentibus. Atque ita scientiarum hoc domicilium, quod eruditionis prouentu amplissimo, in flore, qui potest esse maximus, cum vix annos V. et menses V. perstitisset, funesto elatum est funere. — De hoc facto aduerso gestiens Nicolaus Schmitth, in *Episcopis Agriensibus*, Tom. III. p. 284. ad annum 1672. ita: *Eperiesini pari ardore animi* (Szegedi Episcopus) *templa Sectariis Comite Ferdinando de Wolkra adnitente, erepta, Catholicis restituit: ministellis facessere iussis, parochiale curae Georgii Horuathii Agriensis Canonici commisit: alterum hungaricum nominatum, cum scholis Patribus societatis (Iesu) tradidit confecto hoc super re legitimo documento. Annales domestici Cassouiensis Collegii hanc templorum Restitutionem vni Episcopo hisce verbis adserunt: „Die VIII. Martii Episcopus Leonhardus Szegedi profectus est Eperiesinum, vbi omnia Templa Haereticis eripuit, Praecones, et Paedagogi omnes, ad Tibiscanas partes abiere. Habuit Episcopus eo tempore suos milites circiter mille, quorum Dux erat Admodum Reuerendus Dominus Io-*

a) Descripsit Tragediam hanc integram Cel. Pomarius in opusculo MS. inscripto *Acta Tragica Reformationis Eperiensis*, in quo, quid quouis fere die a festo Michaelis anni 1672. ad diem 14. Martii sequentis, actum est, accurate enarrat. Id quod iam recensere vberius nihil attinet. Diluuio hoc tristissimae illius diuexationis decennariis, cum Collegio Eperiensi, hausta sunt reliqua etiam omnia Gymnasia per Hungariam Euangelica, quae non iam prius, variis tempestatibus, naufragium fecerant. Sed multa sunt iterum, halcyoniis post annum 1682. redditis, instaurata.

annes Mindszenti.„ Diu post Collegium, Commeatui militari hospitium praebuit. Nihilominus tamen bello in viscera Hungariae intestino, annis sequentibus grassante, cum Comes Emericus Tököli in partibus superioribus rerum potiretur, magnopere curabat, vt Gymnasium hoc, in quo ipse olim adolescentulus ingenium excolebat, restitueretur, et aperiretur. Quod vt semotis impensarum obstaculis, tanto facilius faceret, duas vineas in promontorio Tàlyensi, generosissimum vinum fundentes, ex quibus in alendos docentes sumtus fierent, contulit. Anno ergo 1684. Collegium restauratur, ac Professores convocantur. Cum vix spes superfuerit, exteros in Provincia tumultibus dilaniata, vocationi assurecturos, patriae filios seligere placuit. Qui Scholae praeesset, Elias Ladiuer, et Theologiae Professor est constitutus *a*), M. Ioan. Schwartz Logicae et Philosophiae practicae *b*),

a) Ad docendam Iuuentutem plane a natura factus erat. Cl. Rezikius Collega eius in Gymnasiologia Hungariae, ex qua multa me in vsum conuertisse, gratitudinis ergo, lubens profiteor, testatur, eum in Collegio hoc solitum classes obire singulas, admonitionibus, munusculis, Iuuenes ad amandas artes allicere, verbera ab innocente adolescentia abesse iubere, docentes, Gratianos magis, quam Orbilios exoptans, modicam petulantiam, et lusum puerorum castigari vetuit; illud cerebro repetens, ingenia vt poma, procedente tempore mitiora euasura, cura tamen emendatrice, ab iis non plane auersa. Mortuus vti supra monitum est anno 1686. magno sui desiderio, non Collegio solum, sed toti Hungariae relicto, in Templo Germanico tumulatus.

b) Eperiesiensis patria, Bayeri, Zabanii in veteri Gymnasio, postea Pomarii, Röseri, Ladiueri discipulus, Magistratus ope Tubingam promotus, studiis absolutis anno, 1678 Artium LL. Magister, ibi Dissertatione *de Vniuersalibus* a se elaborata et defensa renuntiatus, patriae restitutus, Professoris admotus muneri, Dissertationem : *Domum eridos veritatem per tres*

Georgius Henricus Szapun a), Oratoriae, Ioannes Rezik, Martinus Dubowſsky, Nicolaus Puſſótzi, aliarum diſciplinarum Profeſſores. Sed non diu: Inclinantibus etenim rebus Tökölianis, Collegium etiam, anno 1688. penitus eſt diſſipatum.

§. 13.

Reliqua ſeculi huius Gymnaſia illuſtriora ſunt: Tyrnauienſe, quod denique Academiae faciem induit Homonenſe, quod Georgius Drugeth, anno 1613. fundauit, et annuis reditibus cumulauit, Vnguarinum poſtea translatum; Poſonienſe a Leopoldo Kolonicſio anno 1672. Euangelicis ereptum; Sopronienſe, Georgio Draskouiczio anno. 1636. auctore, Trenchinienſe, quod anno 1652. initium cepit, Leutſchouienſe, Szakolczenſe, Quinqueeccleſienſe, Ginſienſe,

mentis operationes docte conſcriptam, in publica Diſputatione tutatus eſt, Leutſchoniae 1680. die 9. Maii capitis periculum abiit. Accuſatus etenim, quaſi conſcius eſſet nouae conſpirationis; vix vita conſeruata, in arcis Muranienſis cuſtodiam eſt deductus. Sed interceſſione Ducis Würtembergici Ludouici, qui Leopoldo Imp. in Hungaria militabat, 30. Octobris libertati eſt reſtitutus. Iactatus variis fortunae caſibus in patria, in Saxoniam profectus eſt, ac denique an. 1705. ad Eccleſiae patriae Miniſterium reuocatus. Acceſſit ei anno 1709. dignitas ſuperintendentalis.

a) Pruſſus Natione parentibus ſurreptus, Cracouiamque ad ſtudia miſſus, Szepes-Vàrallyi poſtremo Curionem egit. Religioni R. Catholicae anno 1683. in templo Caſſouienſi principe nuntium miſit: miſſus mox a Tökölio in Collegium ad profitendam Oratoriam. Inter ſpecimina eruditionis eius ſunt: *Oratio Eucharistica poſt ſolutam Obſidionem Eperieſienſem* dicta Caſſouiae 1684. Item funebris in funere Danielis Gutth Notarii Eperieſ. Capta per Schultzium Vrbe, propter mutatam religionem puniendus fuerat, ſed obſeruato periculo, in Saxoniam profugit, ibique Lipſiae Miniſter Eccleſiae factus eſt.

Agrienſe, Strigonienſe, Comaromienſe, Gyöngyöſienſe, omnia haec Ieſuitarum olim, directioni tradita; Nitrienſe, et Priuidienſe Piariſtarum, in quibus tamen pleriſque teſte Andrea Felker S. I. in re litteraria Hungariae pag. 15. ſeqq. vltra latinitatis praecepta, non aſſurexerunt docentes: Poſonienſe *a*), Modrenſe, Banouitzenſe *b*), Solnenſe, Trenchini-

a) Anonimus quidam in Deſcriptione Vrbis Poſonienſis MS. haec de eo adnotauit: circa annum 1667. illuſtre et ſplendidum Gymnaſium, ad ipſum Templum (SS. Trinitatis quod denique S. Saluatoris nomen accepit) ex pari munificentia peregrinantium et aduentantium erectum eſt, quatuor contignationum, in quo octo ſeparatae claſſes numerantur. In ſuperioribus curſus Theologicus et Philoſophicus ita docebatur, vt Iuuentus ſuperioris Hungariae et Tranſiluaniae, quin et Germani ex aliis Prouinciis, vt et in ciuitate nati, ita erudirentur: vt in Academiis gradum Magiſterii aſſumere, quin et munera publica, tam eccleſiaſtica, quam ſcholaſtica in patria eis imponi poterint. In hoc Gymnaſio habebatur etiam Theatrum ſcenicum, quod quia ſepties immutari et conuerti potuerit, non exiguum attulit Gymnaſio honorem et famam. Gaudebant etiam Poſonienſes inſigni Compoſiore actuum ſcenicorum, M. Ioanne Rechlin, qui quodam tempore, in honorem Imperatoris Leopoldi, inſignem Ludum Comicum produxit, et admirationem ſibi peperit. Hoc tamen inſigne aedificium anno 1672. die 18. Iulii, ianua, plusquam centum ictibus effractum, hanc triſtiſſimam, vti ſuperius iam monitum eſt, ſortem, omnia per Hungariam Gymnaſia Euangelica ſubierunt, Iuuentute Euangelice per totum decennium vix non ſilueſcente.

b) Initio iam ſeculi ſuperioris floruiſſe, prius docuimus: exordio praeſentis Mecaenas eius Stephanus Illyeshàzi Palatinus, inſtaurandum, et amplius prouehendum ſuſceperat, ſed morte praeuentus, Coniugi ſuae Catharinae Pàlffi ab Erdöd perficiendum, vltima voluntate commiſit. Poſſideo Heroinae huius Tabulas Fundationis die 1ma Sept. 1609. ſcriptas, in quibus poſtquam expoſuiſſet, Maritum ſuum Stephanum Illyeshàzi opus hoc conſtituere propoſuiſſe, nihilominus morte praeuentum,

ense, Bicsense a), Illauiense, Galgotzense b), Semptauiense, Priuidense, Mossoniense, Rosembergense, Leutschouiense, Kesmarkiense, Bartphense, Cassouiense, Neosoliense, Brezno - Bànyense, Cremni-

sibi ex Testemento commisisse, constituit, docentibus tribus honesto conducendis stipendio, alumnis alendis, et vestiendis, annuae pecuniae 461. fl. tritici merretas 360. et id genus ad victum pertinentium demensum amplissimum. Animum quo perpetuitatem scholae suae fundatores complexi sunt, docent tabularum sequentia verba: earum vero, quodsi quispiam legatorum et successorum Domini et mariti olim nostri praelibati, haeredumque et posteritatem eorumdem, haec praemissa, in quibuscunque punctis, et clausulis violare praesumserit, aut periniuriam et negligentiam violari permiserit, vindictam diuinam non effugiat, et praeterea. --- --- Quae Gymnasio Threnchinienfi, Rosembergensi Heroina munifica praestitit, consulto praeterimus. Floruit Gymnasium hoc sub Casparo et Gabriele Illiesházi viris semper vocatis celeberrimis, et operibus scriptis clarissimis, insigniter. Primus Rector a Stephano vocatus, Vitteberga, fuit Elias Vrsinus, Art. Lib. Magister:

a) Insigne hoc gentis Thurozianae in bonas litteras monumentum, anno 1627. die 24. Nouemb. est pessumdatum. Aedificium ipsum in stabula vaccarum esse conuersum, anno 1651. spectator fuit Ioannes Burius, vti in Hist. MS. Hung. Eccl. testatur.

b) Alexius Turzo superiori seculo id posuit. Docuere hoc seculo multi viri clarissimi, v. g. M. Zacharias Lang, M. Georgius Lycius, Ioannes Nostitius, Hebreae et Graecae Linguae calentissimus, M. Ioannes Sinapius, qui edidit *Trigam Thesium de Animabus separatis, quarum prima earum cognitionem, altera motum, et tertia appetitum declarat. Threnchinii typis Laurentii Beniamin ab Hage 1649. 4.* Possideo dissertationes quamplurimas typis excusas, de variis Theologicis, Philosophicis, Historicis materiis (multa sunt erudite concinnatae) quae in Gymnasii huius seculi Disputationibus

tzienſe, Schemnitzienſe, Carponenſe, Alnouienſe *a*), Sopronienſe, Czepregienſe, Cibinienſe *b*), Coronenſe, Biſztriczenſe, Scaesburgenſe, Magno - Varadienſe *c*),

publicis ventilabantur, v. g. Schemnitzii, Cremnitzii, Neoſolii, Trenchinii, Solnae, Caſſouiae, Brezno - Banyae, Moſſouiae, Magno - Varadini, Alnouiae. ---

a) Seu Iolſuenſe. Non incelebrem fuiſſe, ex viris clariſſimis, qui eam ornarunt, patet. Deliciae illae Georgii Turzonis Palatini, Elias Lány, aulicus Concionator, et Superintendens, ſub finem Seculi XVI. hic docuit. Daniel Sinapius, qui edidit *Sertum decerptum ex horti Theologici Arealis IV.* (ſunt Articuli IV. de Scriptura S. de Deo, de SS. Trinitate, et Perſona Chriſti) *quod porrigunt ad anni 1664. menſis Iulii diem in Palaeſtra Alnouienſi, Praeſes Rector, et Reſpondens Ioann. Matthaeſius Arua Velicſen.* Caſſouiae, typis Suſannae Seuerini 4.

b) De eo Ioann. Tröſterus in libro: *Das alt und neu teutſche* Dacia, Noribergae anno 1666. pag. 383. ita ait: *Es hat die Stadt ein ſtattliches Gymnaſium academicum --- auch wird in gedachtem Gymnaſio neben denen Sprachen, und Diſciplinis inſtrumentalibus, die reine Theologia ſehr eifrig getrieben: denn alle Sonntage des ganzen Jahres zweene Gymnaſiſten in Beyſeyn des ganzen Auditorii ihre Predigten, und alle Freytage in Iudicio ſcholaſtico, ihre zwo Orationes declamiren müſſen: wodurch die Jugend im Predigen geübt, ſich auf öffentlicher Kanzel deſtoweniger entſetzet, wie gemeiniglich zu geſchehen pfleget.*

c) Inſigniter floruiſſe ſuperiori et praeſenti ſeculo Gymnaſium hoc, ex Catalogo Profeſſorum, quem Cl. Veſzprèmi Cent. I. Part. I. pag. 56. dedit, inter quos multi celebres numerantur, patet ad annum 1660. quo magna pars iuuentutis in defenſione munimenti, glorioſam pro patria mortem oppetiit: reliquiae vero cum Georgio Mártonſalui Profeſſore, Debretzinum commigrarunt. Poſſideo *Diſſertationem de Scientia media*, qua ſub Praeſidio Andreae S. Tarpai ſcholae Rectoris publice ventilandam propoſuit, Ioan. Debretzini 30. Nou. 1656. Varadini impreſſam, per Abrahamum Kertèſz in 4.

Debretzinense, Saros - Patakiense *a*), Riuulinum, Claudiopolitana duo *b*), Albense, Enyediense *c*), Hiduigiense *d*).

a) Auxit Lyceum hoc amplissime Georgius I. Rákotzi, attributis ei prouentibus locupletissimis. Methodus inducta fuit recentior per Ioannem Amos Comenium, virum celeberrimum, qui fine hoc a Principe circa an. 1640. Patakinum euocatus fuerat. Et sane floruit id sub eo, Vidua Susanna Lorándffi, ac filiis Georgii II. et Sigismundo, vt nunquam postea.

b) Reformatorum nempe et vnitariorum: illud circa an. 1622. publica Principis auctoritate fundatum, quod sub Gabriele Bethlen efflorescere coepit, sub Georgio I. Rákotzi, maiora cepit incrementa, vno quandoque, mox duobus, tribusque instructum Professoribus: istud ex superiori seculo, quo sub Ioanne Somero, Iacobo Palaeologo, Georgio Enyedino, et Valentino Radecio inprimis floruit, hucdum semet conseruauit.

c) Albae id iam seculo superiori excitatum, a Gabriele Bethlen circa annum 1613, inprimis auctum, euocatis insignibus Viris ex Germania, Ioh. Henrico Altstedio, Marc. Phil. Ludov. Piscatore, et Iohan. Henrico Bisterfeldio, adiectisque tribus collaboratoribus eleganter efloruit, insignis fuit Principis huius erga Gymnasium hoc Academicum liberalitas. Siquidem manum supremam aedificio, quod in arce Albensi exstrui curauerat, morte praeuentus, imponere non potuit: voluntate vltima operi consumando 20000. fl. legauit: docentium et discentium sustentationi annuos 2200. fl. atque pagos quinque, frumentum, vinum, pecora &c. pleno iure transcripsit. Iactatum fatis variis, hoc adhuc seculo Enyedinum sub Michaele Apati translatum est: vbi hodienum subsistit. Vide haec et alia de Gymnasiis Transiluaniae, saepius laudatum Cl. Benkő *in Transsyluania, Tom. II. Capite XVIII. toto.*

d) Fundauerat id Franciscus Miko, magnus in Transiluania vir, circa an. 1630. sed verosimiliter cum parente, qui an. 1635. decessit, elatum. Inter impressa, in obitum eius epicedia, ita laudauit Patronum:

Franciscus Miko, Vir sublimis et inclitus Heros
Hic situs est, Ipsum Dacia tota dolet. -- --

§. 14.

In descriptione *Bibliothecarum* huius aeui, ingratae ad superius sunt repetendae quaerelae. Etsi quidem persuaderi non possim, viros eruditissimos, Magnates opulentissimos, typographiis, tam in exteris Prouinciis, quam in Patria diligentissime sudantibus, non instructissimas parauisse bibliothecas; saltem Stephanus, et Casparus Illyeshàzi, Georgius, et Emericus Thurzo, Petrus de Reua, Franciscus et Paulus Nàdasdi, Episcopi Hungariae eruditi, vt de viris aliis doctis taceam, vltra verosimilitudinem certum est: at vero, frustra eas apud Historicos quaeras obseruatas. Aie, quas poteramus colligere earum lacinias exponamus. Illustrissima fuit omnium post Coronensem, cuius ad Seculum superius facta est mentio, quaeue infelicissimo incendio anno 1689. ex integro deleta est, *Albensis*, seu *Alba - Iuliensis* tota Europa sua aetate celebratissima. Eam Gabriel Bethlen, Princeps Transiluaniae erexerat, libris, ex Oriente, Europaque tota, inprimis Budensi Coruiniana, Codicibus MSS, rarissimis, amplissime locupletatam. Thesaurus tamen hic incomparabilis, Alba a Turcis et Tartaris anno 1658, exusta, foede periit, vti haec percenset Ioannes Bethlen in Historia Transiluaniae, pag, 237, Sequuntur hanc *Leutschouiensis*, *Eperiensis*, Vrbanae, quarum posterioris mentionem facit Cel, Pomarius in *Tragica Reformatione Eperies.*, ad diem 12. Martii, *Scepusiensis* Capituli per milites Bocskaianos anno 1604, direpta, *Debretzinensis* Collegii, sub initium seculi sequentis exusta, *Tyrnauiensis* Collegii S. I. altera, altera Archi - Episcopalis, a Cardinali Pàzmany instrui coepta, de qua Francis-

Ingenti feruore Deum, studioque colebat,
Et iussit fieri moenia, Templa, Scholas, -- --

cus Kàzy, in Historia Vniversitatis Tyrnauiens. pag. 271. ita ait: Adiecit domum sapientiae, non e latere coctili, sed libris, Bibliothecam scilicet Archiepiscopalem, e qua, magnae rei sapientiae Candidati, velut de publica Annona viuant, et hoc succo plurimi eflorescant. Atque vel vna hac libraria, ingentem lucem attulit, litteris tam surgentibus, altius ea euectura, si quod auebat, Budensi illa Matthiae Coruini toto orbe celebri Bibliotheca augere licuisset: sed enim his magnae gloriae molitionibus, auaritia Turcarum obstitit, qui oblata a Pázmàno, triginta nummuum florenorum millia repudiarunt. Non incelebris fuit, quoque *Thurzoniana*, de qua non amplius dicere habeo, quam dixit Encomiastes Stanislai Turzo Regni Hungariae Palatini *in Laudatione funebri* M. Elias Vrsinus, V. D. M. Neocomensis, in Scepusio die XII. Ian. anni 1626. Cassouiae, per Danielem Schulz, eodem excusa, vbi pag. 40. haec habet: Atque hoc sacrum opus, vt sine impedimento promoueri posset, Ecclesiisque ad docendum idonei, orthodoxique praeficerentur Ministri, et domi scholas fundare bonas, pietatis et humanitatis officinas certis, commodisque sedibus collocare, Magistros illis praeficere, stipendia his constituere, necessarium et Regno vtilissimum iudicauit: ex illorum numero est Galgocense Gymnasium, vbi iuuentus eruditur copiosa, et multos insuper alumnos, in Academias Germaniae celebriores expediuit, non sine magnis sumtibus, et *instructissimam magno pretio comparauit, et conquisiuit Bibliothecam.* „ Meminit porro laudatus superius Tröfterus l. c. pag. 383. *Cibiniensis*, quam a Cl. Alberto Huttero instauratam, bibliothecis Oltardi, et Richelii insigniter auctam esse docet. Ex hac elegante et locuplete variarum disciplinarum libraria, ex antiquo instituto, omnibus studentibus dato Chirographo, libri pro vsibus priua-

tis communicentur: quam bonae frugis constitutionem non parum sibi etiam profuisse, cum laude Auctor memorat. *Georgii* etiam *Szeleptsényi* Archiepiscopi Strigoniensis bibliothecam Carolus Péterffi innuit, quam in *Conciliorum Hungar. Partis II.* Praefatione vocat amplissimam. Paulo vberiorem nobis conseruauit memoriam *Csak - Tornyensis* immortalis Heroae Nicolai Zrinii Cel. Iacobus Tollius in epistola VI. Itineraria, Amstelodami 1700. in 4. Non piget latinissimam itinerationis eius eruditissimi viri, ab eo anno 1660. priore vice per Hungariam susceptae, ea etiam parte, qua non solum spectat rem litterariam, verum etiam bellicae, et priscae Hungarorum elegantiae ac occupationis dare descriptionem. Ita vero ille pag. 240. seqq. „ Vbi Csak-Tornyam appropinquare coepimus (fuit is in comitatu Comitis Pöttingii, affinis Zrinii) obuii fuere admissis equis speculatores complures, qui Comitem Serenyum, de appropinquationis nostrae momentis, certiorem facerent. Itaque cum mille circiter passus abessemus, occurrit affini suo Comiti Pöttingio, equo vectus, omni circum familia itidem in equis prosequente: mox dimisso equo inter mutuos amplexus in currum ascendens, pro digestas militum stationes in palatium deducit. Erat id valde splendidum, et amplum, egregieque contra Turcarum vim munitum, circumdatum, fermo ex omni parte palude, quae cuniculos arceret. Vnum latus tantum, quod pagum prospectat, solido solo nititur, eo firmiori opere praecinctum. Mirabamur in tanta circumiectarum nationum barbarie cultissimas aedes, lectam familiam, ditissimam suppellectilem, et summum vbique nitorem. Suspensae erant in porticibus exuuiae Turcarum, Arcus, Pharetrae, Mallei, Clypei, aliaque id genus arma: quorum tamen splendorem fulgor Acinacum Damascenorum superabat. Erant in iis,

quorum capula auro, argentoque erant ornata: quorundam vaginae insertis gemmis illustres oculorum aciem perstringebant: videre licebat in atriis suspensa Vexilla, quae ex Turcis capta, multoque sanguine foedata, non incruentam, neque imbellem victoriam denotabant. Monstrabantur ibidem tabulae, in quibus res fortiter a Comite gestae, depictae erant. Vnius memini, in qua respiciens caput Turcae praecidit, qui praehenso a tergo sagulo, elata dextra mortem minabatur. Fuerat hoc primum iuueni militiae rudimentum: ex vno disce caetera. — Tertio quartoue, ex quo veneramus die, deducti sumus in Bibliothecam, quam insignem ex omni librorum copia refertam habebat: inde in Armamentarium, quod, vltra quam credi potest, aeneis Tormentis, Bombardis, Hastis, Acinacibus, aliisque armorum generibus instruxerat. Accessit huic humanitati amplissimum auctuarium, Cimeliotheca aperta, in qua praeter alia haud spernanda, antiquorum Numismatum copia. Erat in iis Alexander M. ex auro, et aere, erant Otthones argentei, Vitellius, Pescennius Niger, Horatius, Ouidius, (quos tamen duorum horum non esse genuinos, eruditi norunt,) multique alii, quorum nummi rariores ex aere. Erant effigies Regum, Principum, clarorumque Virorum, minuta et orbiculari forma, torno, vt suspicor elaboratae. Monstrabantur mihi prae caeteris, effigies Martini Lutheri, et vxoris eius Catharinae perquam elegantes. Inde digressi in hortos Comitis pereximus, quorum nitorem, elegantiamque verbis exprimere non possum, assequeris tu fortassis cogitatione, dum veteres Alcinoi hortos, tibi ob oculos proponis. „ — Quam vellem reliqua etiam, si per limitum rationes fieri posset, expromere: adeo digna sunt, quae cum voluptate ab amantibus priscarum consuetudinum lectoribus legantur. Non abs re fuerit repetere memoriam insignis ea aetate Numophilacii, quod liberalissimis congessit impensis, Liberae, et

Regiae Ciuitatis Posoniensis a Secretis *Ioannes Berius*, de quo laudatus Tollius, Epist. V. pag. 143. in hunc modum habet: Lustraui ibidem (Posonii) sed raptim insignem veterum Numismatum congeriem a Berio, viro, qui dum vixit, Vrbi a Secretis fuit, summa cura collectam. In his animaduersi mihi multi Graeci, Gothicique hactenus non visi. Inter Gothicos, quidam duplici vultu insignes, quibus inscriptum: *Biateg* item *Vnno*. Hos, vt et alios multos, maritum Petronella Vrbe accepisse, vidua afferebat. Inter Graecos erant Syrorum aliquot Reges notabili venustate. In Latinis vero *Pertinax*, *Didius Iulianus*, *Pescennius*, *Gordianus Affer*, *Iulia Titi*, *Plotinus*, *Pupienus*, *Balbinus*, *Diodumenianus*, *Macrinus*, aliique rariores conspiciebantur. Aestimabatur tota collectio, in qua vndequinquaginta aurei, sed vulgares, duobus Germanorum, siue rhenanorum, florenorum millibus. — Quam cuperem, plures tam curiosos Hungariae peregrinantes, qui cum Hungari oscitantes fuerint, similia patriae decora, certe non infrequentia, omnibus in partibus Regni consignassent. Sed quid querimus oscitantiam? sane tabulae, quae ex naufragio supersunt, contrarium condocent. Belli tyrannis, non populi barbaries, maximam nos partem cimeliis hisce priuauit. Neque praetereundum *Musaeum rerum naturalium Christiani Augustini ab Hortis*, Medici Aulae caesareae cel. quod cum magnam partem iam instruxisse, et per editionem cum orbe erudito communicare voluisse, docet Imperator Ferdinandus III. in litteris ad Principem Rákotzi anno 1641. vid. Cl. Veszprémii *Biographiam Medicorum Hungariae*, *Cent. I. pag. 9.*

§. 15.

Sed prosequamur porro *Typographias*, quarum satis amplus fuit in Hungaria numerus. En praecipuas: Bartphensis Ciuica, Cassouiensis Schulcziana, et Fischeriana Kesmarkiensis, Leutschouiensis Breuerorum, Patakiensis Rakotziana, Trenchiniensis, ab Hagii, et Vocalii; Puchouiensis Lutheoliana, Solnensis Dadaniana, Galgoczensis, Tyrnauiensis academica, Posoniensis Grindleri, Samariensis Andreae Vechelii, Csepregiensis Emerici Farkas, vel forte Nàdasdiana, Pápensis, Sáruariensis, Sopronienſis, Debretzinensis vrbana, Magno - Varadiensis Michaelis Kertesz - szenzi, Coronensis Honteriana, dein Hermaniana, Cibiniensis, Claudiopolitana Mathiae Rauii, Albensis Gabrielis Bethlen Principis opus, in qua Typos etiam Valachicos extitisse, atque libros vsibus nationis huius excusos esse, docent eruditi, Keresdensis Comitum Bethlen *a)*. Bibliopolia seculo hoc nondum eruderare potui; si ea excipias, quae typographi ex mercibus suarum officinarum, qualia fuere: *Tyrnauiense*, *Leutschuiense*, *Cassouiense*, *Magno - Varadiense*, *Debretzinense*, *Claudiopolitanum* — instituerunt.

§. 16.

Claudamus agmen aeui huius obseruationibus quibusdam miscellis, ad rempublicam litterariam pertinentibus. Quam seculi prioris laudem chartae

a) Non scribimus hic annales typographiarum in Hungaria; quare tanto breuioribus esse nobis licuit, quod certis nuntiis intelligamus, virum, natalibus et litteris clarum, Carolum Feiéruari opus tale moliri.

primum confectae Coronae tribuimus, praesenti hoc vindicat sibi Leutschouia. De eo auctor Chronici Scepusiensis, seu Leutschouiensis in Annalectis Scepusiensibus, Cl. Vagneri Part. III. pag. 22. ita habet: *Anno 1613. primus in Scepusio, imo in hoc Hungariae Regno officinam chartaceam, siue Papyrificinam exstruxit Dominus Samuel Spillenberg, Medicinae Doctor Leutschouiensis, in pago Leutschouiensi Teplicska*, quae quidem hucdum existere dicitur. Eam hoc, et sequenti seculo, frequentissimae aliae secutae sunt, in quibus quarumcunque exterarum Regionum, praeter hollandicam, suppar conficitur papyrus. Aesculapii sectatores nouis auxerunt scholam suam hoc seculo inuentis. Paullus Spillenbergerus, Medicus Posoniensis, decantissimi illius *Pulueris Pannonici*, vti supra monui, auctor est. Christianus Augustinus ab Hortis, Medicus Kesmarkiensis cellebérrimus, anno 1640. *Oleum*, seu *Balsamum Polichrestum*, cui Hungarici, vel Carpathici nomen adhaesit, primus ex ligno curuo Carpathico destillauit, eiusque praeparandi modum, virtutes, et vsum, ciues suos docuit: quae omnia manus eius signata, ex tabulario Officinae pharmaceuticae Kesmarkiensis, vbi hodiedum adseruatur, Ioannes Milleter protraxit, et in sua Dissertatione inaugurali de Csömör edita, cum eruditis communicauit. Alterum est *Oleum*, seu *Balsamus Hungaricus*, ex arbore carpatica Libano, Germanis Limbaum destillari solitus, qui auctorem, virum eruditissimum Georgium Buchholtz, Rectorem Gymnasii Kesmarkiensis, anno 1664. agnoscit. Vide Cel. Veszpremium in Biographia Medicorum Hungariae, in suis articulis, qui Cent. II, Parte I. pag. 39. seqq. Libanum hanc, oleum ex eo destillatum, et vsum internum, et externum — fuse describit.

§. 17.

Seculi XVIII. initio, etsi quidem motus Rákotziani reipublicae litterariae turbauere circulos; nihilo tamen minus sedata tempestate, pulchre rerum suarum satagebat, lacunas in variis scientiarum generibus explebat, in diesque maiora, et solidiora capiebat incrementa; vsque dum felici sydere penitus fere se mutatam vidit, hodieque multo augustiorem, et perfectiorem se gratulatur. Sed progrediamur more nostro.

§. 18.

Omne tulit punctum inter Augustos, Magna MARIA THERESIA, altrix litterarum munificentissima, quae omnium Fautorum numerum, in et ex se vna abundantissime expleuit. Non suffecit Principi optimae, integrum plane studiorum Systema ex virorum eruditorum, vti sectione dicetur vltima, consilio, in melius vertere, ampliores eius terminos protendere, regia plane liberalitate, omnia haec accepta fulcire: Ipsa immortalis haec Regina demisit se ad infima litterarum elementa, integras horas, audiendo, examinando purpuram suam Caesareo-Regiam puluere scholastico misceri, clementissime dignata est. Sed maiora haec sunt, quam vt tenuis meus calamus, vel mediocriter delineare possit. Id solum fidenter affirmare ausim, omnes suos augustissimos antecessores, ipsum etiam Matthiam Coruinum, meritis in rem litterariam, in carissima SIBI Gente Hungarica, multis parasangis superauisse. — Neque iniurii fuerimus in tantam Maiestatem, si secundo loco, merito suo adiunxerimus Franciscum Barkoczi, et Carolum Esterházi, Comites, Episcopos Agrienses: quorum quanta sint in litteras me-

liores merita, illi sciunt, qui Opera eorum *Agrias* commodo reipubl. litterariae excitata, perspecta habent. Sunt alii etiam, in tenuiori licet fortuna, at voluntate non posteriores, aetate etiam priores Viri natalibus clari: Paulus Batta de Vatta, qui initio seculi huius in praedio suo *Kálnó* Comitatus Neograd., inclita gens Iánoki, in *Ráhó*, Comitatus Kis Honth., Franciscus Bulyouszky *Lossonczini.*, Georgius Ottlik in *Ozor* Com. Trencsin. — scholas Castellimas nobili Iuuenti constituerunt a). Iure suo vendicant sibi hic etiam locum Ecclesiae Euangelicae, Posoniensis, Sopronienfis, Modrensis, Eperiensis, Leutschouiensis, Kesmarkiensis, Schemniciensis, Neosoliensis, Cibiniensis, Coronensis, quorum, si grati esse velimus, fatendum est, patrocinio, scientias inter Euangelicos, inter tot, tantasque vicissitudines, conseruatos hucdum esse, et auctos

a) Superiori iam seculo, illustres, literarumque amantes scholas tales constituere occeperunt. In diuexatione etenim illa decennali, de qua superius iam dictum, cum Gymnasia Euangelica omnia publica, vna cum Ecclesiis dissipata fuissent, iuuentusque ex defectu institutionis siluesceret, atque publicum reipublicae commodum ingens damnum caperet; generosae, patriaeque amantes animae, tanta strage motae, propriis impensis, quantum poterant, malo ibant obuiam, et in domibus ac arcibus propriis, scholas, conductis docentibus iuuentuti, praecipue nobili aperiebant. Nec luserunt omnino operam. Multos possemus enarrare viros doctissimos, qui ex eis prodierunt: nisi scopus prohiberet. Talis fuit Cel. patriae Polyhistor, Matthias Belius, qui in schola Battaiana Kalnouiensi prima iecit litterarum fundamenta, vti ipse testatur in aureo opere *Notitiae Hungariae Nouae Historico-Geographicae.* Tom. IV. Viennae 1742. fol. p. 16. 103. Rahouiensem, docentibus eam, Casparo Iánoki, Volfgango, et Sigismundo filiis, ac Ladislao nepote, illustrarunt Ioannes Bánóczi Braxatoris, scriptis, praecipue poeticis clarus, Laurentius Bahil, Elias et Samuel Bubenka &c.

ctos in patria *a)*. Inter R. Catholicos et Reformatos conciues, superioris maximam partem seculi Euergetis, quorum liberalitate hucdum fouentur, debent litterae conseruationem.

§. 19.

Eruditi aetatis huius, ex *Ordine Theologorum*, memoria digni sunt sequentes. ROMANO - CATHOLICI: Martinus Biro *b)*, Aron de Bisztra, Ioannes

a) Sunt etiam alii illustres gente nostra viri, qui pro modulo virium, vltima in primis voluntate opitulari scientiis non neglexerunt, ad certaque loca, vel fines beneficia sua studentibus profutura adstrinxerunt. Alexander Sirmiensis de Szulyô in Gymnasio Posoniensi pauperes adiutum ibat. Ioannes Ieszenak, Conuictum nobilium ac ignobilium ibidem frequens fundauit vir: idem fecit ibidem Andreas Hermann, Medicus, Samuel Bohus, Thomas Szirmai --- sublimiores scientias in Vniuersitatibus Germaniae excultioris succurebant. Idem fecit in Vniuersitate Vittebergensi duodecim Hungaris Theologiae studiosis M. Georgius Michaelis Cassai, Staina Borsiensis Hung. Facultatis Philos. ibidem adiunctus, ac Bibliothecam non contemnendam vsibus eorum reliquit. Vt iam de Principibus, Regibus ac Rebuspubl. exteris, qui commodó Protestantium Hungarorum beneficia fundauere, in praesens taceam.

b) Episcopus Veszprémiensis patrio eloquio facundus, at impotens, scriptis multis homileticis et eristicis notus. Praecipuum est hungaricum inscriptum: *Micae et spicae Euangelico-Apostolicae*, Tomi II. Jaurini 1756. in fol. complectens S. sermones totius anni dominicales. Alterum est: *Enchiridion, de fide, haeresiarchis, ac eorum asseclis in genere de apostatis, deque constitutionibus, atque decretis Imperatorum et Regum, contra dissipatores Catholicae Ecclesiae, editis Diotrephi, seu Acatholicis in Hungaria commorantibus*. 1750. 4. Scriptum virulentum, episcopi munere indignum, ideoque iure summo ab Augusta Aula confixum.

Raicsani, Franciſcus Hertzig *a)*, Gabriel Heuenesi, Alexander Máсſai, Ioannes Prileſzky *b)*, Paullus Bertalanſi, Stephanus Zagrabienſis *c)*, Thomas Gal, Nicolaus Muſzka *d)*, Ioannes Guſztini *e)*, Antonius Szteinſits, Ioſephus Hermann, Didadcus

a) S. J. Presbyter ſcripſit inſtillaturus: prudentiam paſtoralem, *Manuale Parochi, ſeu methodum compendioſam munus Parochi apoſtolicum rite obeundi.* Tyrnauiae 1720. 8., alterum eſt, *Manuale controuerſiſticum, ſeu methodum compendioſe veritatem fidei catholicae contra errores oppoſitos neruoſe propugnandi*, ibidem 1721.

b) Vir ſane doctus. Eum agnoſcunt Auctorem multa opera. Talia ſunt: Tractatus Theologicus, *de Sacramentis in genere, et in ſpecie de Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia: alter de Poenitentia, extrema Vnctione, ordine, matrimonio:* tertius *de Deo Vno et Trino.* Porro *S. Cypriani.* -- *Acta S. Scripta omnia* in ſummam redacta, et proloquiis ac adnotationibus illuſtrata. Idem fecit in recenſendis, ſcriptis S. *Theophili Patriarchae Antioch. et M. Minucii Felicis, Actis et Scriptis S. Juſtini M. Cornelii Firmiliani, Pontii et Victorini Martyrum, S. Gregorii Thaumaturgi, Dionyſiique Alexandrini*, adnotationibus hiſtorico - theologicis locupletatis. Quae omnia, partim Tyrnauiae, partim Caſſouiae, forma octaua prodierunt.

c) A Patria ſic appellatus, Capucinus quam plurima ſcripſit homiletica, omnia lingua Croatica popularibus profuturà. v. g. *Conciones pro totius anni Dominicis.* Zagrabiae 1715. 4. apud Venceslaum Heilwel. *Conciones panegyrico - morales, pro ſingulis anni Feſtis, tam communibus, quam particularibus.* Klagenfurti, 1718. apud Matthaeum Kleinmayr, in 4to.

d) Prodierunt, ab eo, Tractatus *de Sacramentis in genere.* 1765. et *de Sacramentis nouae Legis, Libri VIII.* eod. ambo Viennae in 4., qui propter rerum delectum, ordinem perſpicuitatem, et latine ſcribendi elegantiam, magnum apud R. Cathol. lectores applauſum meruerunt.

e) Patria Aruenſis, poſtremo Epiſcopus Nitrienſis, vir ſane eruditus. Celebratiſſimum tota Hungaria opus ſcripſit ſpiſſo volumine, lingua Hungarica: *Manna ſalutis,* Agriae 1759. fol. in quo de Sacramento Coenae D. ex ſuis agit principiis.

Kelemen, Nicolaus Schmitth, Stanislaus Köſzegi, Stephanus Szabó, Benedictus Kóſa, Franciſcus Nagy, Samuel Vaida, Philippus ab Ochieuia, Emericus Pauits, Franciſcus Vilou, Antonius Bachich, Didacus Baptſanſzky, Ludouicus Cſapodi, Martinus Demeter, Paullus Baranyi, Ioannes Barna, Stephanus Böytös, Stephanus Boſſány, Ioannes Damiani *a)*, Sigiſmundus Cſúzi, Tobias Ferenczi, Pius Füſi, Ioſeph. Michael Szuorényi *b)*.

a) Quam mali fuerit feruor viri huius contra Christianos, qui non ſecum idem ſentiunt, digeſtus, cape triſte documentum: *Justa Religionis coactio, ſeu Apodixis, quod Reges, Principes, Magiſtratus, et Dynaſtae R. Catholici, habita occaſione et opportunitate poſſint, ac debeant Acatholicos in ſuis ditionibus commorantes, cogere mediis etiam violentis et extremis, (quoties mitiora non poſſint) ad amplectendam veram et vnice ſaluificam Romano-Catholicam fidem*, Budae 1765. 8. Quid? ſi omnium Religionum Principes his imbuerentur principiis: nonne mundus, theatrum euaderet ſanguinis et laniena? Merito itaque a clementiſſima et chriſtianae caritatis, publiceque tranquillitatis amantiſſima MARIA THERESIA ſuppreſſus eſt foetus infauſtus. Stupendum eſt, Praeſules ipſos, abuti nominibus ſuis, in fronte ſimilium tenebris dignorum conaminum paſſos eſſe: vti eſt Timonis, ſcriptoris alias non inepti, qui tamen hic ſcrinia Bellarmini pate expilauit, inſcriptum: *Opuſculum Theologicum in quo quaeritur, an, et qualiter poſſit Princeps, Magiſtratus, Dominus Catholicus, in ditione ſua retinere Haereticos, vel contra poenis eos, aut exilio ad fidem Catholicam amplectendam cogere? Illuſtriſſ. et Reverendiſſ. DD. DD. Comitis Gabrielis Antonii Erdődi de Monyorokerék, Epiſcopi Agrienſis --- ſumptibus in lucem editum, atque excelſae Regiae --- in negotio Religionis articulari commiſſioni ab eodem oblatum. Tyrnauiae, Typis Academicis per Frider. Gall. 1721. 4.* Si tempore Neronis prodiiſſet opus, quisque videt, quos produxiſſet effectus, ſaltim Apoſtolorum principiis non conuenientes.

b) Edidit is opuſcula memoria digna ſequentia: *Cauſſa Religionis contra Libertinos defenſa*, Budae 1779. 8. Legentam eam,

desiderium me incessit precari, placuisset Cl. auctori ex infinitis veritatis Religionis Christianae Defensoribus, quos certe diuersa via incedentes, habemus optimos, recenter edere, aut et gallica, anglica, vel germanica lingua vsibus popularium vertere, quam immaturo hoc foetu rempublicam litterariam onerare. Quaecunque bona, libello insunt, ex aliorum operibus exscripta sunt praeterea: soli errores, hiatus in argumentis, inducens erga aducrsarios oratio proprii. Cum fuse haec exponere non possumus: commendamus metaphysicis §. I. VI. examinandas, criticis et historicis pag. 247. de Apollonio Tyaneo; pag. 308. de Hieronymo de Praga --- Secundum est, *Caussa Religionis contra Helv. et Aug. Confessionis Cultores*, Budae 1781. 8. Tertium, *officia hominis Catholici erga Deum, rebus domesticis illustrata*, Budae 1783. Horum recensionem prudens praeteruehor: ne odium duxisse calamum existimetur. Praefationem postremo foetui, die 6. Januarii praemissam, et contra nos, propter *Vindicias Opusculi Pestiensis inscripti: Fundata B. Tolerantialis Decreti sequela, contra Examen anonymi Jurisperiti*, (sub quo ipse cl. Auctor latet) anno 1782. Pestini editus, directam cogimur attingere. Vt non moneamus, ex legibus praefationis, importune libello morali praemissam esse polemiam: id fidenter aimus, frustra eum, obiectionem ignorantiae, interpretari conultia: quam potius detersisset, (nunc laudem viri eruditi in his etiam reportaturus) aut olim conciues innocentes acerbo adgrediendo calamo, occasionem obiiciendi non suppeditasset. Definitiones nugiuenduli, et Theologastri, in datis casibus, lectorum esto elicere. Titulum *leonis*, et quos sibi reliquos honorum ac meritorum tribuit, libenter concedimus, *vnquemque eius* scriptorium, salua adhuc *pelle Protestantium*, saltim non physicum vltro ferimus. Dicteria reliqua cl. auctori relinquimus: atque cum *sapientibus illis*, *euitandae pretiosi temporis iacturae caussa*, vtilioribus occupari, ex animo commendamus. Quae de ranarum silentio obscure scribit; forte illustrabit Busbequius in Epp. Legationis Turcicae edit. Hanov. 1729. vbi pag. 12. ait, se obseruasse in Hungaria ad Danubium, *mense Decembri, coelo frigido, ranas coaxantes. Id faciunt sulfure tepentes aquae, quae iis locis stagnant.*

Evangelici: Georg. Frider. Schnaderbach *a)*, Ioan. Ferdin. Weisbeck, Daniel Krman *b)*, Ioannes Sárosi, Martinus Vásonyi, Samuel Matthaeides,

a) V. D. Minister Modrensis, post Posoniensis, vltimo Berolinensis ad D. Petri Praepositus, et Consiliarius Consistorialis, Ecclesiarum Inspector, Theologus celeberrimus.

b) Mortuus est noster, cuius vitae et librorum recensionem fusam et accuratam dedit P. Horányi in memoria Hung. Part. II. pag. 336. seqq. anno 1740. die 7. Septembr. in carceribus arcis Posoniensis, in quos ex iudicio Commissionis Caesareo-Regiae anno 1731. caussa cuiusdam Wenceslai Mlinarich Moraui, compactus erat. In Epitaphio, quod paucis, ante mortem diebus sibi erexit, cecinit de se:

Natus in exilio, denatus in exilioque
Respondent primis vltima fata suis.
Sed faustum exilium, ex quo patria dulcis oditur,
Aeternaque datur pace, quiete frui.

Praeter complura alia opera, collatis cum cel. Matthia Belio operis edidit *Biblia Sacra veteris et noui Testamenti* idiomate Slauico, Halis, forma octaua maiori, typis Orphanotrophii, anno 1722. impressa. Carebat natio nostra in Hungaria ad haec vsque tempora, editione propria. Quare vtebantur Bohemicis, quae locis diuersis, vtpote Venetiis, Norimbergae, Kutenbergae, Palaeo-Pragae, Micro-Pragae — seculis XV. XVI. et XVII. prodierant, in primis autem correctissima illa sex Tomis constante, ab anno 1579. ad an. 1593. ab Ecclesia Fratrum Boh. interpretibus viris octo, linguarum orientalium callentissimis, Nicolao Alberti, Luca Helicaeo, Ioanne Aenea, Iesaia Coepolla, Georgio Vetter, Joanne Ephraim, Paulo Iessenio, et Ioanne Capitone, in arce Kralitz Morauiae procurata, et sumtus subministrante liberalissime Ioanne L. B. de Zerotin, ibidem edita. Nihilominus tamen fugientibus exemplaribus, magno etiam pretio vix emi poterant. Quare viri eruditi opera, Magnates vero Hungariae sumptibus defectui huic, iam seculo superiori mederi cupiebant. Catharina Sidonia Reuai, L. Baronis Matthiae Osztrosith Coniux, an. 1682. impensas obtulerat. Vniuersitas Wittenbergensis anno

Andreas Bodouinus, Samuel Antonius, Michael Acs, filius, Martinus Regis, Mathias Belius, Georgius Bárány de Szenicze *a)*, Georgius Hegyfalusi, Iose-

1709. intercessione sua, apud Principes et Magistratus exteros Evang. idem praestare est annisa. Hos tamen conatus motus bellici fere continui sufflaminarunt. Tandem duumviri hi, Krman et Belius perfecerunt, ferente sumtus Comite Silesio, Henrico Erdmanno Henckel de Donnersmarck. Instituta est editio haec ad normam bibliorum anni 1613. Pragensium a Samuele Adamo a Weleslavina in fol. impressorum, cum quibusdam,ad linguarum orientalium fontes correctionibus. Quo fine, iam anno 1714. Krman datis ex paroecia Mijaviensi die 16. Aug. ad eruditos Aug. Confess. Theologos Hungariae litteris, simbolas eorum expetebat, et consilium suum Ecclesiae aperiebat. Perfecit is opus hoc adeo feliciter: vt Versionum occidentalium, quos quidem intelligo, nulla textum originalem tam adcurate exhauriat. Repetita est editio haec, annis 1745. et 1766, Halis vtraque, forma eadem.

a) Theologus hic piissimus et laboriosissimus, natus est parentibus nobilibus, sed sorte angusta in pago quodam trans Danubiano Beled, anno 1682. Jaurini primum studiorum fundamenta posuit, anno 1705. ad cel. Bütnerum Posonium transiuit, apud quem Graecam et Hebraeam linguas insigniter excoluit. Vltimo post an. 1706. in Collegio Eperiesiensi studia confirmauit, atque cum Nobilibus adolescentibus Rôht, et Zimmermann, Ienensem Vniuersitatem anno 1706. salutauit; anno 1708. Halam inuisit, totusque a Breithaupto, Antonio, Frankio, Langio, Michaelisio, annis duobus pependit. Redux in Patriam, in Gymnasio Iaurinensi an. 1711. factus Conrector, anno 1714. Magno - Vásonyensis Minister. Post discessum an. 1718. vita eius magnam partem rara fuit peregrinatio, Ecclesiarum nempe in amplissimis desertis trans Danubianis plantandarum, adeo cupidus fuit, vt simul ac vno loco in ordinem perduxit, ad alium transiuit. Anno ergo 1718. Gyönkensem, sequente Györkönyensem, anno 1723. Szent-Lörinczensem, (vt de aliis, quae cuius ope vitam in Tolnensi Comitatu accepere taceamus) instituit. Eiectos illinc 1725. ad Dörgicenses vocatus est, sed iterum post triennium restitu-

phus Szeli, Andreas et Iosephus Torkos *a)*, Stephanus Pilarik, Michael Agnetler, Ioannes Albrich, Georgius Ambrosius *b)*, Ioannes Mathias Marth, Sa-

tus, quod reliquum fuit vitae, ibi exegit, ac anno 1757, die 1, Iulii, diem supremum obiit. Quantum ad pietatis et cognitionis salutaris incrementum, decentem Ministerii et ecclesiorum ordinem, legibus, exemplo, ore praestiterit: totus hucdum Tractus Tolnensis, cuius seniorem diu agebat, gratus commemorat. Nos quantum scriptis profuerit, notabimus: Edidit Catechesim Lutheri fusiorem, Laubanae anno 1750. in 12. mai., Augustanam Confessionem, anno 1740. in 12. Jenae, (Sempronii) vtrumque hungarice. Nouum etiam Testamentum ex fontibus vertit hungarice, praemissis libro cuius intelligendo necessariis introductionibus, ac mappis geographicis, nec non adiectis notis exegeticis et moralibus: quod post mortem editum est Laubanae apud Nicolaum Schill, an. 1754. in 8. In augendo Graduali, seu libro hymnorum hung. et versione Arndii de vero Christianismo libri, multae eius partes fuere.

a) Prior edidit sermonem funebrem sub titulo: *A Zedrosfának siralmas esete* in exequiis Stephani Török de Telekes, herois anno 1722. dictum, et Lipsiae expressum, Precationum et hymnorum librum, *Engesztelö Aldozat* inscriptum, Halis 1709, 8. Nouum Testamentum ex Graeco in Hungaricum transfusum, Vittebergae 1736. 8. Praefationem praemisit Josephus filius.

b) Vitam viri magni, breuiter dedit P. Horányi, fusissime vero Andreas Schmál in Commentatione satis spissa *de Superintendentibus Euangelicis in Hungaria*, Ms, non minus complurimum, quorum hic habuimus mentionem v. g. Joannis Sárossi, Matthaeidesii, Bodouinii, Regisii, Pilarikii, Michaelidesii, Hruskouiczii, Krmannii, cet. Inter opera Ambrosii, in primis insignis est *Nucleus Doctrinae Euangelicae* idiomate Slauico an. 1745. quarta forma, spisso volumine editus. Est systema theologicum, dogmatico-paracletico-morale. Methodo vtitur sequenti: Articulum singulum in Theses ordine naturali fluentes subdiuidit, eas immediate dictis Scripturae S., quae plerumque integra subiungit, firmat: atque ita officia christiani, ex quouis articulo fluentes, ac solati pariter in Theses com-

muel Michalides *a)*, Samuel Theſſedik *b)*, Mathias Bahil, Elias Mohl, Elias Milecz, Samuel Hruskouicz, Frider. Vilhelm. Beer, Daniel et Ioannes

plures diſtributa, ac verbis Scr. S. illuſtrata deriuat. Opus vtilliſſimum.

a) Fuit is V. D. Miniſter Neoſolienſis, et ab an. 1732. diſtrictus Montani Superintendens. Transfudit ex germanico in Slavicum *Summarium Biblicum* a Theologis Vürtenbergenſibus ſeculo ſuperiori ad mandatum Ducis Eberhardi III. conſcriptum, ac in omnes Eccleſias, quo diebus profeſtis in templis concioni praelegeretur, inductum. Id ipſum intendebat ſuperintendens noſter: ideoque anno 1730. in IV. Partes diuiſum vaſtis IV. voluminibus typis exſcribi curauit, ſumptus praecipue adminiſtrante celebri quondam JCto, Samuele Bohus de F. Pethö - Falua. Eſt opus hoc, Paraphraſis V. et N. Teſtamenti. Caput quoduis in partes aliquod, vbi neceſſum eſt, ſubdiuiſum, primum breuiter explicatur, atque ex materia pertractata vſus dogmatici, morales, paracletici deducuntur. Obtinuit opus in pleriſque Hungariae Eccleſiis Evang. magno cum commodo populi vſum, cui primum in ducatu Vürtembergico deſtinatum fuit. Scripſit Auctor noſter praeterea, *Hiſtoriam Superintendentum Hungariae* magna adcuratione elaboratam, atque vaſtum illud Concordantiarum Lankiſchianorum corpus, maiori ex parte in Slauicum transtulerat; quae tamen in MSS. hucdum haerent.

b) Vir hic, qui poſtremo in ampliſſima Eccleſia Csabenſi trans Cryſium miniſterio et vita defunctus eſt, eruditionem ſane inſignem demonſtrauit, Ienae dum ſtudiis operaretur, ididem libro inſcripto: *Commendatio Hiſtorico - Theologica de Scripturae S. atque Antiquitatis Eccleſiaſticae in Theologia Vſu et Auctoritate. Acceſſit ſcriptorum pro antiquitate Religionis Euangelicae Bibliotheca, Auctore Chriſtiano Aletophilo,* (eſt pſeudonymus) *P. P.* id eſt, Puchouia - Pannonius. *Jenae 1735.* 4. Continetur opus VI. Capitibus, quorum I. agit de Diſſenſu Religionum, eiusque cauſſis, II. de Scriptura S., eiusque in Theologia auctoritate, III. de Verbo Dei non ſcripto, ſeu traditione apoſtolica, IV. de Antiquitatis Eccle-

Sartorii *a)*, Mathias Markouicz, Ioannes Blasius, Marcus Fronius, Elias Fischer, Samuel Lissouiny, Ioan. Iacobus Adami, Ioannes Ribiny *b)*, Michael Institoris Mossoczi.

siasticae vsu et auctoritate, ex mente Doctorum Eccl. Romanae, V. de Vsu et Auctoritate traditionis ecclesiasticae, ex mente Doctorum Eccl. Lutheranae, VI. exhibet Vsum tractationis moralem: allocutionem ad Protestantes, et ad R. Catholicos. Viri huius cognitionem Theologiae, Historiae Ecclesiasticae, patrologiae, antiquitatum amplissimam — stili nitorem quaeuis docet pagina.

a) Daniel fuit patria Csetnekiensis, Rector primum Gymnasii patrii mox Eperiensis, vltimo Pastor Slauicus Neosoliensis. Agnoscunt eum Auctorem Postilla, in Textus Evang. et Epistolicos dominicales Slauica magnae laudis anno 1746. edita; Logica, Metaphysica, Physica, in MSS. delitescentia. —— Ioannes vero Iaurinensis, V. D. Minister Csoiensis Hungaricus, edidit Lutheri Catechesim vberius explicatam, cum non nullis aliis, Norimbergae anno 1735. 12. Abrahami Volff, et Friderici Rogalen fraternam admonitionem, anno 1736. 12. Jenae (Iaurini) editam, infantum libellum manualem, anno 1740. 12, Jenae (Sempronii), Arndii libros de vero Christianismo, librum cantionum et precum Acsii omnia hungarice.

b) Viri huius doctissimi quaedam, quae P. Horányium Part. III. Memoriae Hung. p. 179. fugiebant, supplebimus. Vulgauit homiliam tempore inaugurationis noui Oratorii Posoniensis germanici anno 1776. dictam: *Die wahre Zierde der Gott geheiligten Häuser, in dem neuerbauten evangelischen Bethause vorgestellet.* 4. Porro, *Das weise Verhalten der Christen in Absicht auf die Wiederkunft ihres Erlösers am Tage der Himmelfahrt Jesu, in einer Kanzelrede vorgetragen.* 8. Item *Die Freudigkeit frommer Christen auf den Tag des Gerichts.* 8. atque, *Der Tag des Gerichts, als eine göttliche Aufforderung zur Busse. Am Tage Petri und Pauli, in einer Busspredigt vorgetragen.* 8. Vt reliqua taceamus, haerent in MSS. opera eius luce dignissima Historiae Ecclesiasticae Evang. Hung., Theologiae Dogmaticae Moralis, Homileticae, Logicae, Me-

Reformati: Stephanus Szigethi, Sigismundus Borosnyai *a)*, Paullus Gyöngyösi *b)*, Ioannes Tseh Csuzi, Stephanus Helmeczi *c)*, Georgius Kamarási,

thaphisicae, Iuris Naturae &c. Malum hoc premit multorum virorum eruditissimorum in Hungaria foetus vtilissimos, v. g. Gregorii Fabri, Frid. Vilh. Berii, Ioan. Szàszkii, Ios. Benczurii, Ioann. Carlouszkii --- --- in omnes fere scientias, Theologicas, Philosophicas, Mathematicas, Historicas --- Commendationes doctissimas: Caussas ex praefatione nostra facile augurabere.

a) S. Theologiae Doctor et in Collegio Engediensi Theologiae Hermeneuticae, Homileticae, Historiae Eccl. ac Iuris Naturae ab anno 1738. Professor. Studiis in Belgio vacans edidit Tractatum Hung. de hominis christiani munere sacerdotali, praecipuaque eius parte, de precibus. Amstelodami 1736. 12. Septem porro Dissertationes, variis locis excusas, quarum quatuor sunt, *de Prima Symboli Apostolici adornatione;* quinta de *illustribus Veterum Scriptorum de D. nostro Iesu Christo Testimoniis:* sexta, *de Holocausto Jephtae virgineo, ad Jud. XI.* Franequerae 1735. septima est iuris canonici, *de Testamentis ad pias causas,* Traiecti 1735. Engedini conscripsit et Claudiopoli in 4.; edidit anno 1745. octauam, de *Libris reformatae Ecclesiae simbolicis,*

b) Memorandus est vir hic in primis opere, quod contra Episcopum Agriensem scripsit, et Basileae an. 1722. 4. edidit, inscriptum: *Altare Pacis, pro votis ironicis erectum, Arae Pilati Galilaeorum substituendum, super tumulum Opusculi theol. in quo quaeritur: An possit Princeps --- --- Catholicus in ditione sua, retinere haereticos, vel contra, poenis eos, aut exilio ad Fidem Catholicam amplectendam oogere? Gabrielis Ant. Erdödi --- Episcopi Agriensis --- sumptibus. Tyrnaviae 1721. editi.* --- --- Post exilium, Francofurti ad Viadrum, vbi Professoris Theologiae munus cum applausu gerebat, multa scripsit, quae huc non pertinent,

c) Minister N. Köröšiensis et Ecclesiarum Cis Danubianarum Superintendens, contra Paullum Bernád edidit Traiecti an. 1743. forma octaua hungarice *Scutum Veritatis*, in quo de Sacra-

Iosephus Nánási, Franciscus Sós, Franciscus Tatai *a)*, Franciscus Csepregi *b)*, Stephanus Dioszegi, Ioannes Csomos, Ioannes Gidófalui, Iosephus Hermányi, Petrus Naduduári *c)*, Dauid Sárkány, Georgius Aranka Zagoni, Ioannes Dioszegi, Gabriel Fülep, Michael Szatmári, Stephanus Szatmári, Iosephus Bodoki *d)*.

Sociniani: Stephanus Dersi *e)*, Paullus Demién Kolosuári *f)*, Michael Szent-Abrahami, Stephanus Agh, Michael Almási.

mento Coenae D. contra R. Catholicos disputat: porro Exegesim Epistolae ad Colossenses latine, quae in MS. delitescit.

a) Debrecinensis Pastor et Superintendens, ex Gallico et Germanico idiomate complures transfudit libros in hungaricum: inter quos insigne illud est, et vtilissimum: Philippi Dodridge de verae pietatis initio et incrementis, Debrecini an. 1761. in 8.

b) Professor Claudiopolitanus, cuius vnam Dissertationem Philologico-Theologicam meminisse iuuat, *de Authentica Selectiorum Chetibim, Franequerae* 1725. 4., quae locum etiam accepit in Ikenii thesauro nouo Theologico-Philologico, Part. I. p. 68-84.

c) Celebratissimus aetate sua Orator hungaricus. Sermones itaque eius in articulos 84. Theologiae Sigismundus Szàtmari, ad preces Catharinae Comitis Bethlen, Colosuarini anno 1741. 4. edidit.

d) Collegii Claudiopolitani Professor, in hungaricum vertit cel. Iacobi L' Enfant, Introductionem in lectionem N. Testamenti, impressum Claudiopoli 1755. 8. atque Georg. Frid. Seileri Religionem infantum, ibidem 1755. 8.

e) Vltimo Tordensis Minister, conscripsit *Diacrises Theologicas*, quibus doctrinam Vnitariorum ordine pertractat: aduersariorum vero sententias vult confutatas. Elaborauit praeter ea, *Thesaurum S. Scripturae*, aliaque in multorum scriniis latentia.

f) In Collegio Vnitariorum Claudiopoli variarum scientiarum Professor, postea Superintendens. Tribuitur ei Catechesis

Gxaeci Ritvs non Vniti: Sebastianus Trapezuntius Cynimita *a)*, Ignatius Phytianus, Anthimius Iberensis, Dionisius Nouakouich, Zacharias Orfelin *b)*, Ioannes Raich *c)*.

maior lingua latina et hungarica conscripta, qua ipsi hucdum ab anno 1698. vtuntur.

a) Doctor, dum vixit, in Illustri Gymnasio Buchorestensi, quem agnoscit Auctorem opus sequens Buchoresti impressum: *Heortologium, in quo, de quibusdam quaestionibus, quae praemittuntur, de ratione temporum, de cunctis solemnitatibus et earum argumentis, de S. Pascha, de breuissimo Menologio, Auctore sapientissimo in suprema Bucarestensi Academia Magistro, Sebasto Trapezuntio Cynimita, vno primum excusum ab Anthimio Hieromonacho, Typographo ex Iberia oriundo correctum, denique a studiosissimo Hieromonacho Ignatio Phytiano in Monasterio Sinagebae in Junio 1701.* Dedicatum est opus Illustriss. Celsiss. Principi et Moderatori totius Vngroblachiae DD. Ioanni Constantino, Bessarabae Vaiuodae. Vide Le Quien in *Oriente Christiano*, Tom. I. Parisiis 1740. fol. pag. 1247. 8. 9.

b) Vukouarino Comitatus Sirmiensis oriundus, praeter multa humaniora, in vsus iuuentutis Illyricae edita, scripsit *Orthodoxam Catholico-Apostolicae et Hierosolymitanae Graeci ritus Ecclesiae Confessionem*, in 8. atque Tractatum *de Vnitate Ecclesiarum, omnia illyrice.*

c) Abbas Monasterii Kouillensis, natus Calouiczii 1726. Theologus Ecclesiae suae praecipuus. Opera eius sunt sequentia, omnia idiomate serbico conscripta: *Corpus theologicum: Breuis SS. Oecumenicorum ab Ecclesia Orientali receptorum Conciliorum descriptio: Historia Populorum, in primis vero Slauorum, Seruorum et Croatarum*, quae tamen, num typis sint excussa, me latet.

IVRISCONSVLTI: Paullus Prilefzky *a)*, Paullus Khlofz *b)*, Paullus Okolitfáni, Michael Okolitfáni *c)*, Francifcus Horváth Petritsevich, Ioannes Iony,

a) Ex praeclariffimis Iurisconfultis patriis, fub initium huius feculi. Scripfit *Opufculum quaeftionum cum fubnexo circa eosdem difcurfu, de pecorum abactione, hosque concomitantibus confiderationibus*, quod lucem vidit anno 1737. 8. atque *Quadripartitum Iuris confuetudinarii J. Regni Hungariae, in fuos libellos redactum.* Sopronii 1743. 4. Parte prima de Perfonis, fecunda de rebus, earumque adquirendo dominio, tertia de Actionibus; vltima denique de Iuribus et Iurisdictionibus Dominorum terreftrium agit. Manufcriptum praeterea Opus eius Iurisconfultis Hungar. magnopere laudatum proftat infcriptum: *Directio proceffualis, circa caufas in Comitatibus et coram Iudicibus illorum in Sede quoque Dominorum Terreftrium ventilari folitas.*

b) Fuit Confiftorii Strigonienfis Notarius, ac Iuris Hungarici Practici Profeffor in Academia Tyrnauienfi. Edidit vfibus tironum, *Praxim feu Formam Proceffualem Fori Spiritualis, in Mariano Apoftolico Hungariae Regno vfu receptam. Tyrnauiae, anno 1756. 4.*

c) Ambo hi fratres, famigeratiffimi fuere in Hungaria fub initium feculi, cauffarum Patroni, qui fcriptis etiam ab aliis iam recenfitis nomina, ad pofteritatem propagarunt. Id vnum hic innuo, Michaelem Auctorem haberi, operis illius celebris infcripti: *Hiftoria diplomatica de Statu Religionis Euangelicae in Hungaria, in tres Periodos diftincta, quarum prima agit de eius ortu et miro fub continuis perfecutionibus incremento; fecunda de eius publica libertate et fummo fecuritatis folftitio, quod pacificationibus, articulis et legibus Regni confecuta eft: Tertia de libertatis et fecuritatis illius decremento, et tandem de eius aperto et duris perfecutionibus tentato exterminio, adductis pro fundamento authenticis Diplomatibus et Legibus Regni publicis, Decretis, Refcriptisque, nec non Pacificationum inftrumentis, Hiftoriae ipfimet infertis, item integris Comitiorum actis, quantum ad Religionis negotium attinet, libellis fupplicibus et memo-*

Ioannes Szegedi, Andreas et Stephanus Huszti, Iosephus, L. B. Inczédi, Ioannes L. B. Kemény, Michael Varó, Gabriel Pelargus, Mathias Bodó *a)*, Sebast. Ferdinandus Dobner *b)*, Michael Bencsik,

rialibus, Regibus Hungariae, eiusque Ministris exhibitis, Decretis desuper emanatis, in Appendice, suo ordine et iuxta seriem temporis compilatis (Halberstadii) *an. Domini 1710.* in fol. Traditione populari propagatum est id, ad nostra vsque tempora. Quin id ipsum suspicatur *Cl. Dan. Eberhard. Baring, in Claue diplomatica*, Hanouiae 1754. pag. 82. 83. Traditum est opus L. Baroni de Birendorff, ab hoc vero Domino de Holdenburg, Halberstadii typis exscribendum, fuit commendatum. Cur Auctor nomen subtinuerit, patet ex materia, quam ita ex actis elaborauit publicis; vt contra fidei dignitatem obmoueri nihil possit. Frustra itaque est Carolus Pëterffi, Iesuita, qui in Concil. Hung. Tom. I. impotentissime opus vna cum Auctore immerito flagellat. Id vnum addo, tam rarum esse opus hoc in Hungaria, vt 5. et pluribus veneat nummis aureis. Id dolendum est, ex ignorantia linguae Hung. in nominandis locis, errores, quam plurimos et grauissimos commisisse typothecam.

a) Celebris in Comitatu Gömör. Aduocatus, et Tabulae Iudiciaria Assessor. Eum agnoscit auctorem *Iurisprudentia criminalis, secundum praxim et constitutiones Hungaricas, in Partes duas diuisa, cuius prior Ius et Processum criminalem, publica delicta, et malefactores, modumque contra eos procedendi in genere: Posterior, crimina publica et priuata, eorumque poenam et modum puniendi in specie exponit, Posonii ex Typographia Ioan. Mich. Landerer, anno 1751. in fol.*

b) Vir hic laboriosus multa scripsit, quae in Typographia eius propria Sopronii, partim lucem viderunt, partim eam in MS. exspectant. Illuc pertinet *Institutiones Tripartiti Iuris Hung. priuati: Sciagraphia Dichotomica Decreti Tripartiti*, qua id sub tabellis tironum vsui proponitur, annexo additamento de locis parallelis generalium Regni decretorum; opus Tripartitum explicantibus atque supplentibus:

Steph. Poor, Gabriel Potſchecz, Ladisl. Repſzeli, Ferdin. Miller, Franciſ. Molnár, Andr. Szeredai, Wenceslaus Szokolóczi, Georg. Sigiſmundus Lakits *a*),

porro: *Die unvergleichliche Vortreflichkeit, unbeſchreibliche Hoheit, und Präeminentz des Groſſmächtigſten -- Ertz-Hauſes von Oeſterreich.* -- Nec non *Tractatus nomico-politicus de fundamento I. Regni Hung. in ſpecie illis, qui in Ciuitatibus reſident, eorumque iure, foro, priuilegiis, immunitatibus, praerogatiua, habilitate ad officia, et ratione Status, nec non intereſſe omnium trium potiorum ſtatuum, vt Nobiles in Ciuitatibus conſeruentur --- ex omni Iure, in ſpecie Hungarico, arcanis reuelationibus, praxi, actis Diaetalibus, Archiuis et priuilegiis adornatus, in directionem eorum, inter quos Nobiles viuunt. 1726. 4.* Parata ad typum fuere: ſupplementa Hungariae litteratae: Conamina linguae Hungaricae: Topologia Sempronienſis: de militia, veſtitu et moribus Hungarorum: Notabilia Hungariae: Hiſtoria, ſecundum aetatis Hungariae: Loci communes pro ſtudioſis cet. cet.

a) In praedio Polianicza Comitatus Caſtriferrei anno 1738. natus, liberalitate Comitis Sigismundi Batyàni ſtudia humaniora Köſzegini, Philoſophica Graecii et Viennae excoluit. His abſolutis, totum ſe hic Iurisprudentiae dedidit, in qua Martinios, Bannizaios, Rieggeros, Bocriſios, in Hiſtoricis Gaſpariſios coluit praeceptores. Anno 1766. ſuprema Auguſtae voluntate, Iuri Eccleſiaſtico excolendo, ſub ſingulari cel. Rieggeri manuductione ſemet dicauit, fine iam tum non obſcure inſinuato, diſciplinam hanc, in patria profitendi. Priusquam id fieret, abſoluto curſu academico, in Inſtituto Thereſiano Viennae Repetitor Iuris conſtitutus, anno mox 1769. Oeniponti Iuris Canonici Cathedram occupauit, non tamen diu ſuſtinuit. Sequente namque anno Tyrnauiam translatus, Ius Eccleſiaſticum docere iuſſus eſt. Acceſſit Bibliothecae Vniuerſitatis Praefecti officium, cum qua poſt ſexennium e tota Vniverſitate Budam commigrauit. Cum optime de ea mereri pergeret, morbus refractarius, otium, ab Auguſta litterari ante annos duos implorare eum coegit. Quo impetrato, ſaluo tamen in Facultate Iuridica Senioratus Iure, at viribus valentior factus, anno ſuperiori Cenſuram librorum procurandam

Georgius Ambroſi *a)*, Ladislaus Köuesdi *b)*. Medici: Ambroſius Lang, Paullus Kereſzteſſi, Carolus Rayger, Georgius Buzinkai, Stephanus Huſzti, Samuel Köleſéri *c)*, Stephanus Matyus, Ioan. Petrus

accepit. Quam vt Reipublicae litterariae commodo ampliſſimo, vir eruditiſſimus diutiſſime, viribus animi et corporis integer ſuſtineat, toto comprecamur animo. Opera eius ſunt: *Inſtitutiones Iuris Eccleſiaſtici, Tomi III.* Budae 1779 - 1781. 8. Complectitur primus praecognita Iuris Eccleſiaſtici vniverſa; ſecundus doctrinam de Eccleſia, huius ad rempubl. habitu, et de communibus eccleſiaſticarum perſonarum Iuribus, tertius doctrinam de iuribus Primatus Eccleſiae Romanae, Patriacharum, Metropolitarum, Epiſcoporum, eorumque Vicariis et Officialibus. Alterum eſt: *Praelectiones canonicae, de legitima Epiſcoporum inſtituendorum ac deſtituendorum ratione, attemperatae legibus atque vſibus Regnorum Germaniae, et Hungariae.* Viennae 1782. 8.

a) Ad ſupremum tribunal Peſtienſe, Excellentiſſimorum Comitum Antonii Károlyi, et Antonii Grafalkovich, cauſſarum controuerſarum Director, et Plenipotentiarius, ſcripſit *Ideam Vniuerſi Iuris hungarici* in compendio, quod propter inſignem ſui vtilitatem, manibus Tyronum, quam plurimorum teritur manibus, ideoque luce publica digniſſimum.

b) Ad Excel. Tabulam Regiam Peſtini Aduocatus, ad typum parato conſcripſit Tractatus inſcriptos: *Coronalitas legibus et facto illuſtrata: Supplementum Coronalitatis legibus et facto illuſtratae: Regnum Anti-Verböczianum, ſeu Rediuiua Hungaria: Conſuetudinarii Iuris Hungarici, de reciproca Cleri, et ſecularis praeſcriptione, quaeſtio ſingularis: Litis in Hungaria decurrentis et compendiandi, et ab Intereſſentiis, quam optime praecauendi modus.*

c) Non ſolum Medicinae, ſed Theologiae etiam Doctor, Szenderouia Comitatus Borſod. Oppido ortus. Poſt peregrinationem duplicem Batauam, in Tranſiluania fixit ſedem. I. Gubernii Tranſiluanici, et Praeſidiorum ibidem Regiorum Medicus, ac vniuerſae rei metallicae inſpector, poſtremo Secre-

trus Komáromi, Franciſcus Miskolczi, Samuel Koczi, Matthias Benczig, Ioannes Cſeh - Cſuzi, Daniel Fiſcher, Ioan. Adamus Genſel, Ioan. Sigismundus Kreiſch, Carolus Frider. Loew, Ioannes Milleter, Matthias Inſtitoris Moſſoczi, Carolus Otto Mollerus, Daniel Perliczius *a)*, Ioan, Iacobus Neu-

tarius Gubernialis, ac Conſiliarius eſt conſtitutus, Mortuus anno 1731. Vir fuit non medicae ſolum artis, ſed plerarumque aliarum peritiſſimus, quarum libris edidis ampliſſima dedit documenta. En quaedam! Diſſertatio de *Syſtemate mundi,* Lugduni Batav. 1681. 4. *De Sacrificiis*, Franequerae 1683, 4., in qua, expoſitis, de Origine rituum Hebraicorum in cultu S. vſurpatorum, tempore impoſitionis iugi praeceptorum, in placitis et iure Sacerdotii ante et poſt illud tempus, aliisque materiis paſſim inſertis, litteralis ſenſus ſacrificiorum, holocauſti, Mincha, Schelamim, pro peccato et reatu ex ſcriptis Hebraeorum explanatur, tandemque myſticus ex S. Codice ſubiungitur. *De benedictione Gentium,* ad Gen. XXII. 18. Franeq. 1684. 4. *De ſcorbuto mediterraneo, Cibinii,* an. 1707. 12. *Scrutinium et cura Peſtis Dacicae, Cibinii 1709. 12. Auraria Romano - Dacica, Cibinii 1719. 8. Axiomata Iuris Naturae, de officiis iuſti, honeſti et decori, cum introductione paraenetica, Cibinii, 1723. Diſputatio mathematico - phyſica de Lumine, Lugduni, 1681. 4.* Conſcripſerat etiam Tractatum *de Dacia Romana, Hunno - Dacia, ac Dacia Auguſta* hodierna, qui tamen nondum vidit lucem publicam. Cetera eius opera praeteruehimur.

a) Vir ſummis Hungariae viris conferendus, id, quod ex operibus eius cognoſcas. Docent id: Diſſertatio meteorologica *de Hyetoſcopio, Inſtrumento menſurandae pluuiae, Vittebergae, anno 1727. 4. De Droſoſcopio, inſtrumento menſurando rori apto*, ibid. eod. *Specimen Aſtronomiae Iouialis, ſiſtens formam coeli iouialis, eiusdemque colores* ibid. eod. 4. *Theoria caloris mathematica, noua methodo Medicinae applicata,* ibid. anno 1728. 4. In hoc opere Auctor multa contra Hambergeri Phyſicam, eiusque adhaeſiones, potiſſimum regulam adtulit, quam cum attractionis principiis minime cohaerere de-

cuit. *De naturarum diuerſarum indagine medica, ſub ſchemate ſiſtematis diuerſarum machinarum inter ſe connexarum, feliciter inſtituenda. Lugduni Batau. 1728. 4. Conſilium medicum de curanda Peſte,* Budae, 1740, vt et *Medicina Pauperum,* ibid. eod. vtrumque lingua Hung. impreſſum. *Sacra Themidos Hungaricae ex medicina illuſtrata, ſiue de ratione decidendi caſus forenſes, dubiis phyſicis et medicis obnoxios manuductio, Iuri Hungarico, iudiciisque prouincialibus, comitatenſibus et ciuitatenſibus, praecipue vero actionibus fiſcalibus accommodata,* Opus hoc typis Budenſibus exſcribi coeptum, anno 1750. in fol. compleuiſſet alph. 3., niſi temporum iniuria interruptum fuiſſet. Regiae Boruſſicae ſcientiarum ſocietati Berolinenſi exhibiti ſunt tractatus: *De Machinis nouis architectonicis: De Machina noua militari, expeditionibus bellicis accommodata: De Machina noua contuſoria, comminuendis metallorum mineris apta,* cet. Sequentia typos exſpectant; *Caſus et curationes medicae ſelectae, ex praxi 40. annorum et actorum proxeos Hungaricae Tomis XX. erutae, et excerptae.* Miſcellanea phyſico-medico-curioſa: *Thermographia Hungariae comparatiua: De aere, aquis et locis Neogradienſibus: de curis morborum ſimpatheticis: de thermis artificialibus vaporariis: de medicina vinorum: de rei medicae, pharmaceuticae, et chirurgicae, in Hungaria, in melius reformatione, conſilium.* Miſcellanea Phyſico-mathematica: *Hyetometria et Droſometria curioſa, cum appendice machinarum et aquaeductuum Hyeototechnicorum: Pyrometria phyſico-mechanica, cum appendice de machinis pyro-aero-ſtathmicis: Metheorologia medica, fundamentis recentioribus aſtronomicis ſuperſtructa.* Porro: *Introductio in praecognita eruditionis vniuerſae, tribus ſectionibus comprehenſa.* I.) *de linguis et earum cultura:* II.) *De Prudentia recte diſcendi et docendi:* III.) *De prudentia ſtudiorum realium recte inſtituenda,* cum appendice, *de inſtituenda ex omnibus bibliotheca compendioſa, Politico Hungaro conveniente.* Item; *Conſpectus iurisprudentiae Hungaricae, methodo mathematica elaboratae, et in duos tomos, theoreticum et practicum diuiſae, praemiſſis praecognitis iuris, ex Philoſophia rationali et morali.* Plura vide in Cl. Veſzprémii memoria Medicorum --- Cent. I. p. 134. ſeqq. Natus fuit Auctor noſter Elia Perlitzio, Eccleſiaſte Keſmarkienſi anno 1705. Iactis ſtudiorum, in patria fundamentis, academi-

hold, Adamus Raymannus, Andreas Hermann, Laurentius Stoker, Ioannes Wallafzkai a), Iuftus Ionas Torkos, Iofephus Zoltan, Andreas Aitai, Ioannes Albrich, Steph. Gabr. Vezza, Paullus, et Ioannes Bacsmegyei, Georgius Bereczk, Samuel Hambacher, filius, Martinus Borosnyai, Carol. Vilhelmus Sailer, Martinus Marikovfzky b), Carol.

as nobiliores Germaniae, Belgii et Galliae adiit, iisque praecipue fcientiis phyficis, mathematicis, et medicis incubuit. Honore in medicina fupremo Vltraiecti anno 1728, mactatus, in patriam redux, variis locis medicinam cum adplaufu fecit: praecipue in Comitatu Neogradienfi, cuius Phyficum ordinarium multis annis egit. Poftremo in praedio Apatfaluenfi ad Loffonczinum, compluribus annis, domefticis litans mufis, ante paucos annos vitam cum morte commutauit.

a) Aefculapius hicce Hungariae, pauca quidem fcripfit, tanto plus arte fua faluti popularium profuit. Natus erat in Villa Acfa, Comitatus Pefth. anno 1709, Poft Patriae fcholas, Halis inprimis eft enutritus, ac medicinae-Doctoris ibid, anno 1734. nec non Acad, Nat. Cur, focii an. 1736. titulo auctus, Viennae, poftea Pofonii, vltimo Peftini praxim medicando fumma, quae poteft effe, celebritate exercuit. Apoplexia die 15. Septemb. anno 1767. extinctus, facultates, quae facile 100 mille florenos accreuerant, vnacum inftructiffima Bibliotheca Fifco Regio reliquit. Alchimiae fuit ftudiofiimus. Opufculum, quantum fcio, edidit *de morbis peregrinantium, Halae 1734. 4.*

b) Fatis iactatus variis plerumque aduerfis vitae, quam Rofnaviae anno 1738. acceperat, Peftinii anno 1772. finem impofuit. Nobis praecipue duorum operum cauffa eft memorandus. Alterum eft, *Ephemerides Syrmienfes, feu, Obferuationes phyfico-medicae, conftitutionum anniuerfarium I. Comitatus Syrmienfis, vicinarumque partium ad latitudinem loci 45. 30, longitudinem vero 41. 37. accommodatae, atque ab ineunte vere anni 1763. methodo Hippocratico-Sidenhaimiana practica, huicque fuperftructa, theoretica demonftrativa concinnatae, Vindobonae anno 1767. 8.* Continuatio pro anno 1766,

Antonius Voita, Stephanus Veszprémi *a*), Samuel Glosius, *b*), Dauid Gömöri, Petrus Madács, Io-

ibid eod. prodiit. Opusculum vtilissimum! quod utinam plures exemplum, sequerentur. Alterum opus, ex gallico cel. Tissotii, *Auis au peuple sur sa santé* in Hungaricum transsudit Magno Karolyni, anno 1727. 8. impressum, multum iam multis profuit.

a) Medici huius eruditissimi, etsi quidem fusissimam et adcuratam recensionem una cum syllabo operum dedit P. Horányi in *Memoria Hungarorum* --- Part. III. pag. 559. seqq. non tamen potuimus committere, quin faceremus meritorum eius heic mentionem addermusque, qui ibi desunt tractatus sequentes: 1) *Fallacia existentiae auri vegetabilis Hungarici, nouo exemplo demonstrata,* publicata in Ephemeridibus litterariis Vienn. Anzeigen inscriptis, Part. X. pag. 78. seqq. an. 1773. atque 2) *de Medicis Hungariae, qui Matthiae Coruini Regis aetatem ornarunt.* Ibid. Part. XII. pag. 89. an. 1774.

b) Celeberrimus nunc Medicus in Vrbe Pesthiensi, ac Comitatus eiusdem Physicus Ord. natus patre viro Rev. Ioanne Glosio V. D. M. Sziraghiensi. Excultis in Gymnasio praecipue Posoniensi humanioribus studiis, Viennae Medicinam, qua late pátet percoluit, in eaque honores supremos suscepit. Mox Posonii, in Comitatu Neogradiensi, iam Pesthini, summo cum adplausu praxim exercet. Opera eruditionem auctoris medicam docent insignem, dissertatio sistens *Diagnosin morborum systematis Biliferi et Vropoetici.* Sunt vero ii, hepatis, vesicae felleae, morbi systematis biliferi, splenis, renum, vesicae et vitia mictionis: atque MStum, quod sub manibus est, inscriptum: *Medicus Pannonius, seu Otia Medica Pannoniae* sequentibus absoluenda capitibus: 1). De initiis medicinae in Hungaria. 2). De medicina Hungarorum indigena. 3.) De morbis eorum tuto et iucunde curandis. 4.) De morborum Hungariae popularium remediis inquilinis. 5). De Medicorum Hungarorum dignitate, 6). De erroribus Hungarorum circa Medicos. 7). De erroribus eorum in Medicina et diaeta. 8). De victu Hungarorum domestico, et potu eorum consueto. 9). De praestantia aqua-

ſeph. Iacobus Plenk *a)*, Venceslaus Trnka *b)*, Michael Schoretits, Iacob. Ioſephus Vinterle, Gabriel Zagonyi, Ioſephus Cſapo.

Philosophi, et Mathematici: Comes Ioſephus Teleki *c)*, Matthias Baezoni, Stephanus Bo-

rum mineralium in Hungaria, de cauſſis diutini earum neglectus, et quae? quando? Spadanis, aut Selterianis, eadem indicatione, ſalutari conſilio ſubſtitui poſſint? 10). Remedia domeſtica probatae fidei. 11). De neceſſariis omni aetati generalibus ad conſeruationem valetudinis regulis. 12). De recto fumi et pulueris Nicotianae vſu, et formidando abuſu.

a) Chirurgiae, Anatomiae, et artis obſtetriciae Profeſſor in Vniverſitate Budenſi publ. Ord. hucdum celeberrimus. Illuſtravit is patriam noſtram operibus quam plurimis vtiliſſimis, Viennae plerisque, annis diuerſis ſuperioribus editis. En titulos quarundam in compendio: *Primae Lineae Anatomiae: Compendium Inſtitutionum Chirurgicarum: Pharmatia chirurgica: Pharmacologia chirurgica: Nouum ſiſtema tumorum: Doctrina de morbis oculorum: Doctrina de morbis cutaneis: --- dentium: Elementa artis obſtetriciae: --- Medicinae forenſis: Doctrina de morbis venereis: Noua methodus argentum vivum aegrotis lue venerea affectis exhibendi: Bromatologia, ſeu Doctrina de eſculentis et potulentis, &c.*

b). S. R. Imperii Eques de Krzouitz, Med. Doctor, in eadem Vniuerſitate Budenſi Anatomiae Profeſſor P. O. Edidit *Commentarium de Diabete: Vindobonae apud Aug. Bernardi 1778. 8. Hiſtoriam Cophoſeos et Barycoiae ibid. eod. atque Hiſtoriam febris hecticae omnis aeui, obſeruata medica continentem*, Viennae 1783. 8. mai.

c) Illuſtriſſimus hic Auctor, qui ab Auguſto, anno ſuperiore, Supremi Comitis Comitatus Vgotsenſis axiomate auctus eſt, inſignem eruditionem teſtatus eſt, edito, idiomate gallico, opuſculo: *Eſſai ſur la foibleſſe de eſprits fort*, Amſtelodami 1761. 8. capitibus XI. abſoluto. In quibus diſputat de incredulitate et ſuperſtitione in genere, impoſſibile

doki, Samuel Köleséri, Paullus Kray a), Samuel Mikouiny, Ioann. Andreas Szegner b), Michael Szatmári, Stephanus Töke Vásárhelyi, Ioannes Matolai, Nicolaus Póda, Daniel Szentkereszti, Ionas

non esse, vt Religio Christiana falsa esse demonstretur; possibilitateque miraculorum ac mysteria S. Trinitatis. Ostendit denique possibilitatem absolutam et moralem mysterii Redemtionis, necessitatem reuelationis, veritatemque Resurrectionis Seruatoris: ac consensum rationis cum reuelatione. Docet vltimo damnum ex principiis incredulorum, ac commoda contra, ex religione fluentia: Haec etenim reddit sectatores suos felices, ac nunquam quodpiam eis conciliat detrimentum: longeque perfectiorem indicat ad virtutem viam, quam systema incredulorum, qui potius necessario timore debent percelli et destitui generoso animo in aduersis, cum contra principia christiana imitatoribus eorum fiduciam et constantiam inspirent.

a) S. C. R. Maiestatis Mathematicus Castrensis, in describenda terra Scepusiana multum Cel. Belio profuit, teste eodem in praefatione *Prodromi Hungariae antiquae et novae*, §. XI. Nempe Mappam Comitatus eiusdem chorographicam, quam Noltenii quaestoris Caesarei iussu, diligentissime fecerat, lubens cum eo communicauerat, eidem Prodromo insertam,

b) Ornamentum hoc non Hungariae solum, sed totius reipubl. litterariae, natum est Posonii anno 1704. die 4. Octobr. patre senatorii ordinis viro. Absolutis in Gymnasiis patriae Posonii, Iaurini, Debrecini studiis humanoribus, totum se Mathematicis et Medicis Ienae, quo anno 1725. delatus fuit, quinquennio addixit. Anno 1730. edito specimine de *Natura et Principiis Medicinae*, supremos in ea honores capessiuit, reduxque in patriam, Debrecini praxim exercere coepit, sed vix anno euoluto Ienam rediit, ibique Cathedram mathematicam occupauit. Gottingam postea medicinae et Chimiae partes docturus euocatus, vsque dum Halae Magd. anno 1755. Matheseos et Physices docendae prouincia ei delata fuisset, titulis compluribus honorificentissimis, meritorum eius indicibus, tam a variis societatibus eruditis, quam

Hodor Szentpèteri, Iacobus, et Georgius Bucholtzii, Ioannes Herczegh, Georgius Marothi, Samuel Pataki, Antonius Reuiczky, Antonius Vánoſſi, Alexander Berényi *a)*, Maximilianus Hell *b)*, Sa-

Rege ſuo, in his, Cancellarii Vniuerſitatis Hallenſis auctus, ante paucos annos mortuus eſt. Opera eius, ad medicinam, partes matheſeos et chimiam tam multa ſunt, vt vel titulos charta haec capere non poſſit. Praecipuum eſt, *Curſus Mathematici*, partes VI. Quarum prima continet *Elementa Arithmeticae, Geometriae et Calculi geometrici*, ſecunda: *Elementa analyſeos finitorum*, tertia et quarta: *Elementa analyſeos infinitorum*, quinta et ſexta: *Elementa Calculi integralis*. Editio auctior et emendatior prodiit Halae anno 1767 - 68. 8. Plura vide in Boerneri *Viris Medicorum noſtri temporis*, Tom. I. ex eoque deſumentem P. Horányium *Memoriae Hung.* Part. III. pag. 249. ſeq.

a) Fuit in Gymnaſio Agrienſi Philoſ. Profeſſor, atque edidit *Philoſophiam rationalem ſeu Logicam, in vſum Diſcipulorum adornatam, Agriae, typis Car. Ioſephi Bauer, Epiſcopalis typographi, 1762.* 8. Atque *Metaphyſicam* ibid. eod. in Partes V. Ontologiam, Coſmologiam, Theologiam naturalem, Pſychologiam, ac Zoologiam diuiſam. Sequitur P. Auctor plerumque Philoſophos recentiores, miſſis ſpinoſis illis ſcholaſticorum tricis, opere hoc egregie deſunctus eſt.

b) Lumen hoc aſtronomiae ortum cepit Schemnitii vrbe montana an. 1723. in ſodalitate Ieſuitarum enutritus, variis officiis ſcholaſticis admotus fuit, quae cum laude ſuſtinuit. Siquidem in Aſtronomiam, naturali quodam ferebatur inſtinctu, huic ſe maximopere dedidit, in qua quantum praeſtiterit, cum alia, tum iter Lapponicum anno 1768. ſuſceptum abunbe condocent. Sublata ſocietate, Viennae, Aulici Aſtronomi partes obiens, ſedem fixit. Vide opera eius, ac inprimis itineris Noruegici hiſtoriam, quam Cel. itinerator promiſit publici iuris facere, recenſitam ſuſius apud P. Horányium l. c. Part. II. pag. 81 - 90.

muel Székely, Volfgangus de Kempelen *a)*, Michael Klaufz, Matthias Piller, Ioannes Kouáts, Georgius Király Szatmári., Alexius Cöruer., Andreas Iafzlinfzky, Ioannes Iuancfics, Michael Klein *b)*, Carolus Koppi, Paullus Mako *c)*, Antonius Radics, Franc. Xav. Roy, Nicolaus Rofti, Bernhardus Sartori, Iacobus Wernifchek, Ignatius Born, Carolus Ios. Ign. Laifztner, Ludouicus et Iofephus Mit-

a) Celeberrimus hic Mathematicus quantum valeat in mechanica inprimis, machinae illae artificiofiffimae ludentes, quos iam in Germania, Anglia et Gallia oftentare relationes publicae fignificant, documenta funt. Vide: *Karl Gottlieb von Windifch, Briefe über den Schachfpieler des Herrn von Kempelen, nebft drey Kupferftichen. Bafel, 1783. 8. mai.*

b) Superiori anno vita functus, olim V. D. Minifter Pofonienfium, et Societatum Ienenfis Germanicae, ac Berolinenfis naturae curioforum focius, edidit Pofonii in 8. anno 1778. ad hiftoriam naturalem patriae fpectans opus infcriptum: *Sammlung merkwürdigfter Naturfeltenheiten des Königreichs Ungern.* Diuifit id in duas Auctor partes. Priori extraordinarias raritates Hungariae, fecundum tria, vt vocantur, regna naturae, nempe minerale, vegetabile et animale; pofteriori ordinarias, eadem ordine exponit. Sex haec conftat fectionibus. En titulos: ordinariae raritates naturae, in aliis regionibus non reperibiles: tales, quae alibi itidem reperiuntur: quae in aliis prouinciis plane non funt rarae: rara talia, quae, qua pretium internum, omnia aliorum regnorum, fuperant: rariora naturae; quae Comitatus Hung. alii prae aliis praehabent: rariora, quae orbe humana facta funt. Liber iucundiffimus et vtiliffimus.

c) In Iazygia anno 1724. natus nunc in Vniuerfitate Budenfi, Facultatis Philof. Director. Opera viri eruditiffimi, methodo adcurata, perfpicatia et nitore dicendi confpicua, funt haec: *Compendiaria Mathefeos inftitutio*, 1766. 8. cum fig. *Metaphyfica* in 8. eod. *Phyfica* eod. in 8. *Logica* 1769. 8. *Calculi differentialis et integralis Inftitutio*, an. 1768. 4. *De Arithmeticis et Geometricis aequationum refolutionibus, libri, duo, cum fig.* 1770. 4.

terbacher, Ioannes Arcz, Franciſcus Vragouits, Ladislaus Székelyi, Samuel Szilagyi, Ioannes Fridualszky, Ladislaus Cſernák, Samuel Dombi, Ioſephus Pap *a)*, Franciſcus Handerla *b)*, Samuel Enyedi, Paullus Adami, Ioannes Apoſtolouics, Samuel Theſſedik, Ignat. Dominicus Martinouics *c)*, Ioſephus Nemecz *d)*.

a) Philoſophiae et Matheſeos Profeſſor in Gymnaſio Maros-Váſárhely. Reformato, quinquies iam a ſocietate erudita Harlemenſi, proemium tulit coronatarum reſponſionum ad Problemata propoſita. Vltimum fuit ex Philoſophia theologica ſequens: Quae ſunt principia et characteres analogiae, et quomodo opporteat Philoſophum, in inveſtigandis phyſicis ac moralibus veritatibus applicare eosdem.

b) In Vniuerſitate Budenſi, Logicae, Metaphyſicae, Philoſophiae moralis, ac Hiſtoriae philoſophicae Profeſſor ord. die 20. Februarii, anno hoc, rebus humanis exemptus. Superiore anno edidit Budae *Inſtitutiones logicas, ac Hiſtoriam criticam litterariam Philoſophiae* in 8.

c) Patria Peſtienſis, qui ſtudia ſua theologica et philoſophica Budae excoluit. Ad ſoluendam a Lugdunenſi Academia an. 1782. propoſitam quaeſtionem: Quomodo et quibus argumentis explicari poteſt, mala huius mundi, bonitati diuinae non contradicere? Conſcripſit diſſertationem, de naturali conſentione bonitatis diuinae, cum malis creatis, atque proemium 250. florenorum holl. tulit.

d) Eſt in praeſens Camerae phyſicae in Vniuerſitate Budenſi, adiunctus, mechanicae in primis gnariſſimus. Inter complura inuenta eius mechanica, ſunt ſpecies molae frumentariae manualis, quae, prae aliis quibusuis, non iugalibus ſolum, ſed aquaticis etiam, multum commodi praeſtat. Spatio trium horarum, quatuor viri, plus, quam duas metretas Poſon. i. e. 160. pondo molere poſſunt: itaque vno minuto, lapis molaris 420. pondo grauis, 108 - 120. vicibus circumagitur. Ad perfectionem fornacum domeſticarum, medium etiam quoddam inuenit. --- Quae vtinam, oeconomiae, et vſui dome-

Historici et antiqvarii : Ioannes Nicolaus Maurocordatus *a)*, Demetrius Cantemirus *b)*, Ioannes Comnenus *c)*, Franciſcus L. Baro Mikola, Ioannes Rezik, Stephanus Moro, Iacobus Zabelerus, Chriſtophorus Parſchitius, Alexander Szörényi, Samuel Matthaeides, Andreas Guntſch, Gabriel Ko-

ſtico valde profutura, cum deſcriptione machinarum, obſervationibusque neceſſariis, auctor cl. luci exponeret publice!

a) Princeps Valachiae anno 1730. defunctus, multarum linguarum, teſte Fabricio in Dedicat. Tomi XI. Bibliothecae graecae peritiſſimus, docet, Le Quien in Oriente Chriſtiano, Tom. I. pag. 1250. ſcripſiſſe *de his, quae conueniunt, ſeu de officiis, accurante D. Daniele Metropolita*, Buchareſti an. 1719. graece, qui poſtea latine etiam editus, recenſetur in *actis erudit. Lipſ.* anno 1720. pag. 385. et anno 1722. pag. 331. quo loco etiam patris eius Alexandri Maurocordati, qui imperatoris turcici bis fuit ad Imp. Rom. Legatus, ſcripta commemorantur.

b) Princeps Moldauiae an. 1723. mortuus. Scripſit quam plurima. Inter haec *Hiſtoriam de ortu et defectione Imperii turcici* latine, cuius verſio germanica prodiit Hamburgi an. 1775. in 4. *Religionem Mahometanam*, lingua Ruſſica, iuſſu Petri Imp. euulgatam, Petroburgi anno 1722. *Mundum et animam*, graece et moldauice in Moldauia impreſſum, in dialogos partitum, et praecipua Ethicae capita continentem: *Antiquam et nouam Hiſtoriam Daciae,* idomate moldauico concionatam MS. ; *Praeſentem conditionem Moldauiae*, latino ſermone, cum mappa prouinciae huius : *Librum Turcicarum cantionum ad modos muſicos redactarum : Introductionem ad muſicam turcicam* moldauice. --- Vide plura, vti et fata eius aduerſa et ſecunda fuſe deſcripta a P. Horányi l. c. Part. II. pag. 277. ſeqq.

c) Dedit is *Deſcriptionem Proſignatarii S. Montis Atho*, dedicatam Metropolitae Vngroblachiae DD. Theodoſio anno 1701. Confer Le Quien, l. c. pag. 1247.

linouics, Paullus Ember *a)*, Martinus Szentiuányi *b)*, Ladislaus Szörényi, Michael Bombardi,

a) Abſolutis ſtudiis ſcholaſticis et academicis, Szatmarini, Loſſoncini, Debrecini H. C. Miniſter, praeter theologica, quae hic iam recenſere non vacat, memorandus *Hiſtoria Eccleſiae reformata in Hungaria et Tranſiluania --- Traiecti ad Rhenum*, an. 1728. 4. Adolphus Lampe, celebris Theologus, ad euitandum auctori odium, nomen eſt mutuatus operi. Eccleſiae chriſtianae a primis eius initiis, veſtigia in Pannonia Parte priore, ſecundum ſecula inquirit, atque publice receptam ad initia reformationis proſequitur: poſteriore vero, ſecundum ſeriem annorum, ad ſua vsque tempora fata in ſpecie Reformatae, non tamen penitus neglecta etiam Euangelicae ſecunda et aduerſa, propagationem diminutionem --- exponit. Non poteſt negari, magnos paſſim eosque ingratiſſimos ineſſe hiatus latinitatem incomtam: at fidei dignitatem, P. Péterffi in Conciliis Hungariae Tom. I. ſtomachabundus, (ſi quaedam exceperis) fruſtra vellicat dicens: *Diues monopolium contumeliarum, quibus Eccleſiam Romanam et Clerum adficit. --- Excuſſi hominis pilum omnem: nihil ſinceri teſtimonii in eo reperii,* (qua fronte id dicere bonus pater potuit, cum fere vbique laudauerit) *paraſitus auctorum, ad agendos remos pridem damnatorum.* Quam acute, et humaniter dictum!

b) Ieſuita iam ſeculo ſuperiori celebris, anno 1633. natus, anno vero 1705. Tyrnauiae tumulo illatus. Eriſtica contra Proteſtantes circiter viginti ſcripſit ſchediasmata. Maximam nominis celebritatem conſecutus eſt opere: *Curioſa et ſelectiora, variarum ſcientiarum Miſcellanea*, tribus voluminibus comprehenſa, in quibus, hiſtoriam naturalem, eccleſiaſticam, ciuilem, Chronologiam, Phyſicam, Aſtronomiam opticam, Geographiam, ad formam Diſſertationum --- pertractat. Adeſt ad manus Decadis pars prima, Tyrnauiae typis academicis per Ioannem Adamum Friedl. anno 1681 4. impreſſa. Separatim edita ſunt, quae Hungariam concernunt, inſcripta: *Diſſertatio Paralipomenonica rerum memorabilium Hungariae, ex parte prima Decadis III. Curioſorum et ſelectio-*

Samuel Timon *a)*, Ladislaus Thuróczi, Nicolaus Benger, Matthias Belius *b)*, Stephan. Paullus Mun-

rum variarum ſcientiarum Miſcellaneorum. Tyrnauiae, anno 1699.

a) Ex fide digniſſimis et moderatiſſimis Hiſtoricis Hungariae. Conſcripſit complura huc ſpectantia. Talia ſunt: *Synopſis Chronologica Regnorum Hungariae, Dalmatiae, Croatiae*, particulis ſucceſſiue XI. editis, quam rurſus recognitam et auctam, vno volumine complexus eſt, ſub titulo: *Epitome Rerum Hungaricarum*, Caſſouiae, 1736. fol. *Imago antiquae Hungariae repreſentans, terras, aduentus, et res geſtas gentis Hunnicae*, Caſſouiae 1733. *Imago nouae Hungariae, repreſentans Regna, Prouincias et Comitatus ditionis Hungaricae.* Caſſouiae, 1734. 8. *Tibiſci Vngariae fluuii Notio, Vagique ex parte.* Caſſouiae eod. Eam nunc Cl. Carolus Wagner auctiorem et emendatiorem edere molitur. *Purpura Panonica, ſiue vitae et res geſtae S. R. E. Cardinalium, qui aut in ditionibus S. Coronae Hungariae nati, aut Regibus ſanguine coniuncti, aut Epiſcopatibus Hungaricis potiti fuerunt.* Caſſouiae, 1755. auctior vero ibid. 1745. Annales R. Hung. poſt Nicol. Iſtuánffium ab an. 1598. vsque ad an. 1662. MS., quibus Kázy in Hiſtoria ſua R. Hungariae vſus eſt.

b) Vix ſpicilegium nobis commentandi, de eruditiſſimo Belio relictum eſt: poſtquam tot tantique domeſtici et exteri, variis operibus, hiſtoriam celeberrimi huius Polyhiſtoris, et lucubrationum eius eruditiſſimarum expromſerint. Vide loco omnium, Clariſſimum noſtrum Horányium in *Memoria Hungarorum et Prouincialium, ſcriptis editis notorum*, Part I. pag. 167-271. fuſiſſime diſſertantem, atque eruditos Lipſienſes in *actis ſuis* an. 1724. menſe Martio pag. 99. ſeqq. atque annis ſuccedentibus, vti opera prodierunt, et recenſebantur. Quam plurima illa ſunt, ſcholaſtica, theologica, hiſtorica, geographica, philologica, propria, et ex linguis aliis tranſlata, latine, hungarice, germanice, bohemice, ſcripta. Princeps eſt eorum *Hungariae antiquae et nouae Prodromus, cum ſpecimine (* Comitatus Scepuſienſis *) quomodo in ſingulis operis partibus elaborandis verſari conſti-*

kácsi, Ioannes Filstich, Carolus Pèterffi, Francis-cus Kázy, Nicolaus Muszka, Franciscus Borg. Ké-ri, Andreas Spangár, Franciscus Orosz, Gabriel Szerdahelyi, Ioannes Tomka Szászky, Michael Ro-tarides, Godofredus Schwarcz, Balthasar Adamus Kercselich, Nicolaus Schmitth, Franc. Adamus Kol-lár, Ioannes Pelcz, Samuel Kazai, Stephanus Váli, Andreas Schmál, Ladislaus Mosa, Stephanus Do-bai, Stephanus Kaprinai, Petrus Bod, Georgius

tuerit Auctor Mathias Belius, Pannonius, Norinbergae, sumptu Conradi Mondth, anno 1723. fol. atque *Notitia Hungariae nouae historico - geographica, diuisa in partes IV. quarum prima Hungariam Cis Danubianam, altera Trans Danubia-nam, tertia Cis Tibiscanam, quarta Trans Tibiscanam, vni-versim XLVIII. Comitatibus exprimit, Tomi IV. Viennae Austriae, anno 1735 - 1742. fol. cum mappis geogr. Opus vti in commune vtilissimum, ita splendidissimum.* Tomis his IV. neque integram partem cis Dannubianam absoluit, licet reli-qua etiam omnia typis parata habuisse testatur in Praefatio-ne ad Tomum IV. his verbis: *De nostro quidem labore, ita sentias, velim, eo vniuersum, quae Dei est gratia, opus de-ductum esse, vt quod eius est residuum, statim ab hoc mo-mento, typis tradi posset, excutique: si et tempora ami-ciora essent musis, et homines aequi ac iusti obseruantiores. Sciunt id summi quique, atque eruditissimi viri, quibus vi-sae sunt lucubrationes nostrae, --- non emaculatae modo, et in tria volumina dispertitae: sed adprobatae etiam ab his, quibus censendi laboris prouinciam, D. Caesar, magno lu-cubrationum nostrarum commodo, demandauerat:* nihilomi-nus fata illa aduersa, quae deplorat, opus illud aureum, bel-lum cum tineis et blattis hucdum gerere coegerunt. MScri-pta haec, cum reliqua etiam supellectili hungarica, numerato aere, Eminentissimus Cardinalis, Archiepiscopus Strigonien-sis, Comes Iosephus de Battyàn, ante plusculos annos, fine iuris ea publici faciendi, redemit a vidua. Quid tamen in-tentionem vtilissimam remoretur, non habemus dicere.

Pray *a)*, Georg. Ieremias Haner, Carolus Palma, Ioannes Seueriny, Iosephus Benczur, Antonius Ganóczi *b)*, Stephanus Katona, Alexius Horányi,

a) Conscripsit vir hic laboriosissimus, qui nunc Bibliothecae Budensis Praefecti primarii fungitur munere, praeter complura alia minutiora, *Annales veteres Hunnorum, Auarum, et Hungarorum*, atque *Annales Regum Hungariae*, vastis V. Tomis in folio, Viennae typis variorum, ab anno 1761 - 1770. editos, quibus fata et res gestas eorum, ab ipsis Hunnorum in Asia originibus, ad aetatem vsque Ferdinandi I. Regis deduxit. Disputatur de pretio eorum, inter eruditos, hiatus amplos notantibus aliis, alios superfluas perrorationes carpentibus, aliis plane fidei dignitatem vellicantibus. Nolim in alterutram partem esse fusior. Id sufficiat dixisse, vltra ius peti, in vastissima hac rerum gestarum mole perfectionem, quam nemo vnquam historicorum est assecutus. Concisius dici potuisse multa, nemo negauerit: bona vero fide egisse, documenta ad quamuis fere periocham laudata affatim condocent. An tamen fontes hi, vbique sint sinceri, est, quod dubitemus. Sane noluissem ex legendariis dici, v. g. Tomo I. pag. 25, *Pauonem assatum, mensae superimpositum, redditum vitae pristinae deuolasse* --- Quod quam male cohaereat, ipse Cl. Auctor perspicere videtur; ideoque limitationibus et explicationibus emollire intendit. Vtut sit, scriptorum plerumque coaeuorum periochae integrae, ac diplomata nunquam ante hac visa, opus faciunt praestantissimum.

b) Est is Canonicus Ecclesiae M. Varadiensis et Praepositus. Edidit *Episcopos Varadienses, Viennae, anno 1776.* vastis duobus tomis in 4., vtilitatis non condemnenda opus, fatemur ex vero; multum tamen subtrahunt pretio eius, allotria, tautologiae, et ex historia ciuili eo plane non pertinentia, quae si rescissa fuissent; facile altera sui parte tenuius prodiisset. Adde, exscriptiones ex auctoribus aliis, nulla facta eorum mentione, contradictiones mutuae, laudes heroum suorum, (quasi non aequae fuissent homines) perpetuae, num cum persona boni historici consistere possint, breuitatis caussa aliis consulto iudicanda relinquimus. Ne videamur Cl. Auctori iniuriam intulisse, exemplis aliquot fidem dictis faciemus, v. g. Tomi I. ab anno 1448. ad annum 1456. semel mentionem Io-

annis Vitézii Episcopi Varad. facit; aliis ad scopum nihil spectantibus fuse intorsis. Loco cit. ab an. 1244. ad an. 1254. vix bis Episcopi Vincentii mentio iniicitur obiter, vbi nempe in diplomatibus, de aliis sermo est. Quam aliena pro suis venditauerit, ne plura producam, sufficit producere biographiam Georgii Bórsony, part. II. pag. 318 - 342, quam totidem verbis, ex Nocolai Schmitthii, *Episcopis Agriensibus* Tom. III. pag 291. seqq. vbi de eodem Episcopo agit, paucis ex auctoribus, ab isto laudatis, interfertis, aut aliunde, nihil ad rem spectantibus, turpiter exscripsit. Exemplum contradictionis vide part. II. pag. 175. 176 --- Abusum Astrologiae et crimen Rebellionis, a Ioanne Vitézio, audiamus part. I. pag. 398. seqq. quomodo amoliatur: „ Astrologiae ad insaniam deditum fuisse, accusant censores, sed perperam. Id non negauerim, si Astrologiae operam nanauit Vitézius: scelus sane incurrit, et illud infula indignissimum, si tamen omnis illa doctrina, intra flagitium consistit. At vero, si qua de astris scientia casta fuerit et immunis naeui, non est, cur illius alumnis dies dicatur. Quis ignorat, stellas et sidera alia --- habere occultam in terram agendi vim: dein varia esse situ, collocationeque; amore item alia, ad inuicem quopiam, alia quasi odio. Iam autem e diuerso horum motu, nunc amico, inimico modo, mutationes temporum futuros, imo et animorum non necessitate, innata tamen leuitate impulsorum praedicere, quod tandem facinus erit? --- Atque hanc ego Astrologiam in amoribus Ioanni Vitézio fuisse, vel inde mihi in animum induxerim: quod aduersa illa, quae ferreo veluti, atque inexegrabili fato mortalia vrgeri putabat, momenta et saniorem in mentem pugnat, nec deinceps vacat sacrilegio. Quos ego quidem maculas, vt et homini eruditissimo et grauissimo antistiti iniurtam, nisi egregie impudens sim, haud vnquam adduci me patiar. Neque Maiestatis iuste postulatur Vitézius, quod videlicet aduersum Matthiam partes Casimiri fouerit. Ita enim vero se res habet. Atque iam regnum fere omne a Coruino abierat: gerrebat quoque populus exhaustus atque exinanitus tributo tot annorum, nec medela malo succurrebat. Igitur e re communi factorum se arbitrabatur, quod egit, non ensem extulit, non insidias struxit. " Lectori iam de his lubens iudicium committo. Flosculum, Part. II. pag. 195. integrum, ex Péterffii

Iosephus Koller *a)*, Ioan. Bapt. Molnár *b)*, Stephanus

Conciliis, Tom. II. pag. 194. nulla eius fata mentione furripuit.

a) Ecclesiae Quinque Ecclesiarum Cathedralis Ecclesiae Canonicus, vir eruditissimus, edit *Historiam Episcopatus Quinque Ecclesiarum*: cuius iam prodierunt Tom. II. Prior complectitur res gestas ab anno 1000 - 1219. posterior ad an. 1346. ambo Posonii apud Landererum anno 1782. in 4. excusi. Sequentes operis insignis, non sine desiderio exspectamus.

b) In Vniuersitate Budensi studiorum humaniorum Director, vulgauit complura opera, Theologica partim, partim Historica. Ex his sunt, *de priscorum memorabilibus aedificiis libri IX.*, Tyrnauiae 1760. forma quarta, lingua hungarica editum. Eodem, *Historia ecclesiastica* Tomi III. 4. anno 1769. - 1771. ab initiis Religionis Christianae, ad annum 1600. producta. Peculiarem attentionem meretur: *Magyar Könyv - ház, Ira Molnár Janos, I. Szakosz. Posonyban, Landerer Mihály Betüivel és Költzégével, 1783.* Id est, *Bibliotheca hungarica, Auctore Ioanne Molnár. Sectio I.* Quod felix, faustumque reipubl. litt. Hung. eueniat primus in suo genere liber. Cl. Auctor ipse scopum et materiam libri, in fronte et praefatione exponit. Exemplo Photii, qui Miriobiblion conscripsit, recenset opera, quaecunque digna videntur, non obseruato, nationum, scientiarum, aut aetatis discrimine, adiecto breuiter iudicio. Compendia nempe, materiarum, presso pede instituit, quascunque iucundas scitu et vtiles obseruat. Sunt vero eae, euentus populorum, domestici et extranei, consuetudines, inuenta, phoenomena naturae. --- In prima hac sectione recensuit libros XXXIII. Charlevoix Histoire de l' Isle Espagnole, ou de S. Dominique: Ellisii ex Anglico versum, Reise nach Hudsons Meerbusen --- quibus 18. circiter itinerationes succedunt: Stephani Szalagyi, de statu Ecclesiae Pannonicae, Quinque Ecclesiis anno 1777. In Romanorum iter per Panoniae ripam a Turuno, in Gallias Commentarius, Budae 1780. Photii Miriobiblion; Iosephi Benkö, Nomenclatura Botanica. --- Operis progressum ex animo

nus Szalagi, Stephanus Schönvifner *a)*, Carolus Theophilus Windifch, Michael Maria Millifchich, Carolus Wagner, Benedictus Cetto, Daniel Cornides, Andreas Ionas Czirbefz, Martinus Klanicza *b)*,

precamur. Id vnum monemus, libri titulum non convenire operi, fi materiam pertractandam, pro obiecto habeat: fed forte idiomatis, habita eft ratio.

a) Cuftos Bibliothecae Budenfis et Pofeffor Rei numariae, antiquitatum peritiffimus, edidit *de Ruderibus Laconici, Caldariique Romani, et nonnullis aliis monumentis in Solo Budenfi partim hoc primum anno 1778. repertis, partim nondum vulgatis librum.* Budae 1778. ac *in Romanorum iter per Pannoniae Ripam a Taurum in Gallias — Commentarium geographicum, Partes II.* Budae: 1780.

b) Martinopolitano-Turocenus, V. D. Minifter in Com. Peftienfi, Maglodienfis. Opufculum elegantiffimum et notitiae hiftorico litterariae index editit infcriptum: *Chriftiana feculi XVI.* per Hungariam *in Religione Tolerantia, feu Exercitatio hiftorica de Regum ex Augufta domo Auftriaca, benigniffima erga Euangelicos in Hungaria, ante confirmatum Lege Regni, Religionis eorum publicum exercitium, voluntate,* Pefthini 1783. Ne videamur in recenfendo opufculo partium ftudiofi: materiam faltim dabimus. Paragraphus 1. continet argumentum in genere, 2) benigniffimam Regum Hungariae erga Confeffores Euangelii voluntatem, cum in genere, tum in fpecie quorundam clementiam exponit, 3) Confeffiones fidei Euangelicorum, auctoritate Regia inueftigatos, Reges acceptauiffe, 4) illorum exercitium ratum habuiffe, 5) Euangelicos Baronum Regni dignitate alios, 6) alios maioribus et minoribus Regni dignitatibus frequenter donaffe, 7) Indigenatum Euangelicis exteris, in Comitiis contuliffe, 8) Quosdam ex Ven. Clero Euangelica facra amplexos, non vi reduxiffe, quin potius nonnullos gratia cumulaffe, 9) militibus, praefertim praefidiariis concionatores habendos conceffiffe, 10) in conceffione vfus S. Calicis et Sacerdotum matrimonii multum laboraffe, 11) templa per regnum antiqua retinere, et noua aedificanda nunquam impediuiffe, 12) fcholas publicas ftru-

Georg. Benkö, Samuel Libertiny a), Godofredus Kéler b), Iosephus Sulzer.

Oratores, Poetae, et Philologi: Comes Stephanus Kohári, Paullus de Ráda, Iosephus L. B. Petrásch, Comes Ioannes Lázár c), Carolus

endas et ordinandas permisisse, 13) Typographias liberas concesisse, 14) synodos et Congregationes sacras, quoties necessum visum est, libere convocatos tolerasse, 15) visitationes Ecclesiarum et interdum Ministrorum ordinationes indulsisse, immo illas feri demandasse 16) Euangelicorum Ministrorum bona et iura Parochialia, honores, titulosque confirmasse, ex Historia Hungariae Eccl. actis publicis, iure-patrio, diplomatibus Regum -- -- fuse et erudite edocet. Vltima §. epilogum continet.

a) Dum vixit, Fisci Celsiss. Principis Esterházi, ad Tribunal Pestiense Aduocatus, sub finem anni superioris viuis ereptus, poeta et historicus praeclarus. Prelo iam traditurus erat *Notitiam Comitum de Zolio*, nisi morte praeuentus, opus aeternis forte tenebris relinquere coactus fuisset.

b) Posonio oriundus, Historiae, qua late patet, Hungariae callentissimus, in qua diplomatum et id genus materialium, vltra 50. congessit Volumina. Agnoscunt eum auctorem complures particulae, in his Atlas Hungariae fusissime concinnatus, libello periodico, Vngrisches Magazin inscripto, insertae. Plura molitur vir doctissimus, cui nos sanitatem, ad perficienda proposita intemeratam comprecamur ex animo.

c) Vti splendidissimis muneribus in Transiluania defunctus, ita in variis scientiis versatissimus, poeta tam latinus, quam hungaricus felicissimus; vt ideo, alii Maronem, alii Ianum Dacicum dicant eundem. Vide laudes eius apud P. Benkö in *Transiluania Tom. II. pag. 487.* Foetus eius sunt: *Versus mnemonici summaria et titulos operis Iuris Decreti tripartiti exhibentes*, Cibinii, 1744. 4. *Opera poetica varii argumenti.* Claudiopoli 1765. 8. Hymni ex Gallico in hungaricum transfusi, Claudiopoli, 1760. 8. *Florinda*, Cibini, 1766. 8. quo me-

L. B. Reuiczky a), Comes Carolus Zichi, Ioannes Tsetsi pater, et filius, Georgius Bohus, Elias Mlinarouich, Stephanus Bergler b), Paullus Iacobaei,

trice, res raras et praecipuas quorundam regnorum describit: Politica, Metaphysica et Ethica Christiani Wolffii ex latino in Hungaricum versa in MStis existunt; vt de aliis vulgatis iam taceamus. Anno 1772. 26. Nouemb. officiis et vita defunctus.

a) Natus anno 1736. in praedio paterno Revitzae, insignis polyglotos. Loquitur enim eadem perfectione Hungaricam, Germanicam, Slauicam, Gallicam, Italicam, Anglicam, Turcicam, Graecam, Hebraeam, et Persicam intelligit adcurate. Delectabatur aetate iuuenili imprimis peregrinationibus, quam plurimas suscepit. Constantinopoli, vbi diutius versabatur, Arabis cuiusdam Opus MS. *de re militari Turcarum* nactus, in Gallicum transfudit idioma, et Viennae 1767. 8. edi curavit. Non minus Hasyphi cuiusdam Persae Poetae odas in latinum translatos vulgauit. Exantlata, summa cum Augustorum adprobatione Varsouiae legatione, eandem nunc Berolini sustinet. Vide de viro hoc magno, Relationes nouorum Erlangenses anni 1769. diei 23. Maii, ac ad Num. 60. plagulam extra seriem.

b) Excellens iste seculi huius sed cynicae etiam vitae philologus, natus est Coronae, circa annum 1680. Positis studiorum in patria fundamentis, Lipsiae amplius excoluit, vbi cognita eius in literatura in primis graeca perfectione, celebris bibliopola Thomas Fritsch, denique Wettstenius Amstelodami in edendis variis auctoribus Graecis, ~~cel.~~ Ioan. Albertus Fabricius in Bibliotheca graeca, et Sexto Empirico, Hamburgi vsi sunt. Euocatus in Valachiam a Nicolao Mauro, cordato Principe, vbi filios eius docebat, nouellas Europaeas in graecum, eius vero contra opera graeca in latinum vertebat. Mortuus est non tamen vt turcicus recutitus, quem admodum Cl. Gesner in Praelect. Isag in Erud. vniuersam §. 524. falso ait. Bucharesti magna cum pompa elatus. De tempore mortis nihil certi dici potest. Vide breuiter et iucunde descriptam vitam eius a Cl. Seivert in Vngrischen Magazin Tom. II. parte

Paullus Strecsko, Samuel Hruskouicz a), Franciscus Szentpáli, Antonius Baitai, Iosephus Mihich, Daniel Hainoczi b), Ioann. Christophorus Deccard, Constantinus Halapi, Andreas Iambrechich, Marcus Koritsányi, Gregorius Tapolcsányi, Gregorius Fabri, Stephanus Lossontzi, Ludouicus Nagy de F.

IV. pag. 504. seqq. Opera eius sunt: *Julii Pollucis Onomasticon anno 1706. Homeri opera, quae extant omnia graece, et latine.* Amstelodami, 1707. *Aliphronis epistolae graecae*, cum versione latina, et notis, Lipsiae, 1715. *Josephi Genesii*, Historici sub Imperatore Constantini Porphyrogeniti *Historiam* a Leone Iconoclasta ad Basilium Macedonium, itidem cum eiusdem versione latina et notis. Venetiis, anno 1733. in fol. edidit.

a) Fuit is V. D. Minister Neosoliensis, et *Districtus Montani* Superintendens, Carponae sub finem seculi superioris natus, mortuus Neosolii anno 1748. Quod Germanis seculo hoc Gellertus, hoc Slauis nostris est in Hungaria Hruskouizius, Vir a natura ad pangendos versus factus, verique nominis poeta. Talentum suum maximopere exercuit, in Gloria Dei, et salute sociorum fidei promouenda, per hymnos, quorum insignem copiam, ex Germanico partim transfudit, partim composuit ex proprio, omnes Cytharae Tranoscii Lubenae an. 1745. excusae illatas. Auxit editionem hanc, aliorum etiam auctorum hymnis, Danielis Krman, Ioannis Glosii, Eliae Mlinarouich, Ioannis Blasii, I. Godorf. Ertelii, Matthiae Augustini, Paulli Seuerini, cet. maximam partem elegantissimis adeo: vtcum editio prima seculi superioris, non vltra 400. odas complecteretur: hoc praesenti, vltima millenarium adaequet. Nihil nunc dicam de opusculis poeticis Slauicis. — Eliae Mlinarouich, Ioannis Glogii poetae suauissimi, Ioannis Blasii, Paulli Iacobaei --- Adami Thadaei Blagoeuich illyricis. --- Vide de Hruskouiczio plura in Andreae Schmalii *Commentatione de Superintendentibus Hungariae Euangelicis*, MS.

b) Rector Gymnasii Soproniensis, aetatis suae Cicero dictus. Et sane docent id opera eius. Disputauit *de Pharisaeis et scribis in Cathedra Mosis sedentibus audiendis.* Vittebergae,

Büki, Ioannes Papanek, Michael Aitai, Georgius Vereſtói *a*), Samuel Gázur, Antonius Zehentner, Norbertus Conradi, Ioſephus Erdélyi, Georgius

1718. 4. *Laudauit oratione funebri Stephanum Török de Telekes anno 1723.* Lipſiae edita. Scripſit porro *laudationem funebrem Sereniſſ. Principi Sabaudiae Eugenio* anno 1736, quae Viennae 1737. in 4. prodiit. Item Georg. *Sigismundo Lizbezeitio M. D. Georgio Kramero, Carolo VI. Imperatori* cet. variis locis impreſſos. *Epiſtolám* porro *gratulatoriam, metris concluſam* ad Ioannem Tóth Sipkovics, dum anno 1742. Superintendens diſtrictus trans Danubiani creatus fuiſſet. En fragmen eius:

Annos, quot olim ſub Babylonia
Gens ex Abramo nata, tyrannide,
Euphratis ad ripas gemebat
Exilio miſere grauata:
Tot noſtra, ſacro iam ſine Praeſule,
Trans flumen Iſtrum, Mater, ad incitos
Conuerſa ferme luxit annos
Triſtia fata ſuae orbitatis.
Seruaſſet iſtam ni Deus ipſemet
Cymbam, profundis obruta fluctibus,
Dudum periſſet, tam diurnis
Tam rabidis agitata ventis ---
Dilecte coelo, care fidelibus
Cunctis, Ioannes Tóth bone Sipkouics,
Jam nunc tuae creduntur iſtae
Reliquiae fidei regundae. --- ---

a) Inſignem poetam fuiſſe hungaricum, docet Cl. Benkö, in *Tranſiluania* Tom. II. p. 178. Prodierunt opuſcula eius inſcripta: *Temetéſi és Lakadalmi Alkalmatoſſágokra irt Magyar Verſek.* Claudiopoli 1772. 8. Adaequat, ſi non ſuperat hunc Cl. Beniamin Szönyi V. D. M. Hód - Mezö Váſárhelyienſis, cuius *Szénték - Hegedüje, Imadſágok Imodſága*, nemo ſine voluptate legit. Non eſt neceſſum Hungaros plures, quorum plurimi ſunt (nam fatendum eſt, natura ferri in hoc ſtudium) recenſere.

Sztrecsko *a)*, Daniel Filtsch, Ioannes Sainouits, Carol. Theophilus Windisch, Ioannes, et Elias Chrastina.

Adiungendae sunt porro ex merito, Mulieres eruditae: Catharina Sidonia Petröczi, Comitis Laurentii Pekri Coniux *b)*, Catharina Comes Bethlen *c)*, Polixena L. Baronissa Daniel *d)*, Esthera Radai nup-

a) Gymnasii Euang. Posoniensis nunc Rector, Praeceptor olim noster pie colendus. Praestantissimis poetis germanicis (ut de latinis nihil dicam) non in Hungaria solum, sed Germania etiam accenseri opportere, virum hunc doctissimum, opera docent abunde. Qui ea, in primis in obitum Imp. Francisci I. threnodiam, et Mariae Theresiae Augustae ex variolis restitutionem Eucharisticon, Oratoriique Posoniensis inaugurationem legit: mecum sentiet. Dolendum est, opuscula eius, occasionibus variis profusa, vno volumine nondum prodiisse. Praecipuam quoque laudem merentur L. Baro, de Petrásch, Daniel Filsch, Superintendens nuc Euang. in Transiluania, Carolus Theophilus Windisch. —

b) Hungarico idiomate edidit: *Fessa sub graui crucis pondere corda, reficientia boni odoris XII. lilia, quae ex Ioannis Arndii scripto-collegit, et in Cibiniensi mariti caussa captiuitate, in memoriam eius ac consolationem adflictorum vulgauit*, Claudiopoli, anno 1705. 12. *Bonum odorem expirans verum cor, quod ad excitandos languentes animos ex Ioan. Arndii opere hungarice reddidit.* Leutschouiae, 1708. 8. atque Ioan. Friderici Mayeri opus quoddam polemicum, contra R. Catholicos, quod iam recensere non interest.

c) Comitis Ladislai Haller, post Comitis Iosephi Teleki elocata, litteris, in primis botanicae deditissima. Proficiscuntur ab ea scripta hungarice; *Clypeus, quo aduersus tentationum sagittas igneas, se ipsum tueri potest Christianus.* Cibinii, 1751. 8. ac *Biographia propria* in 8. Viuere desiit an. 1750.

d) Baronis Stephani Vesselényi coniux, variarum linguarum, in his latine et graecae gnarissima. Vertit in hungaricum Benedicti Picteti opus, sub titulo: *Ethicae Christianae nu-*

ta Comiti Ladislao Teleki, Anna L. B. Vesselényi *a*), Anna Maria Iánoki, Liberi Baronis Caroli ab Hellenbach vxor *b*).

§. 20.

Fauente hoc litteris seculo, quinque Academias sinu suo fouebat Hungaria. Praecipua omnium *Tyrnauiensis*, de qua iam superius fuit nobis mentio. Franciscus Kázy, in *Historia* eius, ad annum 1735. nempe secularem faciem eius, tanquam in tabula ita pag. 135. seqq. depingit: „ Haec Academia complectitur personas discentibus exclusis, vicenas, Magnificum videlicet Rectorem, Cancellarium, Iudicem, eius Consiliarios, Aduocatum, Decanos, Magistrosque, quatuor Facultatibus comprehensos. Summa rerum penes Rectorem est, qui e grauioribus Societatis Iesu viris, a Praeposito Generali deligitur, praeestque Vniuersitati simul ac Societatis Collegio, neque ab inita praefectura, laboribus docendi alios distinetur. Cancellarius proximus a Rectore est, eique inter cetera incumbit, vt rite, atque ex ordine disciplinae omnes a Magistris tradantur, et scholasticae exercitationes instituantur, intendere. Iudici auctoritas, iurisque dicandi potestas ab Rege confertur. Legi solet e Proceribus, Nobilibusque lautioribus. Iuris cum primis peritus sit oportet:

clens, Claudiopoli, 1752. 8. Non minus parentis sui Stephani L. B. Daniel librum, inscriptum: *Paterna monita*, qui continet in se Theologiam practicam.

a) Ludouico Bethlen Comiti in matrimonium data. Virgo adhuc, Ioannis Stapferi V. D. M. Diesbachensis ex Germanico, in Hungaricum vertit *Manuductionem ad Religionem Christianam*. Claudiopoli, anno 1774.

b) Erudita haec heroina vnigenitae filiae suae caussa scripsit Germanice *Admonitionem ad vnicam filiam suam* Lipsiae

ab eo enim cum Consiliariis pleraeque doctis, graviores lites componuntur, deque vita ac morte pronuntiatur: quippe Academicis aliis, quam Academicus, dum litteris dant operam, non est magistratus, neque per quemquam, nisi per hunc iudicem, dicentibus causam, declaratur ius, et supplicia decernuntur.

Collegia Magistrorum singulares disciplinas explicantium, appellamus facultates: quas inter principes est Theologorum, ab hac altera Iurisconsultorum, succedit Philosophorum et Artes profitentium. Singulis suus praeest Decanus: in prima illa censentur Professores Theologiae speculatiuae, iique duo, totidem, quid in vita humana fas, nefasque sit explicantes, quibus nomen est a disciplina, quam tractant, Theologiae moralis, aut practicae Professorum. Adde Interpretem sacrarum litterarum, et alium, qui controuersas de religione quaestiones excutit. Atque hi sex facultatem istam constituunt, ac Decano eo plerumque gaudent, qui citius theologiam speculatiuam profiteri, binos illos inter exorsus est. Altera Iurisperitorum destinatos, explicando Iuri Pontificio, ac Imperatorio communi, singulos, Patria geminos, theoriae alterum, alterum praxi comprehendit. Is, qui Ius pontificium explanat, alternis annis facultatis huius Decanum agit, Logicam, Physicam, Mathesim, Metaphysicam, et Ethicam, singuli ex mente Aristotelis interpretantur, atque adeo quini Philosophiae Doctores tertiam efficiunt, quibus Decanus plerumque e facultate Theologorum datur. Cum Mecaenas alendis Medicae

1760. impressum forma quarta, in qua, sex vi sequiori disciplinae maxime necessariae v. g. Theologia, Geographia, Historia — concise explicantur.

Magiſtris hodieque deſideretur, vnicus, qui Canonicorum et ſocietatis Ieſu collegio, ad curandos aegros operam locat, inter Philoſophos connumeratur. Sacram linguam vnus, vnus item Eloquentiae, vnus Poeticae praeceptiones explanat. In ternas trium Grammatices claſſium expoſitio diuiditur. Litterarum elementa duo interdum docent, interdum vnus. Ab infima Grammatices Claſſe, ad Rhetoricam vſque, graece praeterea litterae adiunguntur. Atque ex his artium eualeſcit facultas, cui, qui praeeſt, Decanus linguarum appelatur. „ Huc vſque Kázius: Ex hac deſcriptione, me etiam tacente, lectori erudito patebit, quanti hiatus, lacunae, et defectus ſcientiarum, vt de Aeſculapii ſectatoribus nihil dicam, ſemet hicce prodant; quos, per recentius ſtudiorum ſyſtēma expletos eſſe abundantiſſime, laetabundi commemoramus. Neque vero negligendum, Auguſtam Mariam Theresiam, anno iam 1771. pro fauore ſuo erga omnigenas ſcientias, defectibus his benigne ſuccurriſſe, Tyrnauiamque, Facultatem Medicam induxiſſe, mox anno 1777. die 20. Auguſti, vna cum Vniuerſitate integra Budam commigratura. De Budenſi Academia veteri, *Caſſouienſi*, et *Claudiopolitana* nihil amplius, quod dicam, habeo. Adeo moribus, conſuetudinibus, et docentibus cum Tyrnauienſi conſentiebant; vt hac cognita, reliquas ex aſſe perſpectas habeas. *Iaurini* circa medium ſeculi huius ſchola maior, Academiae axioma accepit, philoſophicis, theologiae ſcholaſticae, et moralis diſciplinis inſtructa, quae tamen vix iam mentionem meretur.

Cupiebat Auguſta Maria Theresia, Proteſtantes, etiam ſuos fideles ſubditos in Hungaria, gratia eadem Caeſareo-Regia beare: quo, inſtructi Vniuerſitate litterarum domi, non apud exteros, magno impenſarum, et vitae diſcrimine mercari eas cogerentur. Benigniſſimo itaque mandato, anno 1764

die 24. Aug. Posonii dato, et die 24. Septembris per Excelsum Gubernium Transiluanicum, cum Consistoriis Helueticae, et Augustanae Confessioni ibidem addictis communicato, imperabat: *vt pro iuuentute Acatholica Hungarica aeque, ac Transiluanica noua in Transiluaniae Principatu Vniuersitas erigeretur.* Nihilominus tamen Illustrissimi condam D. D. Comites, Ioannes Lázár de Gyalakuta, et Ladislaus Teleki de Szék, Consiliarii Guberniales, Actuales Intimi, et Ecclesiarum in Transiluania Reformatorum Curatores supremi; nec non Illustrissimi D. D. Michael de Rosenfeld, Gubernialis Consiliarius Actualis intimus, ac Petrus Binder de Sachsenfeld, Augustanae Confessionis Consistoriales, reliquarum vtriusque Confessionis Consortium nomine, per quam humillime deprecati sunt, porrecto Excelso Gubernio Regio, supplici libello, ad Augustam promouendo, quo nec fundum Academiae condendae, et Professoribus alendis suppetere, nec rem pluribus obstaculis carere monstrabant. Auditis his igitur benigne, voto frui supplicantes clementer admisit Augusta.

§. 21.

Quod Gymnasia illustriora attinet, illorum iam breuiter dabimus notitiam. Atque offert se nobis primum *Eperiesiense*, de quo seculo superiori fusius disseruimus. Euerso anno 1688. eodem, octodecim continuis annis inane iacuit et squalidum. Francisco Rákoczi in superiori Hungaria rerum potiente, per ipsos R. Catholicos anno 1705. est Euangelicis sponte restitutum. Inspectores itaque omni cura, in omnes partes euigilant, quod concredito sibi Lyceo vtilitati et augmento esse posset, constituunt. Quare fautores primum circumspiciunt, qui liberalitate litteras promotum irent. Libello ergo supplici per Hunga-

riam misso, munificentiam eorum exacuunt: non minus viros probos, et eruditos circumspiciunt, qui exemplo maiorum, expectationi in educanda iuuentute scholastica satisfacerent. Vocatur itaque Moderator supremus Ioannes Rezikius a), qui olim iam

a) Natus est is J. Comitatus Nitriensis pago Körös, seu Kruśoucze Slauis dicto, patre Reu. Nicolao Hajniczeno et Ven. Contuberni Nagy - Tapoltsensis Seniore. Postquam adoleuisset, Eperiesini Pomarium, Zabanium et Ladiuerum, duces sectatus est tanto cum emolumento; vt anno 1669. sub Pomario, articulum VII. Augustanae Confessionis *de Ecclesia* in solenni examine anniuersario ad disputandum propositum, cum prolixa nominis sui commendatione defenderit. Ad exteros delatus, iam anno 1674. Thorunii, numero docentium adscriptus fuit, et anno 1682. Professor meruit salutari. Apud Cassouienses anno 1671. scholae clausas, nutritii earum anno 1684. referare decreuerunt, et directionem omnem Rezikio commendarunt. Dubius diu haesit, num portus Thorunensis deserendus, ac more in hungaria turbidum ingrediendum; vicit tandem patriae amor, ac oblatam sibi prouinciam suscipere coegit. Sed vix Cassouiam delatus est, se non parum errauisse cognouit, et recordatione praeteritorum dolorem auxit. Praeterquam enim, quod rem scholasticam negligenter curari aduertebat, etiam a Michaele Fischero, Camerae Cassouiensis Praeside collusionis cum Tökölio accusatus, in custodiam traditus est. Nihilominus cognita innocentia, paucos post dies libertati restitutus, in Collegio Eperiessiensi (vti supra dictum est) stationem Professoris eloquentiae, Poeseos et Historiarum occupauit. Quia vero munus hoc, erepto nostris Collegio dutorum esse non potuit, ad Thorunenses rediit, ac in Gymnasio, anno 1690. Professor Philosophiae ord. est constitutus. Tandem restituto an. 1705. sub tumultibus Rákoczianis, Collegio Eperiessiensi, huc iterum reuocatus, eique maxima omnium adprobatione, ad an. 1709. quo peste est extinctus, praefuit. Scripsit vir hic in omni scientiarum genere versatissimus, quam plurima, quarum fragmenta, Eperiessini, Kesmarkini et alibi vidisse se testatur Cl. Rotarides, quae tamen lucem publicam non vi-

in Lyceo hoc magno cum fructu varias docuerat disciplinas, atque die 21. eiusdem anni 1705. in Collegium inductus est. Eum Thorunio euocatum, Kesmarkienses iam suum fecerunt: pro studio tamen erga bonum publicum neglectus, quos in eum transferendum fecerant, sumtibus cedunt. Adiungunt mox alias: pulchra dabant diligentiae, et progressuum documenta; sed ecce mors Rezikii inopina paulisper stitit, lues vero pestifera anno 1709. penitus euertit conatus vtilissimos, Professoribus, et pube scolastica dissipatis. Euocatus remittente malo, qui locum et munus occuparet Rezikii, Samuel Mathaeides, Alsó Kubinio Aruensis, ex Vniuersitate Griphisualdensi, vbi studiis operabatur, ac an. 1710. mense Nouembri vrbem ingressus, collegium reperiit inane. Mox per M. Ioannem Schwarz, Superattendentem praesentibus Inspectoribus, Michaele Róth, Vice Comite Sárosiense, Ioanne Klesch, Martino Hász, etc. solenniter introductus. Inuitauit paullo post dispersas Collegii reliquias edito programmate, et scholas aperuit frequentes, examenque publicum anno sequente 1711. in Septembri summa cum approbatione produxit. Certe, vti ex schemate constat, in philosophicis, theologicis, oratoricis, geographicis, linguis orientalibus, exegeticis, homileticis, atque Iure Eccesiastico, amplissima docentes, et discentes edidere specimina. Sed vltima haec fuit solennitas. Anni etenim huius die 30. Septembris, ex Mandato

derunt. Praecipua sunt: *Gymnasiologia Hungariae*, cuius supra iam habuimus mentionem. *Miscellanea politica, ecclesiastica ac litteraria continens; Panegyricus Joanni III. Regi Poloniae*, Thorunii dictus: *et Theatrum Eperiessiense*, in quo Antonius Caraffa (infaustum Hungaris nomen) an. 1687. lanienam horrendam quam plurimorum illustrium patriae ciuium diebus V. et XXII. Martii, atque IX. Maii, sub praetextu rebellionis instruxerat.

Imperatricis Eleonorae Magdalenae Viennae 25. Iunii dato, praesentibus Comite Ioanne Pálffi, Alexandro Károlyi, et Stephano Bornemisza, Vice Comite Sárosiensi Commissariis Collegium vna cum templis et omnibus Iuribus reddi debuit, exercitio religionis et scholis in suburbium, vbi hodienum sunt submotis *a)*. Reliqua Gymnasia illustriora sunt: Agriense *b)*, Gyöngyösiense, Pesthiense, Temesuariense, Colotsense, Szegediense, Quinque Ecclesiense, Zagrabiense, Eszekiense, Petrouaradiense, Poszegiense, Fluminense, Veszprémiense, Köszegiense, Trencsiniense, Priuidiense, Nitriense, Strigoniense, Vaziense, Vnguáriense, Carolino-Albense, Csik-Somlyoiense, Kantense, Mediense, Batósfaluense, Posoniense, Sopronense, Iaurinense, Modrense, Neosoliense, Schemniciense, Leutschouiense, Kesmarkiense, Dobschense, Csetnekiense, Gömörien-

a) Variis fatis fuit, successu etiam temporis obnoxium, Gymnasium hocce, quibusdam euersionem eius procurare intendentibus. At, Augusta Maria Theresia, dato anno 1750. die 30. Iunii benigno mandato, quo, praeter scholas inferiores philosophica etiam et theologica tradi conceduntur, securitati eius et perennitati cauit gratiosissime.

b) Est hoc omnium in Hungaria facile princeps. Vt nihil dicam de splendore aedificii externo, quo supra plurimas Europae Vniuersitates superbit. Instructum est disciplinis Theologicis, Philosophicis, Mathematicis, Iuris patrii, maximo cum bonarum litterarum prouentu, specula astronomica, instructissimis toto orbe facile aequiparanda. --- In Gymnasiis aliis R. Catholicis, plerisque Theologia, et Philosophia docentur, praeter litteras humaniores. Memoria dignum est, in eis Patres Scholarum piarum primos in primis Pestini circa an. 1750. rejecta Philosophia scholastica, eclecticam, methodo et ex principiis Leibniczio-Volffianis sectari incepisse.

ſe, Ratkouienſe, Oſgyanenſe a), Cibinienſe, Coronenſe, Biſtricenſe, Schaesburgenſe, Debrecinenſe b), Patakienſe, Loſſonczienſe, Rima - Szomba-

a) Florebat hoc ad inuidiam vsque, confluente iuuentute frequentiſſima annis quam plurimis tanto magis, quod linguae hungaricae in expertibus campus fuerit eam imbibendi opportunus: at anno 1735. iuſſu Regio ad ſcholas grammaticas fuit reſtrictum: quod factum prius iam, temporibus diuerſis, Schemnicienſe, Neoſolienſe, Jaurinenſe, quorum hic non eſt nobis mentio, manſerat. Solent vero in Gymnaſiis his Euangelicis, praeter ſtudia grammatica, Theologia, Philoſophia Theoretica et practica, linguae orientales, hiſtoriae variae partes, vniuerſalis, Statuum Europaeorum — Oratoria cet. proponi.

b) Multum id debet vni profeſſorum ſuorum Georgio Maróthi, viro eruditiſſimo, cui is circa anno 1740. ſingulari ſua doctrina, nouam plane formam induxit. Ipſe enim primus in eo, veterem Romanae eloquentiae maieſtatem, graecam linguam, Geographiam, Geometriam, Antiquitates romanas cet. docuit: libros, vſibus ſcholarum, complures, in his Phaedrum, P. Syrum, Minutium et Eutropium, Arithmeticas vero inſtitutiones hungarica lingua edidit. Ex hoc tempore pleraeque ſcientiae, diuinae et humanae, ſeueriores et humaniores, a quatuor Profeſſoribus, et compluribus Praeceptoribus (vti etiam Patakini, Máros Váſárhelyini, Enyedini, a tribus, quatuorue, claſſes ſuperiores, inferiores vero a pluribus docentibus, quos Togatos vocant) docentur. Quare mirari ſubit anonymum, qui in Cel. Schlözeri ſcripto menſtruo: *Staats - Anzeigen* part. II. pag. 132. contra omnem veritatis ſpeciem ſcribere audet: *Der Reformirten ihre Schulen ſind die ſchlechteſten in Vngern, und vielleicht in der ganzen proteſtantiſchen Chriſtenheit.* Sane ignorantiam ipſe ſuam bonus prodit. Nolim quidem multos negare naeuos, in his, tandem illam et fuſam docendi methodum; at vbi illae ſunt, quae nullo premuntur defectu? Neque eſt, cur Saxonicas, inprimis paganas, ſine diſcrimine, tantopere imitandas proponat. Si paucas vrbanas excipias, accuratiori, quam hungaricae, indigent reformatione.

tienſe, Köröſienſe, Ketskemetienſe, Máros-Váſárhelyenſe, Enyedienſe, Vduarhelyienſia, Claudiopolitanum, Tordenſe, Buchoreſtenſe in Valachia.

§. 22.

Ad inſtituta litteraria pertinent etiam *Societates eruditae*, prouehendis litteris, et libris, ad varias diſciplinarum partes pertinentibus, ſcribendis inſtitutae. Fuere ſeculo hoc tres conflatae. Prima Poſonii anno 1761. ſcientiis variis, in primis litteris elegantioribus excolendis dicata, quae ſane egregiis ſtatutis, et proemiis ſtabilita fuit. At praeiudicia quorundam, poſtquam octo et decem menſibus ſteterat, conatus praeclaros ſuffocarunt. Socios eius fuiſſe memini, Honor. Vilhelmum Kaſztenholtz, et Ioſeph. Sgolanits, Medicos cel. Carolum Theoph. Windiſch, Senatorem nunc Poſonienſem, virum amoeni ingenii, Ioann. Michaelem Kern, Subrectorem Gymnaſii Poſonienſis, etc. Secunda conſtitutio fuit an. 1771. fine in primis eo: vt quae naturalem, geographicum ac topographicum Hungariae ſpectant habitum, explicarent, et nummis, inſcriptionibus, diplomatibus, et id genus MSS. etc. hiſtoriam patriam augerent, illuſtrarent. Sodalitatem regebat Daniel Trſztyánsky, vir doctiſſimus, nunc ad Excelſ. Cameram Regiam Budenſem Conſiliarius ſpectabilis. Inter ſodales numerabantur, Stephanus Veſzpremi, Medicus Debrecinenſis eruditus, Carolus Theophilus Windiſch, Ioannes Seiuert, Andreas Ionas Czirbeſz, V. D. Miniſter Iglouienſis in Scepuſio, collectionis in primis nummariae, et notitiae eiusdem ditiſſimus, Michael et Samuel Klein pater, et filius, Chriſtianus ab Hortis, Viri clariſſimi. — Edebant illi foetus ſuos Viennae inſcriptos: *Kaiſerlich-*

Königliche priuilegirte Anzeigen, quorum aliquot annorum ſpatio, multae prodierunt vtiliſſimae, ſane particulae. Sed Trſztyánskyo locum et munus mutante, (fuit is tum ad Auguſtam Aulam Agens) inſtitutum anno 1776. ex integro euanuit. Tertia, bono omine hucdum perdurat, Poſonii a laudatiſſimo nobis Windiſchio inſtituta. Anno 1780. die 21. Decembris vulgauit programma, quo propoſitum ſuum annuntiauit, atque viros eruditos ad ſocietatem augendam ſaltem partem laborum inuitauit. Scopum eius, ex titulo operis, idiomate germanico ſcripto diſcas. Eſt vero is ſequens: *Vngriſches Magazin, oder Beyträge zur Vngriſchen Geſchichte, Geographie, Naturwiſſenſchaft, und der dahin einſchlagenden Litteratur.* Prodiere iam Tomuli tres, particulis quatuor ſinguli comprehenſi, oppido elegantes, et vtiles, Poſonii, ſumtibus Antonii Loewe, bibliopolae, forma octaua maiori vulgati, Feliciter! Membra ſocia ſunt, qui mihi conſtant, praeter Windiſchium, Daniel Cornides, Artium L. L. Magiſter, Ioannes Seiuert V. D. Miniſter in Tranſiluania Hamersdorffii ad Cibinium, Doctor Medicinae Sopron. Conrád, Chriſtianus ab Hortis, Doctor Medicinae Poſonii, Zachar. Theophilus Huſzti, Godofredus Kéler, Conr. Dominicus Bartſch. —

§. 23.

Quo maius penetrat in omnes eruditionis partes in Hungaria lumen: tanto amplior librorum, ſeu domi editorum, ſeu ex exoticis regionibus comparatorum ſeges. Ideo, *Bibliothecarum* inſtructiſſimarum videas, non apud ſummos ſaltim, ſed imos quoque nonnunquam ſupra fortunarum etiam rationes, copiam. Quod ſane tanto magis mirandum, quo difficilior fuit hucdum, librorum inducendi, quorun-

dam caussa, qui quicquid haereticum, vel e longinquo olebat, saltim commodi forte proprii caussa videbatur, ante legem latam configebant, atque alios aere emungebant, ratio. Sed gratia sit Regum Optimo, qui casses has sufferre dignatus est, et quemuis cognoscere, ac iudicare, quantum distent aera lupinis concessit. Iure suo principe collocamus loco Vniuersitatis Regiae *Budensem*, quae ex variis Societatis extinctae toto Regno compilata librariis, amplissimum constituit librorum numerum. Quaenam vero classis eorum sit potissima, ex studiis Iesuitarum veteranis facile condiscas. Augetur tamen operibus ad omnes scientias pertinentibus ex fundo, quem vocant scholastico, magna pecuniae vi, his vsibus dicata, in dies egregie. Excipiat hanc *Tyrnauiensis*, Archi-Episcopalis, a Georgio Lipai, et Georgio Szeleptsenyi, atque sequentibus Praesulibus, eleganter aucta: *Quinque-Ecclesiensis*, quae maximam et praecipuam sui partem debet Georgio Klimo, eruditissimo suo Praesuli: *Montis Pannonii* Abbatiae Benedictinorum, *Debrecinensis* Collegii reformati, *Saros Patakiensis* eiusdem instituti, *Posoniensis a)*, et *Sproniensis*, vtraque Ecclesiae

a) Inter alios rariores libros, continet ea codicem MS. graecum IV. Euangelistarum, quem Cel. Bengelius in *Apparatu Critico ad Nouum Testamentum* edit. secundae Tubingae, 1736 pag. 9. ita describit: Codex est membranaceus, et continet IV. Euangelistas, fuitque quondam Bibliothecae Budensis portio. Sub calcem autem haec extat notula:

ἀυτη ἡ βιβλος ἐγράφη μὲν ὅτε δὴ καὶ ἐγράφη. ἐξωνήθη δὲ παρὰ μιχαὴλ ἱερέως τοῦ πεπαγωμένου, ἐν ἔτει, ςχϥά. ἐπὶ τῆς βασιλείας τοῦ ἐυσεβεςάτου πορφυρογεννήτου κυρίου ἀλεξίου τοῦ κομνηνοῦ κατὰ μῆνα ἀυγουςον, διδασκομένου ἀυτοῦ τὰ ἱερὰ γράμματα παρὰ ἀντωνίου ἐυτελοῦς μοναχοῦ καὶ ἱερέως τοῦ τζίρου, καὶ κατὰ Θεὸν πατρὸς ἀυτοῦ.

Euangelicae, *Cibiniensis*, libraria Cel. Schmeiczelii insigniter aucta, *Enyediensis a) Máros Vásárhelyiensis*, *Vduarhelyiensis* illa Euangelici, hae Reformatorum Gymnasiorum in Transiluania instructissimae. Inter priuatos Virorum illustrium, et eruditorum eminent, Celsissimi Principis Esterházi, *Esterházae* collocata, Comitis olim Iosephi Esterházi *Csekléisensis*, quae ex *Munkácsianae* Rákocziorum tenuibus initiis increuit, Ioann. Nicolai Maurocordati, Principis Valachiae *Bucharestensis*, insignibus aucta incrementis, per Praefectum eius, sub initium seculi huius, Stephanum Berglerum, insignem philologum, iam per Possessorem Ecclesiae Patriarchali Constantinopolitanae transcripta; Stephani Paulli Munkátsi, viri senatorii ordinis eruditissimi *Tyrnauiensis b)*, Andreae condam Cze-

Itaque venit liber anno Christi 1183. nescio an iam tum aliqua vetustatis specie commendabilis. Emtus autem fuit in vsum Alexii II. Comneni (*qui tamen eo ipso anno, cum quindecim annos haberet, interfectus est*) et ornamenta adolescente illo possessore non indigna, aurum literis initialibus et picturis haud parce illitum, foliaque serica caerulea Eusebianis Canonibus et quatuor Euangelistis interiecta, hodienum retinet, praeter marginem amplissimum, quem ante ligaturam iteratam habuisse noscitur. Byzantini ergo nomen sibi vendicat.

a) Cum latinis, ad omnes disciplinas pertinentibus, aliisque linguarum Europae instructissima; tum etiam hungaricis. Nempe Comes Catharina Bethlen, femina supra sexum suum doctissima, nullis pepercit sumtibus, libros idiomate hoc exaratos omnis generis, qui in patria haberi poterant, posito quouis pretio, indefesso collegit studio: quorum iam dum ingens esset numerus, paucis ante mortem annis, in publicam Collegii huius, ipsamet intulit Bibliothecam.

b) Insigni liberaria hac multum vsus in lucubrationibus suis Cel. Belius. Libenter adscribam, quae is in *Prodromi Hungariae antiquae et nouae* praefatione, §. 12. in laudem eius et

manka *de Tarno*, Nobilis Thurocienſis, ditiſſima rariorum de rebus hungaricis ſcriptorum, et antiquiſſimorum MSStorum. Sed fortuito incendio, damno irreparabili conſumta eſt; *Samuelis Kölöſéri*, Medici celebratiſſimi ſelectiſſima, iam diſſipata; Paulli Feſtetics Comitis *Keſthelyienſis*, vna cum ditiſſimo numophilacio, cui Hungaria par nondum vidit; L. Baronis Gedeonis Rádai *Péczelienſis*, auctoribus in primis claſſicis, ad hiſtoriam Eccl. ſpectantibus, nec non Patribus, ac editionum varietate inſtructiſſima, cum theſauro numiſmatico; L. B. Adami Patatich, Archi-Epiſcopi *Colotſenſis*; Comitis Michaelis Viczai,

poſſeſſoris eruditi cecinit. Ita vero is: Fuit is (Munkátſi) melioribus litteris haud vulgariter --- imbutus, graece, latine doctus, antiquitatis ſerutator eximius, certe polyhiſtor haud vulgaris, ac librorum ad vitium vsque amans, quos grandi ſumtu, ac pene reditus ſuos exuperante, atque in his optimas optimorum auctorum editiones, plerasque transmarinos coacervauerat, vt publicae potius, quam priuatae Bibliothecae modum eximius iſta apparatus aemulari iam videretur. --- Ab hac eius indole, in viros eruditos ex aequo propenſa, facile erat impetrare, vt rationes propoſiti mei, ſuos exiſtimaret. Tametſi enim et Religione a me diſſidebat, et vitae, quam ſectabatur inſtituto, animum tamen ita mihi addixit, vt non dubitarit, integris ſubinde plauſtris, libros ad me mittere, quo luculentiora faceret commentaria mea, quin imo difficillimas materias, quarum mentio in ſermone familiari non nunquam iniecta fuit, ſibi ad elaborandum vltro delegit, in quos demum ita incubuit, vt ſi potuiſſet corpta conſumare, nae ille me grandi labore exonerauiſſet. Ac tanto acceptior haec induſtria mihi fuit, quod ſciebam, doctrina eius, quam multo vſu perſpectam habui, niti me poſſe. At enim vero, ſicuti fluxae ſunt, atque inſtabiles res humanae, optimus Munkatsius noſter, morbo adtritus diuturniore, nuper naturae debitum reddidit: qua re factum eſt, vt non librorum modo vſura, quos liberaliter communicabat, ſed lucubrationibus etiam eius carere iam debeam.

Hederuarienſis; Samuelis Brukenthal, L. B. et Gubernatoris Tranſiluaniae, ibidem incomparabilis; Comitis Ioſephi Teleki, *Máros - Váſárhelyini* locata ſelecta, vna cum ſuppellectili libraria M. Danielis Cornides V. C. Collectionem ad Hiſtoriam Hungariae vniuerſam ſpectantium, Diplomatum ex integra fere Europa, in primis Vaticana Bibliotheca congeſtorum, ac ſcriptorum vetuſtiſſimorum, et recentiſſimorum ſine pari. Illuſtriſſimus Comes Teleki, *Muſaeum*, etiam *Naturalium* ibidem inſtruxit, mammalibus, auibus, amphibiis, et piſcibus frequentiſſimum, nunquam ante hac in Tranſiluania viſum. Iure quoquè hic ſibi vindicat locum bibliotheca Ill. Comitis, Samuelis Teleki, in praedio *Sárombcrke*, Comitatus Tordenſis conſtituta, quae omnes, numerata quotannis inſigni pecuniae ſumma, nouas, easque inſignes accipiunt in dies acceſſiones. Nec eſt praetereunda poſtrèmo, Celebris dum viueret Rectoris Gymnaſii *Poſonienſis* Rectoris *Ioannis Tomka Száſzky*, operibus tam MSStis, quam vulgatis, ad rem hungaricam ſpectantibus excellens, quae iam iure emtionis, ad Georgium Adonyi, Iurisconſultum celebrem tranſiit. Dignum etiam laude theſaurum veterum numiſmatum, diu, magno et ſumtu ſtudio a Ioanne Chriſtophoro Khebritſchio, erudito, ex nobilitate Liptouienſi, viro in prouinciae eiusdem pago *Hoſzúrét* collectum, ſed a latronibus, male habito hero, cum magna pecuniarum vi, anno 1719. direptum, muſa vetat mori; vt et Georgii Bucholtz, Gymnaſii *Nagy - Palugyenſis*, mox *Keſmarkienſis* clariſſimi, hiſtoriae naturalis amantiſſimi, ſcientiſſimi, anno 1737. mortui, *Muſaeum numiſmatibus* omnis generis, *petrificatorum*, *mineralium*, et aliarum curioſitatum naturalium, quae in montibus et fluminibus Hungariae paſſim abſconditae reperiuntur, quod haeres

eius Paullus Bucholtz, extraneis partim, partim Casparo Kubiny, viro nobili, pecunia diuendidit.

§. 24.

Ex legibus instituti nostri, non sunt negligendae etiam *Typographiae*, quarum pleraeque, pro aetatis elegantia, sunt nitidissimae, vtpote: *Posonienses* Royeri olim, nunc Landereriana, Paczkoiana, ac hoc anno instructae, Weberiana, et Loewiana; *Szakolczensis*, *Leutschquiensis* haeredum Brewerianorum, circa annum 1734. igne pessumdata, cui haud pridem successit Podhoranszkyana; *Bartphensis* vrbana, *Cassouiensis* Iesuitarum, cui illa initio seculi fuit illata, his vero successis, iure emtionis, vtraque cessit Landerero; *Eperiensis*, *Magno-Karolyiensis*, I. Comitum Karolyi familiae; *Debrecinensis* vrbana, *Temesuariensis*, *Zagrabiensis*, *Calotsensis*, *Budenses*, Vniuersitatis Regiae et Landereriana; *Pestienses* Eitzenbergeriana et Landereriana, *Sopronienses*, *Iaurinenses*, *Claudiopolitanae*, Vniuersitatis altera, altera Gymnasii reformati; *Csik-Somlóiensis* PP. Franciscanorum, *Nagy-Enyediensis*, *Cibinienses* duae; excelsi Gubernii Transsiluanici, et Samuelis Schardii *Coronensis* haeredum Soulerianorum; *Baldsfaluensis*, valachicis etiam typis instructa, Stephani Páldii, *Buchareſtensis* a) in Valachia, et *Tergouistensis* in Moldauia, ex qua prodiit anno 1710. typis graecis, *Euthimii Zigadeni Panophia*, *expensis Atha-*

a) Alexander Helladius Graecus, in Tractatu anno 1714. Noribergae, vti Le Quien existimat edito: *De Statu praesenti Ecclesiae Graecae*, Cap. II. agit de hac typographia, librisque illic impressis: atque dicit, supremum officinae huius praefectum, Censorem et Correctorem fuisse Anthimium Iberensem, Ordinis S. Basilii ascetam, qui post, anno 1710. Metropolita Bucharestensis factus est.

nasii Metropolitae Drisrae. Vide Le Quien in Oriente Christiano, Tom. I. pag. 1249. Parisiis, an. 1740.

§. 25.

Inter *Bibliopolas* praecipue referendi sunt *Weigand et Köpf*, socii, qui anno 1765. *Pesthini et Budae* mercatum librorum instituerunt, iam eundem *Cassouiam* etiam pronudentes, atque *Thomas de Trattnern*, cel. typographus et bibliopola Viennensis, ius id ibidem anno praesenti consecutus; *Posonii*, *Antonius Loewe* auctoritate Regia anno 1771. sedem figens, ac paullo post eadem, quosuis libros Protestantium venundandi, praeter polemicos libertate auctus, nec non *Michael Benedict*, et *Dollii*, fratres *ibidem*. Huc spectat bibliopolium *Vniuersitatis Regiae Budensis*, atque typographorum, operum, quae ex officinis eorum prodeunt, vtpote olim Societatis Iesuitarum *Tyrnauiae*, Michaelis Landerer, *Posonii*, *Pesthini et Cassouiae*, Augustini Paczko ibidem, Martini Hochmeister, *Cibinii*, aliis iam, frequenti numero hos imitantibus, quorum omnium impensis, quam plurimi vtilissimi libri prodeunt, ac pro virili, rempublicam Hungariae litterariam illustrare satagunt.

§. 26.

Ad memorabilia seculi huius litteraria pertinent *Relationes Nouorum hebdomadariae*, quas exterarum nationum exemplo *a)*, ciues etiam nostri edere oc-

a) Nouellas politicas hebdomadarias, scribendi primus cepit consilium Theophrastus Renaudatus Gallus anno 1631. Lutetiae, easque publicandi et diuendendi privilegium accepit a Cardinali Richelieu. Litterarias vero Nouellas primi quidam publicarunt anno 1682. Hamburgi, sub titulo: *Noua Littera-*

ceperunt. Primae *idiomate latino*, scriptae fuere *Posonienses*, auctoribus Iesuitis, anno 1721. inchoatae, quae tamen vix annis duobus continuabantur. *Germanicas* suscepit Carolus Theophilus Windisch, soepius nobis laudatus, ibidem circa annum 1765., typis Landererianis, quas continuauit Mathias Korabinszky, iam Daniel Tállyai. Successerunt *Hungaricae*, auctore, viro doctissimo, Mathia Ráth, quae in officina Paczkoiana anno 1780. initium coeperunt. Idem Tállyai, hocce anno 1783. die 29. Martii edito programmate, initio futuri mensis Iulii edenda *Slauica* etiam Posonii annunciauit. *Pestini* itidem ab anno 1781. Ioan. Godofredus Zentner vulgat ephemerides inscriptas: *Pester Intelligentzblatt in Frag- und Anzeigen.* Anno 1773. anonymus quidam Posonio annuntiauerat publice, scribere se constituisse: *Hungarische vermischte Nachrichten von Staats- und gelehrten Neuigkeiten.* In programmate edito, rationes instituti fuse exposuerat, nempe Hungariam sensu latiore se prae oculis habiturum fuisse, omnium in ea librorum editorum, exceptis theologicis, recensiones, euentus memoria dignos, naturales, ciuiles, ecclesiasticos, mutationes, promo-

ria Germaniae, aliorumque Europae Regnorum. Imitatus est hos Ioan. Gottlieb Krausz, qui anno 1715. Nouellas litterarias conscribere, ac singulis hebdomatibus Lipsiae puplicare coepit. Quam vtile institutum! hoc enim modo, quicquid in toto orbe litterario geritur, ad nos perfertur, simulque inde existimari potest, quae singulis litterarum generibus, per singulos annos, fiant accessiones, itemque, quae studia acrius, remissiusque excolantur, et id genus plura. Optandum omnino est, vt coepta haec tela, per omnes, qui ad finem vsque mundi sequentur annos, pari industria pertexatur. Ita precor cum Heumanum in Consp. Reipubl. Litter. Cap. II. §. 16. tantoque magis miror, Hungariam hacce hucdum carere commodo.

tiones, in omnibus, qua late patent, statibus, inventa erudita, antiquitates patriae omnigenas, numismata cet. enarraturum fuisse. Sed propositum vtilissimum, (caussae nos latent), euentu caruit. Ibidem etiam anni praeteriti initio, sub excelsi consilii locumtenentialis Regii protectione, eruditi quidam ibi societatem coierunt fine scribendarum *Ephemeridum Oeconomicarum.* Promittunt illi, singula hebdomade philyram, quae varios ad prouehendam in patria agriculturam continebit articulos, hungarico, bohemico et germanico idiomate excudendam. Quod hi scriptis, in opere ac experimentis intendit *Samuel Thessedik*, V. D. Minister oppidi Szarvas in I. Comitatu Békésiensi, vir laboriosissimus promouere. Instruxit is *scholam et hortum oeconomicum rusticum* ante annos quatuor, gramine variae speciei exotico, et id genus aliis, ad oeconomiam rusticam spectantibus obiectis luxuriantem. Docet discipulos, quos habet frequentes, non theoretice solum primas lineas historiae naturalis, matheseos partes huc pertinentes, et rei rusticae alias: sed in horto hoc suo, practicae mox veritates propositas, non sine ex tanti pubis rusticae vtilitate, instillat et illustrat. Nos certe lineas lectionum eius, et schema examinis, cuiusdam eiusdem non sine voluptate legimus. Quare instituto in commune vtilissimo perpetuitatem ac imitatores quam plurimos sincere comprecamur. Quo commoda haec ad alios etiam deriuaret: conscripsit opus vnius alphabeti mox prelo subiiciendum, inscriptum: *Der Vngrische Landmann, wie er ist, und wie er seyn könnte: oder züfällige Gedanken über einige Vrsachen, warum dem Nahrungsstande des Landmannes, in dem von Natur so gesegneten Vngarischen Vaterlande, noch nicht hat können abgeholfen werden? nebst einigen unmaßgeblichen Vorschlägen zur Förderung der so nützlichen*

Klasse von Menschen, erläutert durch den Plan eines regulirten Dorfes, in welchem die angegebenen Vorschläge vereinigt angewendet werden: mit einem Kupfer. Opus recensionem non sustinet; debet enim legi integrum. Id solum moneo, Cl. auctorem in primis caussas illas locales paupertatis rusticorum, quas ipse spectauit, enarrare: inter media, quibus eis succurri posset, Ordinem adcuratum pagensem proponere; non solum physicum eorum statum, sed moralem inprimis spectare. Quo vero tanto clarius vtilitatem ex nouo suo tentamine fluentem prae oculos ponat: parallelismum ducit inter veterem, et suam recentiorem oeconomiam administrandi rationem. — Inter inventa seculi huius medica numerat P. Veszprémi in *Biographia Medicorum Hung.* Cent. I. pag. 48. et Cent. II. Part. I. pag. 218. Danielis Fischeri, Medici Scepusiensis: 1.) Puluerem Bezoardicum Kesmarkiensem, 2.) Spiritum Nitri Bezoardicum Fischerianum, 3.) Essentiam Carpathicam, 4.) Essentiam Ligni Carpathici contra vertiginem, 5.) Elixir antiuenereum Fischeri, vt de compositis nihil dicamus, quae ibi vide sis, et in Indice Annalium Physico - Medicorum Vratislaviensium vniuersali, pag. 313. seqq. Neque praetereunda est *ars inserendi variolas*, quam frustra Angli a se primum exercitam in Europa gloriantur. Certe, antequam Vortley Montague anno 1721. experimentum in filio suo fecisset: pridem iam celeberrimus Medicus Sárosiensis, Ioan. Adamus Raymannus artem hanc, opera Graecorum et Armenorum, cum quibus perpetua est nobis conuersatio et commercium, doctus exercuit. Id, quod indubia ciuium Eperiesiensium hodiedum superstitum testimonio euincitur.

SECTIO POSTERIOR

TRADENS

CONSPECTVM

REIPVBLICAE LITTERARIAE

A B

INSTAVRATIONE LITTERARVM,

ID EST,

AB ANNO M. DCC. LXXVI. AD ANNVM M. DCC. LXXXIII.

---

§ 1.

Euersio societatis Iesuitarum dedit occasionem, felicissima vero tota Europa, scientiarum incrementa caussam mouentem, magnae in Republica Hungariae litteraria, in melius conuersioni. Cum etenim a sodalitate hac pleraeque scholarum cathedrae fuerint olim possessae; neque vero vno, vt aiunt ictu, ea prostrata, iisdem amplius regi potuerint institutis: de aliis erat prospiciendum docentibus. Accessit, obseruatos fuisse non plane multos in studiis defectus, et ea tractandi methodo naeuos: his, vt singulis fere-

tur medela, immo aliae etiam nationes, quod intueantur, et sequantur, habeant; ipsa Augustissima MARIA THERESIA, mater re vera patriae solertissima, vna cum sanctiore senatu, manum rei admouit benignam. Re deliberata vocatur socius operis futurus, vir rei scholasticae peritissimus, qui iam in Silesia, in palaestra eadem vires prius exercuerat, Reuerendissimus de Felbiger, Abbas Saganensis. Constituitur Vindobonae commissio (vt vocant) scholastica, ex compluribus viris eruditis, obiectique pertractandi peritis conflata, qui Prouinciarum in Germania, Austriacarum scholas reformarent. Ex horum consultationibus, tanquam fontibus deriuatum est, accedente suprema terrae Principis auctoritate, auctoribus illustrissimo Domino Iosepho Vrményi ad excelsam Cancellariam Hungarico - Aulicam Referendario, ac spectabili Domino Daniele Trsztyánszky, ac typis publicis vulgatum Opus Hungariae vsibus, sub titulo: *Ratio Educationis, totiusque Rei litterariae per Regnum Hungariae, et Prouincias eidem adnexas. Tomus I. Vindobonae, typis Ioannis Thomae Nob. de Trattnern, Sac. Caes. Reg. Maiestatis typographi et bibliopolae, M.DCC.LXXVII. in 8uo. maiori.* Hunc nos sectione praesenti accuratione, quanta fieri potest, summa percensebimus, quibusdam aliis Regnotenus a summo Tribunali publici iuris factis, interseritis, certi ex eo, sine hoc conscripto, faciem reipublicae in Hungaria litterariae hodiernam, tanquam in tabula, perspectum iri clarissime.

§. 2.

Constat liber, praeter Prooemium, tribus vniuersim partibus. In Prooemio, praesupposita

veritate, de necessitate educationis bonae pubis, tanquam baseos ciuilis societatis, et iure Regum Hungariae circa eam maiestatico, ad hunc vnicum tendere finem, praesens institutum asserunt auctores: *vt teneri adolescentum animi, virtutis amore, sensim capiantur, vt insitae a bona natura facultates perpoliantur; vt vis intelligendi pedetentim acuatur, vt voluntas ad honesti leges fingatur, vt iis artibus erudiatur, quae in posterum vsui cuique, atque emolumento esse possint; denique vt aequabilis quaedam studiorum, ac totius educationis forma, Regno toto obseruetur, praesentisque instituti fructus, ad omnes ex aequo pertineat.* Hoc vt certius attingi possit: considerandi sunt illi, quorum commodo institutio haec suscipitur, quoad *Nationes*, qui Hungari, Germani, Slaui, Croatae, Rutheni, Illyrii, Valachi, multum linguis dissidentes; quoad *Religionem*, R. Catholici, Augustanae, et Helueticae Confessioni addicti, Graeci Ritus Catholicis vniti, et non vniti, omnes, vti multorum millium, ita magna dogmatum et rituum inter eos dissimilitudine; quoad *Occupationes*, homines nempe agrestes, oppidani, vrbium prouincialium, et L. L. Regiorum, atque etiam Montanarum ciues, variis dediti negotiis, artibus, et commerciis, varii reipublicae, aut aerariae administri, praefecti militiae, nobiles vario muniorum genere distenti, atque denique Clerus omnis cum familiis religiosis. Vti varietas haec diuersa ciuium, diuersam et multiplicem studiorum, in scholis tractandorum requirit rationem; ita eam in condito scholarum instituto, ante oculos in primis fuisse; vt nempe quaeuis natio vernaculis sit instructa. Scholis, quibus praesint moderatores, et linguae natiuae peritissimi, et aliarum, quarum vsus est in regno frequentior, vt eas, dum res postulauerit, docere

possint; vt institutum hoc litterarium omnibus, vt vt dissimiles religiones sectantibus ciuibus sit accommodatum, et beneficii fructus ad omnes ciuium classes, nullo religionum discrimine habito, ex aequo pertineat.

§. 3.

Ex consideratione hac diuersarum Incolarum generum, studiorumque cuiusuis conditioni, et quotidianis vitae vsibus necessariorum et vtilium, *quinque scholarum Classes* oriuntur. Infima, *vernacula*, seu *nationalis*, in quibus formanda est iis artibus pubes, quae in primis pertinent ad praestanda officia hominis, subditi ac probi Christiani; deinde iis, quae faciunt ad varia vitae genera, adolescentibus huiusmodi proposita, qui scilicet adulta aetate futuri sunt, vel ruricolae, vel opifices, vel patresfamilias, vel denique quaeuis alia humanae societatis membra; denique vt illi, quibus natura maiores ingenii facultates largita est, apta sublimioribus disciplinis ponant fundamenta. Altera scholarum species est *Grammatica*, vbi adolescentes, praeter superiora, vltra prosequi volunt studia, atque post expletos paucos in scholis latinis annos, missis litteris, ad alia instituta transeunt, ad opificium, mercaturam, oeconomiam ruri et domi tractandam, ad camerae aliorumque priuatorum obsequia, ad oppidorum, vrbiumque minora munia, ad statum militarem, ad tractandam rem metallurgicam, ad cathedras in scholis vernaculis, aut seueriores olim disciplinas condiscendas. Sequuntur *Gymnasia*, in quibus, emenso scholarum grammaticorum curriculo, studia humanitatis prosequuntur adolescentes, neque vltra progredi, quibuscunque ex caussis capientes, alii clero se associant, alii ad magisteria lu-

dorum vernaculorum, aut grammaticarum animum adiiciunt, alii ad paternos fores redeunt, vt domesticam rem curent, alii apud Optimates a secretis libellis, ceterum futuri se collocant; ceterum *Academiae* quarto constituuntur illis commodo, qui praeter studia humanitatis, Philosophiae, Theologiae, ac Iurisprudentiae, procul abesse iussis rerum parum vtilium tractatione, et enodandis friuolis argutiis, se dedere, atque ita demum, demissis scholis, partem aliquam reipublicae capessere cupiunt. Qui demum decurso academico studio, ad vlteriorem etiamnum eruditionem tanquam ad studiorum suorum complementum adspirauerint, iis adeunda erit, quinto: Regia VNIVERSITAS, quae est quasi emporium quoddam omnium artium ingenuarum, et scientiarum, vbi licebit audire viros celeberrimos, delectum disciplinarum, cuiusuis ingenio, vel rationibus accommodatorum facere, enucleatius cuncta rimari, verbo omnimodo doctrinarum genere, quam cumulatissime erudiri.

§. 4.

Ostendunt auctores postremo, quomodo forma reipublicae huius litterariae semel constabilita, in tempus perpetuum suo in vigore conseruari possit. 1). Si viris rem litterariam, siue in scholis vernaculis aut grammaticis, siue in gymnasiis aut academiis, siue denique in Vniuersitate administrantibus, ea decernantur stipendia, vel honorariae remunerationes, qua et vitae commode agendae sufficiant, et muniis ipsis proportione respondeant; si magistrorum officiis ea, quam sane merentur, concilietur existimatio; si prouideatur, vt doctores muneribus suis delectentur, et ad aemulationis studium incitentur; vt nimirum officia sua peculiari cum cura prae-

ſtare conſueſcant. 2). Cum humanae mentis ea ſit conditio, vt niſi officii ſui identidem admoneatur, facile de contentione remittat, ac velut elangueſcat, ad acuendam magiſtrorum induſtriam, vehementer faciet, ſi in quibusuis ludorum litterariorum generibus Praefecti ac Praeſides conſtituantur, quibus addantur Directores quidam ſuperiores, a politicis Regni Tribunalibus pendentes, quarum partes praecipue ſint, ordinem praeſcriptam exacte, iuxta ſtatuta peculiaria, hunc in finem concincta tueri. 3). Denique, ſi adhibita ſobria parſimonia, ſumtus tanto negotio pares adminiſtrentur, et ne expenſae vltra vires fundi aſſignati adſurgant, prouideatur.

§ 5.

His ſic in genere delineatis, accedunt auctores ad rem ipſam, atque quicquid de tota compage Reipublicae Litteraria Hungariae dici poteſt, in *tres Partes* reduxerunt. *Prima* complectitur adminiſtrationem eius politico-oeconomicam; *ſecunda*, ſtudiorum ac ſcientiarum genera, apto ordine digeſta, et per varios ſcholarum claſſes diſtributa; *tertia*, Politiam, ſeu modum diſciplinae in ſcholarum gubernatione obſeruandam.

§. 6.

In parte prima agitur initio de auctoritate Tribunalium politicorum in rebus litterariis. Principem in his occupat locum in *Hungaria*, Excelſum Conſilium Regium Locumtenentiale, in Regnis vero *Croatiae*, *Slauoniae*. *et Dalmatiae* Conſilium horum Regnorum. A duobus his Tribunalibus pendet integra Reſpublica litteraria. Eſt vtrobique peculiaris *Commiſſio Studiorum* e Conſiliariis horum Tribuna-

lium conflata, in illa praesidente Directore supremo Vniuersitatis Regiae, et studiorum per Hungariam, in hoc vero eo, quem Rex benigne renuntiauerit. Commissis ista studiorum semel quot hebdomadis, aut siquidem res ita tulerint, etiam crebrius conuentum celebrat, ad celerius explicanda negotia, tam litteraria, quam pecuniaria, atque cuncta speciatim discussa, ipsi consilio refert, siue dein illa arbitrio Regio submittenda sint, siue cum scholarum Praesidibus absque mora communicanda. Mandata Regia ad rem studiorum obtinentia, directe transmittuntur ad Consilium Regium Locumtenentiale, vnde pro negotiorum varietate communicantur, aut cum Senatu Regio Vniuersitatis, aut Prouincialibus studiorum Directoribus, quorum est dare operam, vt ad eos, quorum interest, perueniant. Quare vniuerse Consilii Regii Locumtenentialis est prouidere, vt hoc ipsum institutum litterarium, aut studiorum systema adprobatum, executioni vbique mandetur, atque deinceps accurate obseruetur. Eiusdem est, omnia, quae e bono litterarum iure videbantur, ad Regiam Maiestatem referre, ad vacantes cathedras, viros selectissimos proponere, aerarii litterarii administrationi solerter, ac fideliter inuigilare, neque vnquam, citra Consensum Regium admittere; vt sumtus fiant extraordinarii, siue in constituendo, augendoue magistrorum stipendio, siue in proponendis proemiis, siue in extruendis aedificiis, aliisve generis eiusdem occasionibus; denique quouis exeunte mense, aduersaria (Protocollum) in quae negotia ad rem litterariam spectantia, in commissione referenda sunt, Maiestati Regiae pro statu notitiae submittere.

§. 7.

§. 7.

Secundum inter Magiſtratus vindicat ſibi locum *Regiae Vniuerſitatis, et ſtudiorum per Hungariae Regnum Director ſupremus a)*, cuius partes ſunt, vnice ſupremam ſtudiorum omnium curam habere, ac Vniuerſitatis quidem, quouis triennio, cetera vero Lycea, quoties viſum fuerit, aut res poſtulauerit, charactere Regii Commiſſarii luſtrare, ſoliciteque inueſtigare, quaenam ſit praeſens Vniuerſitatis, aut aliorum Lyceorum conſtitutio, quonam modo adminiſtrentur negotia, ſiue ad Senatum Regium, ſiue ad Magiſtratum Academicum pertinentia: an praeſcripta ſtudiorum norma ſancte vigeat, an diſciplina inter iuuentutem recte ſeſe habeat, an item aduerſaria (ſeu Protocolla) tam ſenatus ipſius, quam magiſtratus academici diligenter curentur, an hiſtoria Vniuerſitatis continuetur, an ipſae ſcholarum aedes, Muſaea, Bibliothecae, et Typographiae debito in ſtatu ſint. Dat praeterea operam, vt iuſtis occuratur querelis, defectus emendentur, publico Vniuerſitatis, aut Lycei emolumento, ſcientiarum incremento, atque ornamento proſpiciatur: denique totum inſpectionis ſuae decurſum, ſuaque hoc ſuper re ſenſa, ope Conſilii Regii Locumtenentialis, Regiae Maieſtati integrâ fide exponit. Succedunt huic, *Regii Prouinciales ſtudiorum Directores:* nempe integra, qua rem litterariam, Hungaria octo eſt diſtincta Prouinciis (ſeu Diſtrictibus). Sunt hi: Budenſis, Poſonienſis, Neoſolienſis, Iaurinenſis, Quin-

a) Eſt is omnium primus, qui ſplendidiſſimum hoc munus gerit, Excellentiſſimus ac Illuſtriſſimus Dominus, Comes *Georgius Fekete* de Galantha, S. C. Regiaeque Apoſtolicae Maieſtatis Conſiliarius Actualis Intimus, Iudex Curiae Regiae, Excelſi Conſilii Regii Locumtenentialis et Tabulae Septemuiralis Praeſes, cet.

que Ecclesiensis, Cassouiensis, Vnguariensis, Magno-Varadiensis; pro Croatia, Slauonia, et Dalmatia, Zagrabiensis. Singulis hisce Districtibus, praepositus est *Director Regius a)*. Sunt horum plane eaedem partes officii in Prouincia, exceptis Lyceis ab Episcopis, et aliis Praesulibus erectis, qui eorum Inspectores instituti, iuribus suis fruuntur, quae supremi Directoris, per Regnum integrum. In scholas nempe omnes in sua Prouincia positas, vigilem curam intendere, et dare operam, vt iis moderandis aptissimi quique praeficiantur, vt inter locorum Praefectos, et Magistros, mutua sit animorum concordia, et studiorum consensio, vt proposita rei litterariae norma sedulo obseruetur, vt introductus rerum agendarum ordo sancte teneatur, vt oeconomiae sobriae ratio vbique habeatur. Quare Lycea Prouinciae suae minimum biennio quouis, aut etiam crebrius, si res postulauerint, per sese lustrare, de iisque ad commemorata superius Dicasteria accurate referre opportet. Sequuntur *Regii Vernacularum* (seu Nationalium per pagos, oppida, et vrbes Districtus sparsarum): *scholarum Inspectores.* Pertinet ad hos videre, vt inter Paedagogos, et

a) Sunt primi, Districtibus seu Prouinciis, sequentes dati Directores Regii. Budensi, Antonius Vörös, Vice Locumtenens Regius; Posoniensi, Comes Franciscus Balassa de Gyarmath, ad Excel. Consilium Locumtenentiale Regium Consiliarius, cet.; Neosoliensi, Comes Franciscus Berthold, Episcopus Neosoliensis; Iaurinensi, et Quinque-Ecclesiensi, Comes Christophorus Niczky de eadem, iam Thesaurarius Regni; Cassouiensi, Gabriel Pechi de Pech-Vjfalu, Consiliarius, et Tabulae Septemuiralis Assessor; Vnguariensi, et Magno-Varadiensi, Comes Antonius Károlyi de Nagy-Károly, Dapiferorum Regalium Magister, Generalis Campi Mareschall Locumtenens, cet.; Zagrabiensi, Nicolaus Skerletz, ad Excel. Consilium Regium Consiliarius.

ſcholarum Praefectum conſenſio animorum foueatur; vt recepta ſtudiorum methodus diligenter ſeruetur, vt ſeuera a pueris diſciplina exigatur, vt ne magiſtris deſint adminicula vitae, commode ſuſtendandae neceſſaria; vtque ea, tempore congruo, ſubminiſtrentur. Quem in finem, ſaltim quouis triennio, ſcholas omnes vernaculas, ſua in Prouincia conſtitutas, ſemel viſitat; querelis medetur, lites componit, et ſi quid maioris momenti incidit, quod per ſe expedire non poteſt, ad Directorem Regium Prouincialem refert, a quo etiam Decreta Regia, aut Dicaſteriorum mandata recipit.

§. 8.

Videamus iam gubernationem politicam, in quam ipſa Corpora litteraria influunt. Atque offert ſe primum, ipſa *Vniuerſitas Regia*, quae in toto Regno, terrisque haereditariis Coronae Hungaricae vnica eſt, eaque Budae, in ipſo Prouinciarum centro magnificentiſſime collocata, fundo ampliſſimo inſtructa, et a viris, omni doctrinarum genere excultis, optime comparata. In ea, *Summus* eſt *Regius Senatus* e Praeſide, quatuor Directoribus Facultatum, et litterarum humaniorum, ac artium liberalium Directore, auctoritate Regia conſtitutis, vno item Auctuario conflatus. Is quot hebdomadis, minimum ſemel conſidet, Decreta Regia in eo promulgat, deque eorum effectione deliberat; (quae definiuntur, auctuarius in ordinem redigit) vt magiſtri munere ſuo diligenter fungantur, curat, contumaces vti etiam ſtudioſos exorbitantes, cum praeſcitu, et conſenſu Regio punit, quae ad incrementum ſtudiorum toto Regno, et perfectionem, ac ſplendorem Vniuerſitatis faciunt, aſſidue cogitat, ſemeſtres examinum ſucceſſus, a Facultatum Directoribus relatos, res item

omnes, quae in Vniuersitate occurrunt, seu in executione instituti litterarii, seu in morum disciplina, seu in rei pecuniariae administratione, quouis semestri, ad Consilium Locumtenentiale Regium perscribit; vt Historia Vniuersitatis, a primis initiis, opera cuiuspiam ex Historiae Doctoribus, aut Bibliothecae Praefectis concinnetur, (obseruandum id est etiam de Academiis, Gymnasiis, et scholis grammaticis), atque accurate continuetur, et quae iam elucubrata sunt, cuiusuis semestris initio, publico in senatu, vt legantur, curat. Eius est etiam librorum, aut rerum quarumuis ad studiorum, et scholarum materias pertinentium, vbicunque per Regnum typis edendorum censura, etc. Subordinatus est Senatui, *Magistratus Vniuersitatis*, quem constituunt Rector eiusdem Magnificus (munus annuum), Cancellarius, (honor perpetuus auctoritate Regia conferendus) quatuor Facultatum Decani, et Seniores, ac Artium LL. Prodirector. Eius iurisdictio versatur in rebus litigiosis, ex aequo et iusto dirimendis, in tuenda morum atque recti ordinis disciplina, in examinandis atque puniendis academicorum delictis, in rebus ad ipsam Vniuersitatis politiam pertinentibus, immo etiam in criminibus. Sed neque *Facultatibus* deest ius Congressus cogendi, Praeside, eiusdem Directore (quae quidem dignitas,] nunquam nisi praestantibus, atque meritis confertur, gaudentque omnibus honoris titulis, quibus ceteri per Regnum Consiliarii Regii) in commune eam concernens consultaturi. Quae reliqua de Decanis, Doctoribus, et Professoribus possent moneri, in vulgus nota sunt. Curiones, seu Exhortatores duo sunt, qui rem diuinam faciunt, mores sedulo obseruant, deuios ad frugem reuocant, contumaces Decanis, et Praesidibus denuntiant. Pedelli, seu publici Ministri est, curam aedium academicarum habere, suppellectilem fidei suae commis-

ſam cuſtodire, de aedificii vitio Senatum tempeſtiue monere, hieme calefacere, conuentus Magiſtratus Academici indicere, reos citare, condemnatos carcere includere, etc. Poſt Vniuerſitatem, tanquam filiae eius offerunt ſe conſiderandae *Academiae Regiae*, in quibus adoleſcentes, qui in Vniuerſitate ſcientiis ſeſe excolere cupiunt, veluti praeparentur, primaque eruditionis ponant fundamenta: deinde, vt illi etiam, qui variis de cauſſis ab acceſſu Vniuerſitatis prohibentur, diſciplinis ſibi in poſterum ex vſu futuris, imbui poſſint. Ideo ita eae diſtribuendae per Regnum fuerant; vt Regiae beneficentiae fructus ad omnes partes facile perueniat. Quare, cum Regnum omne, in quatuor veluti plagas ſit diuiſum: Academiae quoque opportuniſſime ſunt collocatae. Pro *Diſtrictu Transdanubiano*, *Iaurini*: Pro *Diſtrictu Transtibiſcano*, *Magno Varadini*: Pro *Diſtrictu Cisdanubiano Tyrnauiae*, ac pro *Diſtrictu Cistibiſcano Caſſouiae*: pro Regnis denique Croatiae, Slauoniae, et Dalmatiae, *Zagrabiae*. Nihilo fere differunt ab Vniuerſitate, in adminiſtratione politica. Habet ſuum quaeuis Directorem domeſticum, Magiſtratum ex Profeſſoribus lectum, Congreſſus commodo diſciplinarum cogendos, ſua Aduerſaria, Exhortatorem, Pedellum, etc. Obſeruandum porro eſt in ſingulis Academiarum Facultatibus, vti etiam in reliquis Gymnaſiis, et ſcholis grammaticis, eſſe Profeſſorem extra ordinem, qui ordinariorum iuſta ex cauſſa impeditorum, vices obeat. Poſt Academias ſequuntur *Gymnaſia*, quorum alia *Archi-Gymnaſiorum* ſortita ſunt axioma ideo, quod aliis exemplo ad imitandum ſunt propoſita. Haec, habita Diſtrictuum ratione, collocata ſunt iis locis, in quibus Regiae habentur Academiae, vtpote Budae, Tyrnauiae, Iaurini, Caſſouiae, Magno Varadini, Zagrabiae: reliqua vero in primariis, ceterorum Diſtrictuum vrbibus, Poſo-

nii, Neoſolii, Vnguarini, et Quinque Eccleſiis. Alia Gymnaſia recenſere amplius non vacat. Iidem in his, nec non in *ſcholis grammaticis*, atque *vernaculis primariis*, vbique ordines in politia, quos ad Academias retulimus; quare non indigent explicatione peculiari. Neceſſe eſt poſtremo, ſcholarum *vernacularum*, ſeu nationalium explicare indolem. Sunt earum *primariae* aliae, vulgo *Normales*, ideo inſtitutae: vt Magiſtri ſcholis vernaculis per totum Regnum praeponendi, ad inducendam, ac perpetuo retinendam, vbiuis eandem docendi normam tanquam in ſeminario formentur. Itaque in eis, non modo pueri plenius, ac vberius, quam in ceteris, ſed ipſi etiam Paedagogi erudiuntur, et in muneris executione exercentur, neque prius ad docendi officium vbicunque in Regno admittuntur, quam ſeuero examine, dexteritatem ſuam adprobauerint, Numerus eorum eſt pro ratione Diſtrictuum, et Inſpectorum Vernaculorum, nouenarius. Reliquae vrbanae, oppidanae, et paganae, non alio, quam numero docentium differunt. In eis Curionibus domeſticis, morum et religionis inſtitutio, in his inſpectio etiam eſt concredita.

§. 9.

Non erit abs re, quae *de ſcholis eorum, qui alienam a R. Catholica Religionem profitentur*, ſtatuta ſunt, integra adiicere, „ Scholae horum (aiunt auctores) locis quam plurimis ſunt collocatae, in quibus, cum ciues ſuccreſcentes educentur, ad Regiam pertinet prouidentiam, recta earumdem adminiſtratio; quae quidem poſſeſſionem eorum iurium, quae in rebus ſuae Religionis, leges, atque Regiae conceſſiones iisdem contulerunt, turbare nullo modo intendit. Verum Reipublicae beatitas, ex aequa-

bili tractandorum ſtudiorum forma, plurimum pendens exigit ſane, vt in variis eorum ſcholis, eadem tractentur doctrinae capita, eadem ſeruetur norma, idem adminiſtrationis tenor, eadem morum diſciplina, quae toti Regno, et adnexis Prouinciis vniuerſe praeſcripta eſt. Quae quidem, vt in perpetuum ſedulo obſeruentur, ſcholarum huiusmodi Praefecti et Curatores, Regio Diſtrictus ſui ſtudiorum Directori ſubiiciantur, ſemeſtres informationes diligenter ſubmittant, ſcholarum luſtrationes libenter admittant, certi, auctoritatem Directoris huius nunquam intra litterarum, et diſciplinae cancellos eſſe egreſſuram. Rectores, atque Magiſtros renunciandi poteſtas veteri loco manebit: Regio tamen ſtudiorum Directori renuntiatio eiusmodi ſemper erit, ſignificanda: vt ſcilicet conſtet, muneribus hisce idoneos viros eſſe admotos. Porro Rectorum officia eadem prorſus erunt, quae Praeſidum, atque Directorum in reliquis Regni Gymnaſiis, vel Academiis. Ceterum iuuentuti, quamcunque confeſſionem ſectanti, integrum erit operam dare litteris, in ipſa Vniuerſitate patria, ſiue in Academiis Regiis, ſiue in quibusuis aliis Lyceis, ac Gymnaſiis: ne vero cauſſa Religionis, vllum cuique exhibeatur negotium, ſeueriſſime praecipitur Moderatoribus, et Praeceptoribus omnibus, vt diſcipulos nullo diſcrimine tractent, ad mutuam caritatem et concordiam, tanquam eiusdem Regis ſubditos, Regnique ciues excitent, in pacis autem, atque harmoniae perturbatores, grauiter animaduertant. Libros inſtitutionum litterariarum oportebit cenſura Vniuerſitatis Regiae eſſe probatos, (iis, quae ad Religionem pertinent, prorſus intactis), atque in typographeo eiusdem, niſi priuilegium quodpiam Regium aduerſetur, excuſos: cauendum autem erit generatim omnibus, ne religionis ſuae defenſioni, acerbitatem ſermonis, atque

calumniam miſceant; tantum enim abeſt, vt partes diſſentientes, hoc pacto ſe ſe mutuo de errore conuicant, vt potius ad odium, et contemptum inflammentur. „

§. 10.

Hactenus de Politica, iam de Oeconomica Inſtituti Litterarii in Hungaria ratione agendum. Erogationes omnes, in hoc negotio occurentes, ad ſequentia capita reuocantur: 1.) Vt publica Scholarum aedificia curentur, ac ſarta, tectaque conſeruentur *a)*. 2.) Vt Magiſtris rem litterariam adminiſtrantibus congrua ſtipendia praebeantur *b)*. 3.) Vt viris de republica litteraria praeclare meritis, remu-

a) Lyceorum a Praeſulibus fundatorum ac Profeſſorum in eis docentium; nec non Gymnaſiorum Proteſtantium cura, iisdem incumbit vltro etiam. Id intelligendum etiam de Ordinibus Religioſis, eum quodam tamen temperamento, nota ſequenti obſeruando.

b) Sane non ſunt ea ieiuna, quod ex Tabella Regnotenus ab Excelſo Conſilio Locumtenentiali Regio, die 12. Auguſti an. 1767. publicata patet. En exemplum in academia Regia. Praeſes Academiae 800. fl., Exhortator academicus 500. fl. In Facultate Theologica, Senior Profeſſor, qui et Decanus 700. fl., ſecundus 600. fl., tertius et quartus ſinguli 500. fl., Extraordinarius 300. fl. In Facultate Iuridica, Senior Profeſſor 700. fl., ſecundus 600. fl., reliqui duo ſinguli 500. fl. In Facultate Philoſophica, Senior Profeſſor 700. fl., ſecundus 600. fl., reliqui duo ſinguli 500. fl., extraordinarius 300. fl., Pedellus 200. fl.

In Gymnaſio Regio. Director Gymnaſii 600. fl., Senior Profeſſor 600. fl., alter 500. fl., Senior Pro eſſor grammaticalium claſſium 500. fl., ſecundus 400. fl., tertius 350. fl., Correpetitor et Magiſter extraordinarius 200. fl., Exhortator et Catecheta Gymnaſii 400. fl., Famulus Gymnaſii 150. fl. In Schola vernacula Normali, Director 300. fl., Profeſſor

nerationes honorariae assignantur. 4.) Vt emeritis, et in palaestra studiorum defessis, subsidia vitae honeste sustentandae suppeditentur. Aurea sunt huc spectantia verba in hunc modum: Quoniam stipendia annua, Doctoribus constituta, conuenit esse mediocria, ne scilicet desint industriae, vltro porrigendae, ac remunerationum honorariarum consequendarum incitamenta facile adparet, adhibita etiam parsimonia, fieri non posse, vt Doctores ea sibi subsidia aeraria comparent, quae totius vitae, atque senectutis necessitatibus sufficiant: quare magnopere prouidendum est, ne viri tot exhauriendis taediis litterariis vitam impendentes, egestatem in tempus posterum prospicientes elanguescant, ac tristi illa cogitatione ab officio euocentur. Non mediocri certe animi ingrati vitio notaretur respublica, si ciues tam praeclare de se meritos, postquam laboribus fracti, nihil sibi porro mereri possunt, cum inopia misere colluctari pateretur. Idem esto de reliquis eorundem viduis, et pupillis iudicium. Vnde — ipse quidem emeritus Doctor, proportione laborum exhaustorum, vel integro officii sui stipendio, vel certe bona eiusdem parte fruetur: deinde etiam relictis mortuorum viduis, ac pupillis pars eiusdem stipendii praesenti respondens, necessitati attribuetur. „ 5.) Vt Magistrorum succrescentium Seminarium quoddam constabiliatur. 6.) Denique, vt Directores, *Praesides*, Inspectores, atque Praefecti litterarii sumtibus, officio suo necessariis, instruantur. *Fundus totius Rei Litterariae in Hunga-*

Praeparandorum 500. fl. In Gymnasio Ordinis Religiosi, qui alias iam ex fundationibus piis, media vitae habet, maiori remuneratio Directoris, quinque Professorum. nec non Exhortatoris, adeoque septem indiuiduorum a 200. fl. facit 1400. fl. Atque eadem obseruatur, in scholis eorum minoribus proportio.

ria, vnde tot tamque diuerſae expenſae promuntur, ſunt Bona ſuppreſſae Societatis immobilia, ſane non mediocria, atque ſummae pecnniariae in foenore poſitae *a*). Geritur eius a Dicaſteriis Politicis, tam ſcrupuloſa circumſpectione adminiſtratio: vt de perpetuitate eius, et multifariis oneribus ferendis ſufficientia, nullum ſit dubium. Neque erit difficile, ex nouis, iisque variis fontibus, notabili idem in futurum augere acceſſione.

§. 11.

His ita rite enarratis, accedimus ad partem ſecundam, argumenta ſtudiorum (id quod imprimis, ad ſcopum noſtrum pertinet), in variis Hungariae ſcholis, ſecundum recens hos Syſtema doceri ſolitorum, complectentem. Occurrunt inter has primae, *Vernaculae*, ſeu Nationales, quae latiſſime ſe porrigunt, et ad maximam ciuium partem pertinent. In eas inducendis, et rite partiendis ſtudiorum argumentis, iuuentutis litteris excolendae neceſſitas, et varietas prae occulis haberi debuit. Nimirum: I. ſpectata nationum, linguarum, et Religionum varietate, Regni incolae ſunt valde diſſimiles. Sunt loca quidem, vbi vnica viget lingua, et vnica inter iuuentutem Religio; ſed ſunt etiam, vbi vnica eſt in vſu lingua, et duae diſſimiles Religiones; porro, vbi duae linguae, et vnica Religio, atque denique, vbi (quod quidem rariſſimum) complures linguae, ac Religiones diſcrepantes, inter diſcipulos obtinent. Li-

a) In 6. Mandato eodem anno 1767. publicato aperte dicitur, dicatos eſſe ex fundo hoc, praeter prouentus Vniuerſitati Regiae peculiariter collatos, ad praeſtandas, quaſcunque erogationes ſyſtematis huius litterarii, viginti mille florenos rhenenſes annuos.

bri itaque Scholarum vernacularum vſibus deſtinati, ita concinnati ſunt, vt iis etiam Proteſtantes in ſcholis ſuis, aut cui demum cunque Religioni addicti ſint, libere ac ſine vllo ſcrupulo vti poſſint. Vbi vero illi ſcholis propriis carent, vt ſecure liberos ſuos in ſcholas vernaculas R. Catholicas mittere poſſint: Praeſidibus eorum grauiter inculcatur, vt iuuenes etiam alienae Religionis, omni cum humanitate et comitate tractent, atque a quibusuis circa dogmata controuerſiis in perpetuum abſtineant. Ideo etiam Catechiſmus iuuentuti Catholicae deſtinatus, non modo ſeparato libello comprehenditur; ſed ipſi quoque libelli doctrinam religionis continentes, alia forma, quam ceteri libri, ſcholis vernaculis deſtinati excuduntur. Non minus ſine hoc, cura Religionis loci Curionibus plene committitur, qui vbiuis locorum, Catechetarum munus obire, ac iuuentutem virtute, et pietate informare debent. Quem in finem, diebus Dominicis et feſtis, ac vna inſuper quot hebdomadis die Sacrum curionem, pro ſuo ſtudio, et officii praeſtandi ardore, iuuentuti vtriusque ſexus, iisdem vel diſtinctis horis, natiuo ſermone rudimenta Religionis, et ſemina pietatis ingenerare opportet, ſuisque temporibus Euangeliorum, et Epiſtolarum explanationem adiungere: quòd in omnibus ſcholis vernaculis vniuerſe obſeruandum eſt; cui inſtitutioni, feſtis ac dominicis diebus etiam parentes, matres quidem certe interſint, tum vt ea, quae a Catecheta propoſita ſunt, domi cum liberis recolere, tum vt fortaſſe in pueritia neglecta, ipſi quoque hac ratione condiſcere poſſint. Curionibus tamen ſeuere interdictum eſt, ne proles alienarum Religionum eodem cogant, aut quoquomodo inpellant. 2.) Conſiderandum venit, latini ſermonis notitiam iis, qui Hungariam eique iunctas Prouincias incolunt, vehementer eſſe neceſſariam, ideo in lu-

dis his; nonnulli adolescentes ad studium hoc praeparari debent. 3.) Germanicae linguae vsus insigniter est vtilis. Quare cognitio eius omnibus promiscue discipulis (successu temporis) inprimenda est. 4.) Cum Magistri scholarum diuersarum et invicem sibi subordinatarum, dissimili forma, vt vt illa optima scribendi vtantur, fieri non potest, quin ex hac scribendi dissimilitudine, in adolescentes, ad altiora studia transeuntes, confusio quaedam ac perturbatio redundet. Vt igitur elegans non minus, quam vniuersalis scribendi forma tam in scholas vernaculas, quam etiam cetera Gymnasia, eodem tempore inducatur, atque per omne Regnum propagetur, et ita anté commemorata consectaria noxia praepediantur; lectissima scripturae exemplaria, pro latina, germánica, et pro ceterarum nationum in Regno vigentium, linguis est eformata, aeri incisa, excusa, atque per vernaculas scholas distributa.

§. 12.

Videnda sunt iam itaque, quae in scholis his argumenta pertractantur. *Omnes* erudiri debent 1.) in noscendis litteris, syllabis connectendis, legendisque libris tam typo excussis, quam manuscriptis, 2.) in arte recte, nitideque scribendi, 3.) imprimis Arithmeticae speciebus, applicando eas ad oeconomiam rusticam, 4.) in institutionibus, quibus rusticani homines, ad honestatis, reique domesticae attentam curam informentur: *aliqui* solum, in principiis latinitatis, et quidem potissimum illi, quibus vel ad latinas scholas aliquando gradus faciendus erit, vel qui singulari praediti ingenio, reliquos inter excellunt, 5.) in condiscenda lingua Germanica, vbi vsus eius vulgaris non est. In scholis vrbanis, praeter superiora, *omnes*, numeros tractare ita vt

calculos Arithmeticos ad quosuis casus, qui in commercio ac negotiationibus, maiorisque momenti manufactis, maximis etiam in ciuitatibus occurrunt, applicare nouerint: domesticae oeconomiae elementa pernosse: vernaculam linguam, item germanicam, vbi ea natiua non est, excolere: varia themata scripto concinnare, ac denique, quae ad virtutem, probitatem ac ciuilem agendi rationem pertinent. *Quosdam* vero, quibus ex vsu futurum est, praeter linguam latinam exercere opportet in principiis Geometriae, Physicae, et ducendis figurarum lineamentis, aliisque artibus, quae iis necessaria esse videntur. Monendum porro est, quomodo educentur in scholis vernaculis *Normalibus* Magistri, aliis praeficiendi.. Excoluntur hi non modo in disciplinis, quas pueris tradituri sunt: sed etiam modum ipsum condiscunt, et crebra exercitatione, sibi familiarem reddunt pueros docendi, et quae ipsi didicerunt, iisdem communicandi. Ad haec erudiuntur etiam in arte nitide scribendi, et varia figurarum ac aedium lineamenta ducendi, nec non in Geometriae et Physicae elementis, in Musica item, cum primis autem in pulsando organo.

§. 13.

Sed prouehamur ad *scholas grammaticas*, seu latinas. Non est, cur necessitatem harum in Regno multis disputemus. Est lingua haec vehiculum omnis Romanae eruditionis, et vt taceam, R. Catholicam Ecclesiam, cultum diuinum, ac sacras functiones plerasque, latine peragere: omnes leges ac iura patriae, latine sunt conscripta, Regiae Constitutiones, mandata ac responsa, ad varia dicasteria transmissa, eodem sermone concipiuntur: omnia negotia a Regni Tribunalibus et Senatibus, rebusque

aliis ad ius dicendum potissimum pertinentibus, eadem pertractantur:. atque illius adminiculo tot dissimiles in Regno nationes facilius sese mutuo intelligere, et commercium inter se exercere queunt. Ideo linguae huius vsus quodammodo iam natiuus et domesticus est redditus. Non itaque mirum, si scholarum latinarum, in quibus prima purae latinitatis fundamenta ponuntur, in hac instauratione litterarum, pecculiaris habeatur ratio. Aie videamus itaque, qui ordines, mores et argumenta sint earundem.

§. 14.

Si necessitas variorum ordinum et statuum, quorum vsibus scholae hae sunt institutae, attendantur, (nempe alii ex eis illico ad aliquod vitae genus, desertis studiis se conuertunt, alii coepto studiorum tramiti insistere volunt) ad duplicem possunt reuocari classem; nimirum alia sunt necessaria, alia duntaxat vtilia. Ad priora pertinent, princeps et primarium 1.) Doctrinae Christianae explanatio, morumque institutio. 2.) Nitida correctaque scribendi ratio. 3.) Arithmetica, seu calculos subducendi norma. 4.) Lingua latina, cui postremo curriculi anno adiungitur: *a)* Ars recte, ordinateque cogitandi, *b)* Stili exercitatio, vt scilicet varia argumenta, latino non minus, quam vernaculo sermone concinnare norint marte proprio. 5.) Historia denique naturalis. Vniuerse autem omnibus vtilis est cognitio. 1.) Historiae V. et N. Testamenti. 2.) Historiae Hungariae. 3.) Geographiae domesticae. Quibusdam vero duntaxat discipulis admodum proficuum est, si nonnullam accipiant institutionem, partim 1.) in lingua graeca, partim 2.) in Geometria, 3.) his autem, quibus confecto Grammaticae

ſtudio, valedicere conſtitutum eſt, valde vtile fuerit, ſi nonnullis Iuris Naturae et Patrii principiis ita imbuantur: vt in frequentioribus vitae quotidianae euentis, conſilio ſibi adeſſe, ac negotia e placitis Iuris Hungarici definire nouerint, vti ſunt: Pacta, Conuenta, Stipulationes, Teſtamenta, cet. Condiſcendis vero his ſcientiis tres Doctores addicti, trienniique tempus eſt conſtitutum, quo elapſo curſus Grammaticae, cuius claſſis ſuprema ſeu Syntaxis vltimus eſt terminus, terminatur ita, vt diſcipuli, qui ſufficiens ſolertiae ſuae et contentionis ſpecimen dediſſent, legitimis inſtructi teſtimoniis dimittantur, aut ad Gymnaſia humanioribus litteris deſtinata traducantur. Enim vero, ad pernoſcendam penitius tractationis omnium horum ſtudiorum oeconomiam, opportet paullulum explicatius, de ſingulis agere.

§. 15.

Principatum tenet inter ſtudia in ſcholis Grammaticis tradi ſolita, *Theologia catechetica*, auctior illa, quam in vernaculis, quae captui puerorum accommodata, ter pro numero annorum gradatim excolitur, itaque comparata: vt adoleſcentes ſenſim induant mores, homine chriſtiano, proboque ciue dignos. Tempus ſtudio huic dicatum eſt, Dies Dominici et feſti, quo ita tenera iam aetas, ad rite celebrandos dies hos, pietatisque exercitationem conſuefiat, et malis, aetas haec incerta, quibus ipſa ſibi relicta plerumque expoſita eſt, eripiatur: non minus diebus quoque Mercurii et Sabbathi, ſub finem ſcholae peculiaris habetur rei huius cura. Ceterum opportet ſacere catechetam initium a breui cohortatione, qua iuuentus, ad praebendas ſolertius aures incitatur: denique dictionem, breui orationem propoſitis veritatibus idonea concludere; vt ea, quae

dicta sunt, puerorum animis altius defigantur. Vt *Orto - et Calligraphiam*, tam latinae, quam vernaculae et germanicae linguae, in vernacula schola comparatam, omnibus numeris absolutam adipisci possint, primo anno quot hebdomadis binae dantur horae exercitio scripturae, corrigendisque accurate erroribus: cum anno secundo, domi scribendi exercitia initium capiant, scripturaeque hebdomade quauis, semel in scholis recognoscantur. Ortographiae autem cum primo et secundo, tum praesertim tertio anno, dum breuium argumentorum lucubrationes inchoantur, omni cura habetur ratio. *Arithmeticae* primo anno quatuor species, cum numeris fractis: altero, regula aurea, proportiones, progressiones, operationesque hinc pendentes, quorum in vita communi, vsus est amplissimus: atque demum tertio ea omnia, quae prioribus didicerunt, ad multiplices casus in vita humana, pro varietate statuum, fortunarum et conditionum occurentes applicare discant, docentur ex libello, cui inserta est 1.) Descriptio omnis generis monetarum, quae seu in Caesareis Regiis Prouinciis, seu in exteris ditionibus illis praecipue, quibuscum commercium nobis intercedit, cursum habent. 2.) Explicatio omnium ponderum, quae tum apud nos, tum in illis ditionibus in vsu sunt positae; denique 3.) syllabus et proportiones mensurarum, quae apud varias nationes vigent.

§. 16.

Institutio *Linguae Latinae* anno primo circumscribitur sequentibus tribus capitibus: 1.) Vt iuuentus copiam, quantam maximam potest vocum latinarum, memoriae imprimat; cui assequendo primitiua vocabula condiscunt, repetuntque frequen-

tius, Magister eadem, a quopiam lecta voce elata, vbi perperam enunciata fuerint, corrigit, et quorum neque in lingua natiua sensum norunt, explanat, etc. E primitiuis hisce vocabulis contexuntur argumenta breuicula, analytice e norma regularum explicanda, ac in sermonem vernaculum traducenda; domi ab vnoquoque in chartam coniicienda, in scholis relegenda, corrigenda, ac denique a pueris nitide describenda. 2). Vt regulas linguae penitus intelligat. Quare incumbit pueris, varietates partium orationis, tam ratione sui, quam comparate ad inuicem, adminiculo regularum generalium, et particularium condiscere; id quod vt facilius consequantur, si in scholis elata voce omnia leguntur, et earum praecipue, pro exercitio memoriae assignantur, adiuncta vbique Magistri explanatione. 3). Vt facilem scribendi, legendique modum consequantur.

§. 17.

Anno secundo, praecipuum locum obtinent supra memorata bina capita, vt videlicet verborum copia adquiratur, et regulae menti imprimantur. Adquiritur illa, et augetur, dum praeter primitiua vocabula etiam eorum deriuatiua, et composita memoriae imprimuntur, eadem plane, quo anno superiore methodo, cum Magister pronuntiationem obseruat, obscuras vocum notiones in lingua vernacula declarat, modum, quo deriuata, aut composita enata ostendit, et vocabula sub eadem littera in libro collocata repetendo, non retento vocum ordine, examinat ita, vt pueros de compositis ad simplicia, de deriuatis ad primitiua redire cogat. Exercitia proponuntur ea, quibus praeter primitiua, deriuatiua etiam, et composita vocabula apte inne-

xa coniunguntur: quae denique ſcholarum tempore ad leges Grammaticae analytice exiguntur, et traductione in linguam maternam conuertuntur, ipſae hae traductiones domi a diſcipulis in ſcriptum referuntur, publice a Magiſtro releguntur, corriguntur, a pueris vero, ſine eodem continentis libelli ſubſidio, rurſus latinitate donanda. Sapienter vero ſuadetur, vt (quod in diſcendis exoticis linguis proficuum experimur), docentes rerum imprimis earum ſignificationes, et nomina proponant, quorum vſus eſt quotidianus, exercitia ordine ceteroquin primitiuorum concinnata, obſoletorum loco, amoenas hiſtoriolas, narratiunculas de rebus patriae, de Eccleſia, de eruditis, de natura euentus, quorum memoriam celebramus, Regum domeſticorum ſapienter dicta, facta, ciuium facinora, aliasque res memorabiles continentes. Requiritur non minus anno hoc, vt adoleſcentes penitiorem regularum cognitionem conſequantur. Quem in finem epitome regularum, iuxta inſtitutionis capita proponenda, explicandique partium ſingularum vſus, et commoda: inſuper declarandae in quauis parte occurrentes regulae, cum ſuis exceptionibus, oſtendenda inter legendum vocum adplicatio, praecipue in analyſi exercitiorum, ſemper recurrendo ad regulas; vt hac repetitionum frequentatione, iuuenes non tam vocum ſyllabum memoriae imprimant, quam earundem vim, ac notionem ſibi propriam reddere allaborent. Atque ſic allaborandum erit, vt ſi non prius, ſaltim altero ſemeſtri communis lex ſit, in commercio quotidiano, latina vti lingua, Magiſtro inopiae eorum ſuccurrente, errores emendante omni cum patientia, et comitate.

§. 18.

Posteaquam tyrones ampla verborum suppellectili, per biennium instructi, plenamque regularum cognitionem sunt consecuti: anno tertio, in eo cura versatur, vt adolescentes 1.) collectam verborum copiam memoria retineant crebra repetitione: huic etiam fini in chartam coniectae puerorum cogitationes, ab iis elaboratae, revidentur, idque in cuiusuis praesentia: exercitationes, quae anno superiore in linguam natiuam transfuderunt, procul libellis, in quibus eas notatas habent, denuo in latinam traducantur, ex quibus Magister vnum aliquod in manus sumens, partes singulas voce elata legat, et si error occurrat, iubeat aliquot pueros, e suis ipsorum traductionibus, eundem paragraphum clare legere, vt animaduertat, an alii quoque in eundem errorem impegerint, et sic demum, e grammaticae legibus castiget. 2.) Grammaticam penitus comprehendant. Quare statim anni principio tota eiusdem structura, vna cum omnibus distributionibus, partitionibus, regulis, et exceptionibus proponitur diligenter, explicatur, adductisque exemplis, vsus omnium illustratur, ac pueri pertentantur, vtrum libelli sui vim, atque structuram plene comprehendant. 3.) Propositam sermonis facultatem, cujus fundamenta iam posita sunt, plene consequantur. Iam supra commemoratum est, adolescentes opportere altero secundi anni semestri, sermone latino vti inter sese, sensim asuescere; hoc tertio, maiore longe cura excitantur, immo etiam coguntur. Hunc in finem 1.) Institutiones omnes latina lingua hoc anno proponuntur: 2.) ad auctores latinitatis probatae legendos adstringuntur. Non hic disputabimus quaestionem, quinam ii, in manus iuuentutis tradendi sint. Si scopus instituti consideretur,

nempe non eorum duntaxat habendam esse rationem, qui in hisce ludis ad humanitatem, studiaque vlteriora praeparantur, sed eorum cumprimis, qui emenso Grammaticae curriculo, litteris valedicunt, vtque hi expedite latine loqui, epistolas, narrationes, relationes, pluraque huiusmodi in vsu vitae quotidiano occurrentia, apte concinnare norint: palam est Ciceronis Epistolas, Cornelium Nepotem, aliosque receptos auctores solos, fini huic minime sufficere. Namque non est hic propositum formare viros eruditos, sed patriae vtiles, atque proficuos ciues: gustus duntaxat verae eruditionis est ingenerandus, viaeque a longinquo indicandae eodem perueniendi, si cui nobiliores igniculos natura inseuit: praecipua puerorum studia apprime consentire debent cum vitae futurae vsibus, et eruditione. Hos in fines, electae sunt Chrestomatiae ex variis auctoribus, discipulis propinandae, opusculum compendiarium, quo illud Magister anno tertio percurrere totum possit.

a). Selecti aliquot Actus e Plauti, ac Terentii Comoediis, et Minutii Felicis Dialogis.

b). Meliores quaedam Ciceronis, Senecae, Plinii, et Paulli Manutii Epistolae.

c). Breuiores iuuentuti blandientes sermones, qui in historicis veteribus passim occurrunt.

d). Exempla constitutioni Regni, ac iuuentuti apta, desumta ex iisdem auctoribus, et Valerio M.

e). Compendia locorum ex historia naturali Plinii senioris, vsibus iuuenum accommodata.

f). Compendium cum animaduersionibus in oeconomiam rusticam ditionum ad Regnum Hungariae spectantium, conflatum e Scriptoribus de re rustica, videlicet e Portio, Catone, Terentio Varrone, Columella, Tauro Aemiliano.

g). Loco selecta ex operibus Virgilii, Horatii, Phaedri, Ouidii.

h). Prouerbia denique, et sententiae, quae doctrinam puampiam moralem continent. In his interpretandis ita Magistrum versari opportet: vt non modo voces, et sententias duntaxat, explicet; sed in ipsas auctorum cogitationes penetret, earundemque connexiones, ac ordinem in plena luce collocet, atque ita condocefaciat adolescentes, suas cogitationes hisce exemplaribus conformare, nec non exemplis explanatis, mores eos conformare, praeceptionesque in vsus vitae futuros adsuefaciat.

3). In recte instituendis cogitationibus, contexendisque rationationibus erudiuntur. Eam adolescentes iam ingrediuntur aetatem, in qua mens et iudicium se explicare incipit, et facile comprehendant, quid sit notio, iudicium, theorema, ratiocinatio, quid nomine definitionis, et experientiae veniat, et quonam pacto, ex his deduci soleant colollaria, quid scientia, fides, opinio, praeiudicium, error? quibus modis eruenda veritas, diiudicanda scripta, quis libros cum fructu legendi, quis alios conuincendi, vel refellendi modus? etc.

4). Ad elaboranda minora argumenta, seu vernacula, seu latina lingua ducuntur. Sumitur initium a Periodologia. Postquam in ea facultatem adepti sunt, suppeditatur materia elaborationi selectae epistolae, ac narratiunculae hodiernis Regni vsibus accommodatae, quin mutuo inter sese commercio, etc. quae Magistrum placide opportet reuidere, seduloque inuigilare, né relictis iis, quae in vsu quotidiano posita sunt iuuentus ad ineptias, resque nugatorias dilabatur. Vnum porro est hic notandum. Extra dubium est, linguam latinam in Hungaria apud multos, a vetere illa latinitate plurimum deflexisse, habereque non vocabula modo, rerumque nomina, sed etiam sententias, loquendique formas prouinciales, quas frustra requiras in probatis scriptoribus, quaeque non nisi longo vsu addiscuntur, et tamen ad negotiorum, Iuriumque Hungaricorum cursum, hodie sunt absolute necessariae: quare adolescentes e scholis egressos, et ad negotia publica translatos, horum minime opportet esse ignaros. Ideo Docentium est, vocabula haec prouincialia, technica, et forensia, quae quidem cum barbarismis ope omni vitandis confundi haud debent, adolescentibus proponere, et quo modo melioribus suppleri possint, solerti cura exponere.

§. 19.

Est inter Studia Scholarum Grammaticarum, etiam *Historia naturalis*, ad huius euolutionem dum accedunt auctores, grauiter monent, necesse esse, vt in scientia hac, quae spectata rerum copia, et praestantia cuiuis pene Statui proficua

eſt, iam a teneris inſtituantur adoleſcentes, idque eo magis, quo certius eſt, opes naturae in Regno Hungariae large, effuſeque ſparſas, plerumque manere ſepultas ea ſolum de cauſſa, quod ignorentur: nulla ergo cura debet videri ſuperuacua in ſtudio tam vtili, tamque neceſſario promouendo. Quicquid nimirum tellus, aqua, aer, et telluris viſcera ſinu ſuo recondunt, materia huius ſcientiae eſt: res, quae nos circumſtant, quae oculis quotidie obuerſantur, et quibus carere haud poſſumus, in Hiſtoria hac Naturali percenſentur, et in claſſes ſuas diſtribuuntur: vtrum ergo aequum eſt, ſuccreſcentes ciues hoc tanto emolumento fraudare? An non iam in primo ſtudiorum limine, rerum pulcherrimarum cognitione ſunt initiandi, quae non voluptatem modo ſuauiſſimam, diſcendique inuitamenta in ſe continent, ſed etiam, vt dictum eſt, quaſi fons quidam, ex quo in omnia hominum genera, et ordines ampliſſimae profluunt vtilitates?

§. 20.

Tota haec diſciplina in tres claſſes, vulgo regna naturae, diſpeſcitur, atque hoc ordine etiam in ſcholis his proponitur. Primo anno iubetur explicari regnum animantium, ſecundum ſuas claſſes, genera, ſpecies, proprietates, emolumenta, vel detrimenta, et quidem 1.) Quadrupedia domeſtica, et fera. 2.) Altilia domeſtica, et aues. 3.) Piſces. 4.) Amphibia. 5.) Inſecta. 6.) Vermes deſcribi. Cum primis autem opportet rationem haberi eorum animalium indigenorum, quorum in regno vſus, et vtilitas in re ruſtica, ceteriſque oeconomiae, atque commercii partibus, latius porrigitur. Denique 7.) Regnum hoc cum homine, tanquam

animantium ceterorum principe, finem accipit. Anno ſecundo, percurritur regnum vegetabilium: vel maxime vero earum plantarum natura, et vſus explicatur, quarum cognitio in oeconomia, aliisque vitae humanae commodis, eſt perquam neceſſaria; vti ſunt, varia frumentorum, leguminum, olerum, pabulorum genera, tabacca item, canabis, lini, rapae, etc: cum primis autem vitis, atque arbores tam frugiferae, quam ſilueſtres, in quibus attendendum eſt ad plantas indigenas. Annum tertium, regnum minerale ſibi vindicat: vbi agitur, 1.) de variis Salium ſpeciebus. 2.) De reſinis, et lythantracibus. 3.) De variis terrae ſpeciebus. 4.) De lapidum claſſibus. 5.) De gemmis primae notae, et de ignobilioribus. 6.) De ſemimetallis. 7.) De metallis, eorumque matricibus. 8.) De foſſilibus ad nullam harum claſſium pertinentibus: vbi quemadmodum in ceteris Hiſtoriae Naturalis partibus, principem ſemper locum obtinere debent domeſtica.

§. 16.

Pertinet ad Scholas has *Hiſtoria* quoque *Biblica* Vet. et N. Teſtamenti, de qua non eſt, cur agamus fuſius: porro *Hiſtoria Hungariae.* Praemiſſa neceſſitate eiusdem Hiſtoria Vniuerſali in puerili hac inſtitutione, atque vtilitate, docent auctores methodum eam docendi. Praemiſſa generali Hiſtoriae notione, ac introductione, initium ducitur a Sancto Stephano Rege. Et quidem

1.) Complecti opportet Statum Regni, ad religionem, politiam, vires internas, earundemque fontes, et impedimenta, mores item gentis,

ſcientias, Prouinciae limites, atque negotia cum adſcitis populis, ab ipſis Regni Hungariae incunabulis.

2.) Hiſtoriam Regis nempe a). Totam progeniem, videlicet parentes, auos, attauos, conſanguineos, coniugem, liberos. b). Spectare eandem oportet velut caput familiae, c). vt patrem populi: proinde d). paucis perſequendae leges, et conſtitutiones ab eodem latae, vna cum conſpectariis inde emergentibus, e). legationes, foedera, comitia, bella geſta, f). breuis denique ac ſincera Regis cuiuis imago, ac vitae, morumque modus.

3.) Breuem commemorationem virorum illuſtrium, qui ſub Regis cuiusuis gubernaculo eminebant, fide in Regem, religionem, et patriam, quiue ob facultatem conſiliorum, ſcientias, promotam oeconomiam, etc. reliquis antelati ſunt, ſeu deinde indigenae fuerint, ſeu aduenae. Denique

4.) Regis cuiusuis gubernatio concluditur compendiaria enarratione ſtatus Regni ab obitu Regis, comparate ad religionem, politiam, vires internas, populos adiacentes, mores gentis, ſcientias, artes etc. ſimulque, gradus fit ad initia ſucceſſoris. Atque haec ſequentibus annis continuanda, ad feliciſſimum hodiernum Hungariae regimen.

§. 22.

Succedit Hiſtoriae, *Geographia Hungariae.* Nimirum praemiſſa generali quapiam mundi notione,

opportet primum vniuersalem Mappam Hungariae assumere, cum debito ad quatuor mundi plagas posita proponenda, Regni, et Prouinciarum huc pertinentium situ declarare: deinde Mappam particularem, qua Regnum in suos quatuor Circulos, et in Comitatus coloribus distinctos tributum contineatur; ex ea distributionem Districtuum, Comitatuum nomina, in Circulo quoquis comprehensorum, accurate percensere, atque denique initium specialis explanationis sumere ab eo Comitatu, in quo Lyceum suum situm est, exquirere vrbem, in qua Magister cum discipulis habitat, et quae in eadem memoratu digna occurrunt, explanare; dein ad loca digniora versus septentrionem, orientem, meridiem, atque occidentem posita, hisque pertractatis, ad Comitatus vicinos transire. Vt vero optati e Geographiae studio fructus referantur; necessum est perlustrare diligenter omnia in singulo Comitatu, quae aliquam merentur attentionem. Huius autem sunt generis.

1.) Lacus, Fluuii, Montes. In Lacubus spectari debet amplitudo, pisces item quos fert, quae adiacentibus locis damna aut commoda afferat; Fluuiorum cursus, fontes, plaga, versus quam decurrunt, stratum item, an arenosum, lapidosum, argillosum, auri, aliarumue rerum peculiarium ferax sit. In Montibus, an in rupes aut petram abeant, quasue lapidum species sinu foueant: an metallorum, aliarumque mineralium venis abundent: vtrum agriculturae, an rei pecuariae, aut vineis deseruiant, quae arborum et ferarum genera progignant?

2.) Vrbes, an Regia, Libera, an etiam montana, quanto includatur ambitu, et qua sit frequentia

populi, quo situ, quae commoditates inde emergentes, qui ciues, quae praecipua eorum negotia, mores et linguae, quae antiquitas vrbis? verbo, quicquid memoria aut visu dignum in ea occurrit: Arces an Regiae vel priuatorum, quibus olim subiectae fatis, quis hodie possessor, quae partes oeconomiae ibi maxime vigeant, an agricultura, res pecuaria, cultura vini etc. Oppida, in cuius hodie ditione, cuius nationis incolae, qui eorum mores, consuetudines, negotia?

3.) Praefecturae (seu Processus) in quas distributus est annotandi, loca cuiusuis digniora, Vrbes Regiae, Arces, Collegia Ecclesiastica, Castella et Bona maiora.

4.) Indoles Comitatus comparate ad naturae opes, triaque eiusdem Regna: et generatim quidem, an terrae tractus, cui Comitatus insidet, planitie gaudent, an redundet montibus, an fertilis, an sterilis sit? Speciatim vero *a.)* quaenam illic agriculturae ratio, quae frumenti genera, quaeve frequentius coli soleant, quae cultura vini, arborum, cannabis, lini, tabaccae et lupuli? *b.)* Quonam in statu res pecuaria sit, comparate cumprimis ad equos, boues et oues, altilia, feras et aues? *c.)* Quis rei pecuariae vsus, quae piscium genera, an pisculenta flumina, an piscinarum habeatur cultura?

5.) Industria incolarum circa res procreandas: an eae vsui domestico deseruiant, an vero in alios

Comitatus, aut fortaſſis etiam in exteras Prouincias exportentur?

§. 23.

Haec autem tractatio Geopraphiae Hungariae, Croatiae, Slauoniae, Dalmatiae, Banatus Temeſſienſis, Tranſiluaniae, Galliciae et Lodomeriae, praeſcribitur primo biennio abſoluenda: tertio ſuccedunt Prouinciae Caeſarea Regiae haereditariae, Archiducatus Auſtriae, Styria, Carinthia, Carniolia, Tyrolis, Regnum Bohemiae, Marchionatus Morauiae, Sileſia, Principatus Oſuicenſis et Zatorienſis, Belgium Auſtriacum, Prouinciae Italicae, cum adnexis, Sileſia Boruſſica, Polonia, Turcia, Status Venetus, vicinae Italiae Prouinciae, Heluetia, Rom. Imperium, praeſertim Bauaria et Saxonia, atque adiacentes Belgio populi. Claudunt vero totum ſtudium hoc, generales Geographiae mathematicae notiones, vſusque globi terreſtris multiplex, ac res praecipue memorabiles ad tellurem vniuerſe attinentes, adiecta breui Geographiae, Hiſtoria Litteraria.

§. 24.

De reliquis ſtudiorum argumentis, quae in Scholis Grammaticis duntaxat horis, non omnium, ſed quorundam vſibus pertractari ſolent, vtpote de *linguae Graecae*, *Geometriae*, *Iuris Naturae Patrii* elementis, quotidianis vitae vſibus accommodatis, non eſt cur vberius agamus. Superiora haec fuſius percenſere viſum eſt: quod reuera ſtudia haec, in Scholis Grammaticis doceri ſolita, fundamentum ſint altiorum, nempe Archi - et Gymnaſiorum: neque aliud intereſt inter illas et haec diſcrimen; quam quod ſtudia ea altiore quodam hic gradu, maiore-

que perfectione procurentur, paucis solummodo adiectis. Quare sequentibus, breuioribus esse licebit. Priusquam tamen Scholas Grammaticas penitus deseramus: officia et numerum Docentium earum adnectimus. Sunt vero sequentes: 1.) Praefectus Scholarum. 2.) Catecheta. 3.) Tres Grammaticarum Classium Magistri. 4.) Famulus.

§. 25.

Consideremus iam Archi - Gymnasia et Gymnasia Regia, eorumque instituta enarremus. Intelligitur autem eorum nomine eiusmodi studiorum institutum, vbi non solum praebetur iuuentuti occasio, scientias in Scholis Grammaticis proponendas addiscendi, verum etiam opera adhibetur; vt in humanitate, quae more recepto, Poesim atque Rhetoricam complectitur, aliisque praeuiis ac subsidiariis disciplinis duorum annorum curriculo instituatur. Studia hic vtramque faciunt paginam:

1.) Doctrina Catechetica, non tamen amplius methodo Catechetica tractanda: verum Euangelia et Epistolas, e loco superiori legunt, et argumenta ad doctrinam morum, iuuentuti conuenientium ex eis proponunt docentes.

2.) Orto - et Calligraphia omnimode polienda, adiecta etiam Tachigraphia.

3.) Arithmetica et Elementa Matheseos atque Mechanicae, horis aestiuis ad praxim deducenda, cum generalibus notionibus scripturae (vt vocant) duplicis (seu Doppiae), quae in rite ordinanda re familiari, et domestica oeconomia versatur.

4.) Linguae Latinae institutio. In quem finem necessarium est manuducere tirones: *a)* ad legendos auctores cum fructu, tropis, figuris, linguae amoenitatibus, loquendi proprietatibus, acuminum item, transitionum et elocutionum modis ostensis. Vt vero rectius intelligantur auctores, pleniorque linguae notitia, ac late patens vtilitas: explanari oportet; *α.)* Romanas Antiquitates, *β.)* Mythologiam, *b)* Ad recte et ordinate cogitandum: quare Logica eiusque imprimis illa capita, quae seruiunt ad auctorum, et quorumuis scriptorum cumprimis intellectionem, ad examinandas sententias in iisdem contentas, ad conuincendum, refellendum, impugnandum proponi, praescripta sunt. *c.)* Ad componendum, seu culturam stili, Ideo praeter docendam Periodologiam, exercitia stili in tres tribuuntur classes. *α.)* Extemporanea v. g. traductiones e latina in patriam linguam, aut contra, oratiunculae et narrationes de rebus in vsu communi saepe occurrentibus, codicilli, epistolae, responsa cet. *β.)* Exercitia Hebdomadaria, v. g. breviores sermones in publicis congressibus, epistolae, allocutiones, et id genus alia in posterum vsui futura: vbi locum cumprimis habet nunquam satis commendanda auctorum probatorum imitatio. *γ.)* Exercitia menstrua, quae in excerpendis selectis auctorum locis, peculiaribusque quibusdam elocutionibus consistunt. Additur his *d.)* Notitia vocabulorum quorundam, sententiarum, modorumque latine loquendi in Hungaria receptorum, finis, quem supra iam declarauimus caussa.

5.) Physicae Elementa et Historia Naturalis, vlterius quam in Grammatica excolenda. Inter stu-

dia vniuerſe vtilia, quae in Gymnaſiis tractantur plenius, quam in Scholis Grammaticis, eſt.

6.) Hiſtoria tam Biblica quam Hungariae, anno illico primo, indicatis praecipuis auctoribus, et Hiſtoriae domeſticae fontibus. Altero anno ſequitur Hiſtoria Ditionum Caeſareo - Regiarum, atque additur breuis introductio in Annales Imperatorum, a Rudolpho I. et concluditur compendio Hiſtoriae Eccleſiaſticae, cumprimis Hungaricae, et eruditorum vtriusque reipublicae.

7.) Geographia cum adnexa notione vniuerſalis Geographiae, et ſtructurae atque vſus globi terreſtris: nec non quatuor orbis partium, Regnorum et Prouinciarum Europae.

8.) Ius Naturae, et Conſuetudines quaedam domeſticae. Ad ſtudia extraordinaria quibusdam duntaxat vtilia aut neceſſaria, ſucciſiuis horis proponenda pertinent.

9.) Lingua Graeca, iuuentute, in ea ex Chreſtomathia, ad ſublimiorum ſcientiarum inſtitutiones excipiendas praeparanda.

10.) Phyſica Experimentalis.

11.) Collegium Nouorum publicorum, cuius pro fundamento poni promittuntur Ephemerides publicae res maxime memorabiles, tam ciuiles, quam litterarias complectentes, apud Vniuerſitatem Regiam concinnandae.

12. Poetica. Subnectitur his omnibus Praeſcriptum de Declamationibus Gymnaſtarum ſaepe habendis:

quo ita in iuuentute metum a natura insitum, aut vitio educationis, quodam modo ingeneratum suflamminent, atque in publicis conuentibus deposito eo, ad concionem dicere asuescant; non minus de linguis domesticis, vbi eae non sunt vernaculae, diligenter excolendis.

§. 26.

Subiungimus munerum in Gymnasio tali Regio tabellam:

1.) Director, simulque Bibliothecarius.

2.) Exhortator et Catecheta Gymnasii.

3.) Prodirector, idem, qui Senior Professor Aestheticarum classium.

4.) Professor Eloquentiae, nec non Historiae et Geographiae.

5.) Amoenioris Litteraturae et linguae Graecae Professor.

6.) Tres Grammaticarum classium Professores.

7.) Professor Extraordinarius, supplendo officio Professorum infirmorum, aut alias impeditorum adiunctus, qui vna extra ordinem, scientiam quampiam discere volentibus adesse potest.

8.) Historicus Gymnasii, idem, qui Professor Eloquentiae.

9.) Famulus Gymnasii.

§. 27.

§. 27.

Academiae Regiae, sunt post Gymnasia palaestrae litterariae supperiores, per quas intelligimus instituta illa, in quibus iuuentus, ad artes liberales ac disciplinas plenius, cumulatiusque ediscendas, atque ad accipiendam vberiorem in Vniuersitate culturam, habilis efficitur. Totus Cursus Studiorum Academicus in tres dispescitur partes, quarum prima Theologiae, secunda Philosophiae, et quae huic adnexae sunt artes, tertia Institutioni Iuris Patrii et Politiae impenditur. Triplici huic Litteraturae generi Exercitationes, quae sub ipsum aditum Academiarum initium sumunt, et vsque ad finem perdurant, coniunguntur; totique excolendae quadriennium destinatur. Ad Exercitationes has pertinent: *a.)* Exhortationes Sacrae, quas Curiones instituunt, et in quibus, ex Euangeliis ac Epistolis dierum festorum ac Dominicorum (vti in Gymnasiis) totam, qua late patet morum doctrinam complectuntur, atque themata auditoribus accommodata depromunt. *b.)* Exercitium linguarum, tam latinae, quam vernacularum. Quo fine commendantur Societates, in quas coirent eruditi: vt in eis, quanta fieri potest perfectione maxima excolerentur, et in publicum lucubrationes eorum, typorum beneficio emitterentur. *c.)* Exercitium Delineationis seu Ichnographiae. *d.)* Disputationes publicae, quarum hic praescribitur materia ex quacunque tandem scientia deprompta; cumprimis vero Hungariam proxime spectante desumtam esse opportet, vtpote Historia tam ciuili, quam Ecclesiastica, rei militaris, commerciorum, liberalium disciplinarum, oeconomiae rusticae, omnisque rei agrariae et pecuariae, biographia, leges tam ciuiles, quam Ecclesiasticae, politia, notitia commerciorum, et rei aerariae, Hi-

ſtoriae Naturalis, cet. Delectus harum materiarum, non Profeſſoribus, ſed Senatui Regiae Vniuerſitatis competit. Praeſcribitur modus harum diſputationum, linguarum vero vſus omnium, tam latinae, quam vernacularum, quibus ſenſa ſua diſputaturi expromant, liberrimus relinquitur: promittuntur tam docentibus, quam diſcentibus praemia: oſtenduntur emolumenta, quae ex huiusmodi diſputationibus redeunt, tam ad iuuentutem, quam ad litterarum progreſſiones. Monendum porro eſt, concedi, immo commendari viris eruditis omnibus, tam peregrinis, quam in Regno commorantibus: vt Problema tale, a Senatu Vniuerſitatis diuulgatum, enodandum ſuſcipiant, ſubſignatoque nomine, aut certe appoſita eiusmodi nota, qua rebus ita ferentibus, absque negotio auctor agnoſcatur, huic Commentationem transmittant, certi, conſecuturos illos, quorum lucubrationes communem retulerint adprobationem, ab eo, ex praefixo praemiorum aerario remunerationem, Problematum momentis, indeque redundanti emolumento admenſam. Diſſertationes vero tales, aut aliae etiam eruditae lucubrationes, quotannis colligentur, ac in vnum collectae volumen, in Typographia Vniuerſitatis venundabuntur.

§. 28.

Age, videamus iam ſtudia in Academia Regia tractari ſolita. Ad facultatem Theologicam pertinentia ſunt: Theologia Dogmatica, Moralis, Paſtoralis, Patrologia, Exegeſis Scripturae Sacrae, Orien[illegible]s Linguae, Hiſtoria Eccleſiaſtica, ac Litteraria [illegible]ologiae, nec non Eloquentia ſacra. a) Ad cur-

[illegible] plures obſeruauimus hucdum Facultates Theologi- [illegible] Academiis, quam Iaurini, et Zagrabiae.

sum Philosophicum priori biennio absoluendum pertinentia, sunt alia cum Gymnasiis Academiae communia, alia huic propria. Inter illa est: 1.) Logica, 2.) Physica tam Theoretica, quam Experimentalis, 3.) Historia Naturalis. 4.) Mathesis, eiusque partes, quae tanquam subsidia oeconomiae rusticae habentur, vti est Geodesia, Hydrotechnia, Ciuilis Architectura, et id genus alia. 5.) Historia domestica, quae hic adcuratis debet illustrari commentariis, desumtis ex Hungariae Diplomatica, Genealogia, Heraldica, Numismatica, Sphragistica, etc. 6.) Historia Religionis, cumprimis Ecclesiae Hungaricae, ac hominum Litteratorum. 7). Historia Imperatorum. 8.) Historia Ditionum haereditariarum, confiniumque Prouinciarum. 9.) Collegium Nouorum publicorum, pragmatice enarrandorum. Docentur haec omnia in Academiis, illo cum discrimine, quod maiori ~~hic~~ cum accuratione, soliditateque, et fusius diducta, quam id in Gymnasiis fieri potuit. Propria Academiis docentur studia: 1.) Historia Philosophiae. 2.) Metaphysica, Ontologiae, Psychologiae, et Theologiae Naturalis, complectens elementa. 3.) Philosophia Practica. 4.) Oeconomia rustica, cum adiuncta appendice de oeconomia vrbana, et commercio.

Ad Extraordinaria in cursu hoc Philosophico pertractanda studia referuntur: 1.) Lingua Graeca. 2.) Eloquentia soluta, et ligata. 3.) Historia Vniuersalis. 4.) Heraldica, Ordinum Equestrium Notitia, aliaque vtilia rei Historicae subsidia. Linguarum quidem exterarum Magistris, nulla est instituta ex aerario Litterario prouisio: nullum est tamen dubium, multos se ad Academias Regias sponte collaturos, suppeditaturosque amplam discendi amantibus facultatem.

§. 29.

Ad Curſum Iuridicum, altero biennio abſoluendum pertinent: 1.) Ius Publicum Hungariae, et quae eo pertinent, vtpote Statuta, Religionem, pacis item, bellique negotia concernentia, atque Iura comparate ad alia Regna, et Prouincias, quibus opportet praemitti Ius Naturae, Ius Publicum, Vniuerſale, ac Gentium. 2), Ius Patrium, tam ciuile, quam criminale, et receptae Conſuetudines, cum praeuia Hiſtoria Iuris, in qua oſtendantur fontes, occaſiones, viciſſitudines legum, etc. 3.) Politica; Commercium, et Res aeraria: pro maiori harum Scientiarum intelligentia, tanquam ſubſidium quoddam praeuium praemiſſa artificiorum, opificiorum, manufacturarum, et fabricarum cognitione, 4.) Hiſtoria Prouinciarum Europaearum, Hiſtoria Vniuerſalis, et Collegium Nouorum publicorum.

Extraordinariae per decurſum Iuridicum Inſtitutiones ſunt: Introductio in emendatiorem calculos ſubducendi methodum, Iuſtiniani Inſtitutiones, Res Diplomatica, et forte olim etiam Numiſmatica Hungariae, Ars colendi Siluas, et feras, cet.

§. 13.

Tabella munerum, et Docentium in Academia ſequens eſt:

1.) Praeſes Academiae.

2.) Exhortator Academicus. Denique:

1.) In facultate Theologica: a.) Prodecanus, idem qui Senior Profeſſor. b.) Profeſſor

Theologiae Dogmaticae, et Patrológiae. c.) Professor Theologiae Moralis, et Pastoralis, nec non Eloquentiae Sacrae. d.) Professor Historiae Eccesiasticae, et Litterariae. e.) Professor Scripturae sacrae, et Linguarum Orientalium. f.) Professor Extraordinarius, qui ordinariorum impeditorum partes obit: et quampiam disciplinam Theologicam, horis extraordinariis tradit.

2.) In facultate Iuridica: a.) Prodecanus, idem qui Professor Senior. b.) Professor Iuris Canonici. c.) Professor Iuris Naturae, Gentium, et Iuris publici Vniuersalis. d.) Professor Institutionum Iuris Ciuilis, et Iuris Patrii Theoretici. e.) Professor Politicae, qui studia quoque Cameralia docet, ac Oeconomica. f.) Professor Extraordinarius, cuius officia ex superioribus intelliguntur.

3.) In facultate Philosophica: a.) Prodecanus, idem, qui Professor Senior. b.) Professor Physices Theoreticae, et Experimentalis, nec non Mechanicae. c.) Professor Logices, Metaphysices, et Philosophiae Moralis, nec non Historiae. d.) Professor Matheseos Elementaris, Geometriae Practicae, Architecturae, et Hydrotechniae. e.) Professor Philosophiae Litterariae. f.) Professor Historiae Vniuersalis, ac Litterariae, qui vna Bibliothecarius, ac horis extraordinariis, volentibus Rem Numariam, Heraldicam, Diplomaticam, nec non Bibliographiam tradit. g.) Professor Extraordinarius. Actuarius Consessus Academici idem est, qui Profes-

ſor Iuris iunior: Profeſſor vero Hiſtoriarum, Hiſtoriam etiam ſcribit Academiae.

§. 31.

Sub finem non eſt negligenda Bibliothecarum Academicarum, et Muſeorum memoria. Vnamquamque Academiam his eſſe inſtructam opportet. Circa inſtructionem Bibliothecae, pro ſcopo nempe praefixo, in palaeſtra tali ſequentia inſtituuntur, nunc initio Librorum genera: 1.) Pro doctrina morali Chriſtiana. Pro Notitia Patriae Geographica, Hiſtorica, Iurium, et quicquid ad Hungariam, vel ad terras haereditarias pertinet. 3.) Pro Iure Naturae, et gentium. 4.) Pro Philoſophia. 5.) Pro Matheſi. 6.) Pro Phyſica. 7.) Pro Hiſtoria Naturali. 8.) Pro Oeconomia ruſtica. 9.) Pro lingua Latina. 10.) Pro lingua Germanica. 11.) Pro Hungarica, ceterisque domeſticis linguis. 12.) Pro lingua Graeca. 13.) Pro Hiſtoria Imperatorum. 14.) Pro Notitia haereditariarum, Confinium, et aliarum Prouinciarum Europaearum. 15.) Pro Geographia generatim. Muſaea continent: 1.) Mineralia, Plantas, et Animalia pro Hiſtoria Naturali. 2.) Machinas, et modulos pro Mehanica, et Phyſica.

§. 32.

Vltima, et ſuprema in Syſtemate hoc litterario tanquam arx Scientiarum omnium, eſt VNIVERSITAS REGIA BVDENSIS. Quemadmodum e re viſum eſt, vt in erigendis primariis Gymnaſiis, ceteris minoribus Litterarum ludis, exemplar quoddam impoſterum proponeretur, ita ſane prouidendum erat, ne Regiae per Hungariam Academiae, ſuo item exemplari, in quod perpetuo intueri debeant, de-

ſtituantur. Hunc in finem conſtituta eſt Regia Facultatum, omnium Vniuerſitas, in ipſo quodam modo Regni totius centro, in auguſta Arce Regia Budenſi collocata: vt eſſet quoddam, quaſi Seminarium Academiarum, vnde non exempla modo tractandarum optimarum artium, ſed etiam Doctores ipſi pro Cathedris, vel vacantibus, vel deinceps erigendis promouerentur. Inaugurata eſt ea ſummis cum ſolennitatibus, inter mille gaudia, Anno 1780. die 25. Iunii, coronationi Auguſtae Mariae Thereſiae, ſacro, voluntatis Regiae adminiſtro, Excellentiſſimo Comite Carolo Pálfi ab Erdöd, Procancellario Hungarico. Conuocati tota ſunt Hungaria Incliti Status, et Ordines, quo in partem gaudii, ad inſigne hoc Patriae felicitatis augmentum, venirent. Sed non ſumus futuri, in deſcribendis hiſce ſolennitatibus longiores. Ad ipſam potius Vniuerſitatis huius Regiae explicationem redimus, per quam intelligimus (id quod ipſo nomine ſatis indicatur), corpus quoddam ex omni Lyceorum genere coagmentatum. Complectitur proinde, praeter ſcholam vernaculam (ſeu *Natinalem*) primariam, quae toto Diſtrictu Budenſi eſt ibidem conſtabilita: 1.) Scholas Grammaticas. 2.) Archi Gymnaſium. 3.) Academiam. Inſtitutio vero eiusdem huc potiſſimum collineat: vt iuuentus Hungara, comparatis opportunis Litterarum ſubſidiis, ſolidaque et multiplici eruditione, non adminiſtrandae ſolum ſacrae, et profanae reipublicae, ſed etiam excolendis ſcientiis, ac optimis artibus, in patria propagandis, vniuerſe idonea efficiatur. Quare neceſſe omnino fuit proſpicere, vt Regia haec Vniuerſitas, tam Doctorum numero, quam diſciplinarum varietate, ceteris omnibus Litterarum domiciliis longe antecelleret. Hinc praeter Doctores, et Facultates ſupra in Academiis commemoratas, complectitur inſuper:

1.) In facultate Theologica; Professores duos Theologiae Dogmaticae, Professorem vnum Theologiae Moralis, Professorem vnum Hermeneuticae Vet. Testamenti; et Linguae Sacrae, Professorem vnum Hermeneuticae N. Testamenti; et Linguae Graecae; Professorem Institutionum Dogmaticae, Patrologiae, et Historiae Litterariae Theologicae, Professorem Theologiae Pastoralis, et Eloquentiae Sacrae; Professorem Ecclesiasticae Historiae, Professorem Rei Liturgicae; atque Professorem Extraordinarium.

2.) In Facultate Iuridica, Doctorem Institutionum Iuris Ciuilis, et Pandectarum, atque Doctorem Iuris Ecclesiastici, et Canonici.

3.) In Facultate Medica, Professorem Pathologiae, et Praxeos, secundum Physiologiae, et Materiae Medicae, tertium Chemiae, et Botanices, quartum Anatomiae, quintum itidem Anatomiae, Chirurgiae; et Artis Obstetriciae, atque denique sextum Extraordinarium, qui vna Praxim Medicam Chirurgis destinatam, profitetur.

4.) In Facultate Philosophica, Doctorem Rei Diplomaticae, Doctorem Heraldicae et Sphragisticae, Doctorem Rei Numariae, Praefectum Rei Astronomicae ac eiusdem socium, Doctorem Historiae Naturalis, Doctorem Oeconomiae rusticae, Doctorem Physicae Experimentalis et Mechanicae, Doctorem Matheseos sublimioris, Doctorem Architecturae, Geodesiae et Hydrotechniae, Doctorem Aestheticae, atque Doctorem eorum, qui humanitatis studia recolunt. Quamuis autem elementa plerarumque harum disciplinarum, tradantur etiam a consuetis Doctoribus

Academicis: tamen in Vniuersitate peculiares iis assignati sunt Magistri, qui eas horis extraordinariis, seu a consuetis constitutionibus diuersis, plenius ac enucleatius explanant, in eorum gratiam, qui vlteriores in iis progressiones facere, ac perfectius erudiri desiderant. At nihil impedit, quo minus binae etiam huiusmodi disciplinae, vni Doctori explanandae, pro re nata adtribuantur.

§. 33.

Neque negligenda sunt instituta reliqua, quae ad Rempublicam Litterariam, in Vniuersitate Budensi prouehendam comperiuntur. Talia sunt:

1.) Specula Astronomica, in medio Palatio Vniuersitatis opere magnifico exstructa, quae deuinctam sibi habet Tyrnauiensem, Litterarii Commercii caussa. Praefectus eiusdem, adiunctusque socius non modo Siderum cursus diligenter obseruant, atque ad Astrorum contemplationem, disciplinae huius amatores admittunt: verum etiam annuam Ephemeridum elucubrationem, solerter prosequuntur. Ad haec

2.) Pro maiore artium optimarum cultura et adminiculo, totiusque Reipublicae Litterariae ornamento, terna sunt constabilita *Musaea*, tanquam totidem Vniuersitatis armamentaria, vectigabilibus necessario instructa. Prima est *Camera Rerum Naturalium* amplissima, in qua selectissima quaequae, e triplici naturae Regno corrasa, atque ordine digesta pulcherrimo continentur, ac e Montanis Vrbibus etiam deinceps suppeditabuntur. Eius praefectura concredita est Doctori Historiae

Naturalis: huius enim institutionibus adparatus iste cumprimis deseruit. Secunda est *Camera Physica*, probe ornata omni ea suppellectile, quae in pertractanda Physica Experimentali est necessaria: vnde et cura eiusdem, Doctori disciplinae huius est commissa. Tertia denique est *Camera Mechanica*, vbi exemplaria, seu moduli machinarum omnium, seu simplicium, seu compositarum praesto sunt, earum cumprimis, quarum vsus est pervulgatus in Mechanica, Hydraulica, ceteris vitae humanae subsidiariis artibus. Musaei administratio est penes Doctorem Mechanicae. Camerae cuiuis adtributus est mediastinus, qui rerum ordinem, nitoremque curet, atque Praefecto operam famularem praestet. Accedit *Hortus Botanicus*, Doctori Botanicae concreditus: alter item *Hortus Oeconomicus*, vsui Doctorum Oeconomico ac Naturalis Historiae destinatus.

3.) Bibliotheca Vniuersitatis. De eius necessitate supra iam est iniecta mentio: quae sicubi, hic certe luculentissima est, vbi auditores scientiis, artibusque omnis generis non tingi leuiter, sed plenissime erudiri debent; quod quidem sine assidua optimorum librorum lectione nequaquam consequentur. Quare ingens rei librariae suppellex illata est in Budense Palatium, Bibliothecae publicae destinatum: constituti Praefecti, Custodes, Scribae ac Famuli. Illud quoque prouisum, vt legere atque commentari cupientes in opportunis penes Bibliothecam ipsam conclauibus possint. Adest praeterea

4.) Numophylacium admodum copiosum, Latinis, Graecis, ac Hungaricis monetis belle instructum: neque deinceps deerunt vel sumtus, vel industria

ad thesaurum hunc locupletiorem efficiendum, quicquid in terris haereditariis Nummorum nouorum imposterum fuerit excusum, isthuc sine mora transmittetur. Denique

5.) Et illud sedulo curatur, vt monumenta antiquitatis, per Pannoniam passim occurrentia sensim colligantur, atque Musaeum in Palatio Vniuersitatis instruitur, vsui et emolumento futurum, non domesticis modo disciplinarum auditoribus, sed etiam exteris, visendi studio huc delatis.

§. 34.

Tandem pro vberiori Rei Litterariae incremento, adiecta est Vniuersitati etiam

6.) Typographia, ac constitutus eius Praefectus, a quo administratores omnes dependent, ipse vero supremo Vniuersitatis Senatui subest, atque ad hunc negotia Typographica occurrentia, rationesque omnes pecuniarias refert. Porro haec Typographi, priuilegium, vt vocant, *exclusiuum* habet, excudendi libros omnes litterariis institutionibus destinatos, per totam Hungariam et Provincias eidem adnexas: emolumenta vero ac lucra inde reduntant a, destinata vnice sunt, primum quidem ipsius Typographicae rei procurationi; deinde vero Bibliothecae Regiae Vniuersitatis, aliarumque Academicarum Bibliothecarum, siquidem facultates suppetierint, atque remunerationibus auctorum, qui lucubrationes iudicio Senatus Regii probatas, in publicum exmiserint. Adiunctum est etiam Commercium Librarium: vt nimirum Libri in Typographeo Vniuersitatis excusi, tanto facilius perferantur ad nationes ex-

teras, vendanturque, aut aliis Bibliothecae opportunis, vel culturae scientiarum accommodatis permutentur.

§. 35.

Atque haec de Vniuersitate impraesentiarum, et Instituto Litterario in Hungaria dixisse sufficiat. Minutiora, seu circa Vniuersitatem, seu circa Gymnasia et Scholas inferiores tradidisse, non fuit nostri instituti. Ideo de partitione et connexione studiorum inter Docentes, de diurnis Lectionum distributionibus, de libris in eis manuductoriis, de methodo et id genus docendi singularibus, maximam partem penitus tacuimus: quod cui volupe scire fuerit, opus laudatum euoluere opportebit. Id vero negligere non debemus, libellos, qui pro cuiuscunque scientiae manuductione seruiunt, eosdem in omnibus Scholis aequalibus, Gymnasiis atque Academiis futuros: vt ita in Regno toto aequabilis docendi et discendi methodus conseruetur.

§. 36.

Pars tertia operis, ex quo superiora excerpsimus, non spectat proxime ad institutum nostrum: itaque quae supersunt, carptim solum, et tituloteaus enarrabimus. Sectio Prima agit de Scholarum Politia comparate ad earundem Moderatores ac Magistros. Docetur in ea, quae spectari debent in Studiorum Praefectis (quod est in Scholis supremum munus) in deligendis Doctoribus pro Vniuersitate, Academiis, et Archi-Gymnasiis: et quo modo delectus hic instituendus: declarantur officia Magistrorum horum et Praefectorum erga Studiorum Praesides, erga Collegas, circa agendi modum cum di-

ſcipulis. Praeſcribitur annus eorum probationi in officio Docentis, antequam ad munus hoc inducantur, et iuribus actu fruantur: et ſi minus ſufficientes, id temporis obſeruati fuerint, remoueantur. Non minus habetur ratio honorum Praefectis et Magiſtris Artium conuenientium, praemiorum item bene meritis, et poenarum exerrantibus debitarum.

§. 57.

Sub finem ſuppeditatur erecti Collegii ſuccreſcentium Doctorum notitia. Vt nempe exſtaret corpus ſelectorum iuuenum, ad tradendas deinceps diſciplinas deſtinatorum, ſtipendia annua ex aerario Vniuerſitatis Regiae conſtituta ſunt pro iis, qui Scientias Theologicas, Iuridicas, Medicas, et Philoſophicas, ſtudia item humanitatis, cura peculiari recolunt, atque capeſſendis impoſterum Magiſteriis ſeſe in Vniuerſitate praeparant. Ius Repetentes huiusmodi deſignandi totum eſt penes Regium Vniuerſitatis Senatum, conſultis Facultatum ſuffragiis. Ad Collegii huius communionem veniunt iuuenes illi, qui tanquam idonei candidati, ad varia diſciplinarum genera recolenda renuntiantur, talesque Regio Vniuerſitatis Senatui, a Magiſtratibus Academiarum, in quibus curſum ſeu Philoſophicum, ſeu Iuridicum abſoluerunt; ſed etiam a Gymnaſiis, vbi humanioribus litteris operam nauauerunt, proponuntur. Patet autem aditus omnibus, nullo ſtatus aut ordinis diſcrimine, quicunque ad Scholarum munia in poſterum ſuſcipienda animum adiiciunt, ac ad perpollienda ſua ſtudia ſubſidiis egent.

Quicunque autem Candidatum, eiusmodi repraeſentant, debent diligenter inueſtigare: 1.) An ad

litterarum ſtudia, natiua quadam feratur propenſione, an ad illud genus, ad quod ſe idoneum profitetur, congruis dotibus, peculiarique praeditus ſit ingenio? An ſubſidiariis illis notionibus iam imbutus ſit, quas ad repetitionem adferre debet? 2.) An facultates ad ſcholarum adminiſtrationem, ac ad iuuentutis gubernationem neceſſariae, vti ſunt, integritas religionis, patientia, comitas, ſobrietas, induſtria, etc. in eodem adpareant: an non potius omnia contraria ſe ſe prodant? Eſto vero, omnibus his abunde ſit inſtructus, beneficio ſtipendiario re ipſa gaudere non poterit, priusquam etiam apud Facultatem Vniuerſitatis ad hoc ipſum deſignatam, rurſus rite examinatus, ea dederit ſpecimina, quibus ſe dignum hocce beneficio abunde probauerit. Fruuntur hoc ſtipendio illi, qui ſtudia humanitatis recolunt biennio: triennio autem, qui repetendis diſciplinis Philoſophicis dant operam: pro ceteris, qui Theologicas, Iuridicas, et Medicas Scientias tractant, nondum ſunt definiti limites. Quod vero ipſam educandi, atque excolendo, rationem attinet, Regius Senatus omni ſtudio, et conſilio inuigilat, vt delecto huic corpori expoliendo praeſtantiſſimi Facultatum Doctores praeficiantur, qui non modo litterarios iuuenum profectus, ſua opera adiuuent, ſed etiam in mores, vitaeque honeſtatem oculos intentos habeant. Horum emenſo repetitionum curriculo praecipua cura habetur, ad omnia habilitati eorum conuenientia munia promouendorum: ex his expedientur ad itinera erudita, ſumptibus e publico ſtudiorum aerario impendendis ſuſcipienda, cet.

§. 38.

Sectio ſecunda tradit Politiam Scholarum comparate ad Studioſam Iuuentutem. Potiſſimum vero

hic habetur ratio Politiae Scholarum Grammaticarum et Gymnasiorum, cum Scholarum Vernacularum disciplina, propter nationum, et Regionum varietatem, aliaque peculiaria adiuncta, nondum potuerit certis, atque fixis legibus plene definiri; Vniuersitatis vero disciplina, quae erit exemplar Academiarum, deinceps adornabitur. Finis itaque totius huius disciplinae est: vt sit Iuuentus 1.) corpore vegeto, atque robusto, 2.) Animo scientiis, et multiplici eruditione perpollito, 3.) Moribus probis, tractabilibus, et ad omnem vitae honestatem compositis. Vt haec tria obtineri possint, fuse iam praescribuntur regulae, de politica dispositione, comparate ad valetudinem studiosae Iuuentutis. Itaque agitur de periculis, quae ei imminere solent auertendis, de ludis ei indulgendis, quorum etiam genera, loca, tempora, ordinesque, atque leges definiuntur. Porro agitur de Politica dispositione, comparate ad culturam ingenii, studiosae Iuuentuti adhibendam. Huc spectat cautio, in tironibus e scholis vernaculis ad Grammaticas, ex his ad Classes superiores admittendis obseruanda; distributio horarum, quibus ordinariae institutiones habentur, accurataque temporis praefixi obseruatio; perpetuum aemulationis studium, et media, quae ad eam excitandam, atque fouendam conducunt, vti sunt, tentamina solennia, extraordinaria, a Directoribus Regiis Prouincialibus decernenda, proemia, et poenae studiosae iuuentuti adhibendae, in iisque obseruandis varii gradus; remotio impedimentorum, quae eam a studiis auocare solent, vt sunt immoderatae feriarum concessiones. Hic illae definiuntur.

§. 39.

Elegans sane, et ad seram posteritatem propagandum institutum est, quod extra ordinem, Dies 13. Maii, natalis scilicet M. Mariae Theresiae festus sit futurus toti in Hungaria Instituto Litterario. Die hac cunctis in Lyceis ritu augustiori, solennis peragitur in templis gratiarum actio, votaque, pro salute, et incolumitate totius augustae Domus nuncupantur, ac debitae Supremo Numini ad sempiternam instaurationis litterariae memoriam grates persoluuntur, idque quotannis die eadem recurrente, ritu eodem iterabitur. Festus item Lyceis omnibus est dies 13. Martii, natalis Imperatoris Augustissimi, ac futuris quoque temporibus, natalis regnantis Regis Apostolici, atque votis pro Augustae familiae incolumitate concipiendis consecrabitur.

§. 40.

Tertio, et postremo praescribitur Politia scholarum, comparate ad mores studiosae Iuuentutis formandos. Condiscere opportet Iuuenes, opera imprimis Catechetarum, et Exhortatorum, quorum id potissimum est officii, quales se praestare debeant: 1.) erga se ipsos, 2.) erga alios sibi aequales, 3.) erga se maiores, et inferiores, 4.) erga vniuersam, cuius membra sunt, societatem, 5.) erga Principem, 6.) denique erga Deum. Etsi grauissimae vbique, et omnifariam vtiles sint veritates, quas si obseruare Iuuentus perrexerit, nae accipiemus in eis ciues, quales Deus vult, Rex praecipit, patria expectat: tamen non possum temperare, quin inter officia erga societatem obseruanda, sequentia exscribam: „Linguam moderari, promissis stare, pronam et beneuolam inter se voluntatem gerere consuescant,

et

et mox ſub initium praecaueatur quam diligentiſſime, ne infelix ſpiritus ſtudii, partium, peſtis viſcera reipublicae non raro contaminans, quemcunque demum titulum, nomenque mentiatur, in Lycea irrepat, et ſeu diſcipulos, ſeu Magiſtros inquinet. Cum enim omnes eiusdem Regis ſubditi, eiusdemque reipublicae membra ſint, nec nationum, nec religionum diſſimilitudine diuidi, aut diſcindi debent: ſed potius emolumento patriae, et Summi Numinis honori procurando, ad concordiam, et fraternam conſenſionem omnes conſpirent. „ Felix patria, a ciuibus ita imbutis habitata!

§. 41.

Sectio tertia complectitur Politiam Scholarum comparate ad Parentes ſtudioſorum adoleſcentum, eorumque ſecuritatem, relate ad Litterariam inſtitutionem liberorum, et valetudinem, eorum mores, ac Proteſtantium religionem, atque hoſpitiorum commoda.

§. 42.

Sunt nihilominus tamen quaedam momenti non minimi, dedita opera in Tomo hoc priore rationis Educationis, quem recenſuimus praetermiſſa: quae cum nimium ſint diffuſa, alteri totius huius Operis Parti, quae tamen nondum prodiit reſeruata. Sunt autem praecipua: 1.) Adumbratio Tabellarum, in quibus ſignatur, morum, totiusque progreſſus Litterarii huius Inſtituti ratio, pro variis Lyceis, et Diſtrictibus ſtudiorum. 2.) Leges, et regulae ſpeciales Lyceorum, eae praecipue, quae ad exigendam diſciplinam pertinent. 3.) Varia ſtatuta peculiaria, pro Studiorum Directoribus, Magiſtris, Exhortato-

ribus, Catechetis, Extraordinariis Praeceptoribus, Correpetentibus, quorum quidem omnium summa, in hoc instituto continetur: denique disciplina scholarum altiorum, ceteraque complectens minutatim omnia, quae ad operis absolutionem, plenamque rei-publicae Litterariae stabilitatem, ac educationis gentilitiae formam pertinent. Sed haec fusius percensere, non est nostri propositi.

§. 43.

Iisdem moribus, et institutis instaurata est Res Litteraria in Magno quoque Principatu Transiluaniae, praeter Vniuersitatem. Ciues itaque eiates Budensem adire opportet. *Scholam Vernaculam Normalem* habent Cibinii; *Gymnasium Albae - Carolinae*, de quibus, cum nihil peculiaris, quod in Hungaricis dictum non fuisset, adferri possit, tacemus consulto. *Academiae* itaque *Claudiopolitanae* solum expromemus rationes. Est ea in Facultates quatuor dispertita, vtpote

1.) Theologicam ex Professore vno Theologiae Dogmatico-Practicae, et Scripturae Sacrae; secundo Theologiae Dogmatico — Speculatiuae, et S. Linguae; tertio Theologiae Moralis, atque quarto Historiae Ecclesiasticae constantem.

2.) Iuridicam, quae continetur tribus Professoribus Iuris, nempe Canonici, et Criminalis, Iuris Patrii, atque Iuris Naturae, et Institutionum Imperialium.

3.) Philosophicam, quae continet Professores, 1.) Physicae, 2.) Logicae, Metaphysicae, et Ethicae. 3.) Matheseos, atque 4.) Studii Politici.

4.) Facultatem artium. Pertinent ad hanc Professores septem, vtpote: Rhetoricae, Poeseos, Syntaxeos, Grammaticae, Principiorum, Maioris Paruae, et Classium Elementarium, atque Chirurgiae, et Artis Obstetriciae. Leguntur Docentes omnes, nullo habito ad Statum, et ordinem respectu: sola eruditio, et habilitas venit in censum. Aedes ad Academiam spectantes, vtpote Collegium, Seminarium, Domus Conuictus, et Templum Academicum, extinctis Iesuitis, cessit ex indulto Caesareo - Regio P. P. Clericis Scholarum piarum, anno 1776, die 15. Octbr. in possessionem inductis. Habet Academia haec, totaque Res Litteraria suum etiam Directorem Regium, cuius eaedem sunt, quae aliorum in Hungaria officii partes *a)*.

§. 44.

Quod omnibus Institutis humanis initio euenire solet: id Systemati etiam huic nouo Studiorum accidit. Quantumcunque perfecte elaboratum videbatur: tamen successu temporis, ex vsu diuturniore, Viri harum rerum periti, tam in disciplinis ipsis, quam methodo eas proponendi, libellis Classicis — in Scholis imprimis Vernaculis, defectus, hyatus, et naeuos alios inuenire sibi visi sunt. Euangelici pariter Hungariae, porrectis humillimis libellis supplicibus, iam annis 1777, et 1780, apud Augustissimam Mariam Theresiam complura in Nouo hoc Systemate notabant. Querelae eorum du-

a) Est is primus, Excellentissimus, ac Illustriss. D. Dionysius Bánffi, L. Baro de Lossontz, Status Consiliarius Intimus, per M. Principatum Transiluaniae Agazonum Regalium Magister.

plex imprimis ſpectabant obiectum. Alterum eſt, vniforme ipſum Syſtema Studiorum, quod in Scholas etiam eorum introduci iubebatur, vi cuius eadem tractarentur doctrinae (profanae) capita, eadem ſeruaretur norma, idem adminiſtrationis tenor, eadem morum diſciplina. Id, quod, quo minus fieri poſſit, ſalua religione ſua, ac politia ſcholaſtica hucdum vſu roborata, rationibus compluribus oſtendunt. Praecipuae ſunt: omnes fere ſcientias, praeter Matheſim, habere influxum in Religionem; quod ſi itaque Libellis manuductoriis, principiis R. Catholicorum conuenienter concinnatis, in Logica, Metaphyſica, Iure Naturae, et Gentium, Hiſtoria cumprimis Eccleſiaſtica cet, vti cogerentur, patere, quantam ſtragem Religio eorum proxime eſſet expertura. Defectus item diſciplinarum quarundem in recenti *Studiorum ratione* neglectorum, v.g. Hermeneuticae Sacrae, Criticae, Philologiae, Scholas eorum priuaturos, quibus cum vſu ampliſſimo, Iuuentus hucdum exculta eſt: Politiam denique internam Scholarum Proteſtantium, qua docentes, et diſcentes modum eorum ſubſiſtendi, longo annorum vſu confirmatum, claſſificationem Scientiarum, methodum docendi, atque morum diſciplinam, ad nouum hoc Syſtema accommodanda, perturbationem, et conuulſionem rerum Proteſtantium certo poſt ſe tracturas. Altera pars grauaminum pertinet ad Directionem Scholarum, quae Tribunali Regno Politico ſupremo partim, partim Directoribus Scholarum, omnibus omnino R. Catholicis commiſſa eſt. Circa quod humillime remonſtrant, fieri id contra antiquiſſima Iura ſua, vi Legum Regni ſtabilita, cum ſcholae conſtituant, partem Religionis exercitii, atque contra Iura Patronatus Proteſtantium, quibus (quippe Scholis ab eis fundatis, et hucdum conſeruatis) Directio competit. Neque eſſe ina-

nem timorem, Directores ipſos R. Catholicos, ſub praetextu Studiorum profanorum, Religioni ipſi moleſtos facile eſſe futuros, vt alia iam praetereamus. Stabat tamen Auguſtae ſententia, a Syſtemate inducto, nullatenus recedere. Quare poſt mortem Eiusdem, easdem preces ſuas, initio illico feliciſſimi praeſentis Regiminis, Auguſtiſſimo Imperatori, et Regi ſuo clementiſſimo propoſuere. Viſis itaque tam Euangelicorum petitis, quam ipſarum Scholarum naeuis, iubet clementer Auguſtus in *Commiſſione* (vt vocant) *Scholaſtica*, *a)* ſingula haec examinari, et quomodo querelae hae tolli poſſint, expendi. Inſtitutae ergo anni 1782. initio Poſonii conſultationes. Quia tamen obiecta earum, tam anguſto temporis ſpatio, aliisque ex rationibus pro dignitate rei trutinari non poterant: Proteſtantes annuum obſeruationibus ſuis concinnandis expetierunt, et obtinuerunt interuallum. Euoluto eo, tanto iam impraeſens diligentius inſiſtunt Conſeſſores perficiendo operi vtiliſſimo: quorum laborum, quam ſit futurus felix, et fauſtus euentus, tempus docebit.

§. 45.

Atque haec eſt compendiaria quaedam Educationis in Hungaria Litterariae impraeſens adumbra-

a) Membra eius ſunt: Illuſtriſſimus D. Nicolaus Skerlecz, Excelſi Conſilii Regii Locumtenentialis Conſiliarius, et per Croatiam, Slauoniam, Dalmatiam, Studiorum Director, atque in Commiſſione hac Praeſes, D. D. Praepoſitus de Felbiger, Canonici Mandics, Erdélyi, et Schober, atque e Scholis Piis Kiegler: ex parte Proteſtantium, Illuſtriſſ. L. Baro Gabriel Pronay, D. D. Ioſephus Bentzur, Ludouicus Domokos, et Stephanus Hatuáni.

tio, cui Deus pro infinita ſua bonitate, in gloriae ſuae augmentum, patriae vtilitatem, et Reipublicae Litterariae promotionem, benedicere velit. Feliciter!



INDEX

NOMINVM ET RERVM

MEMORABILIORVM.

A.

*

B.

C.

D.

* 2

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

V.

ERRORES

Qui longe ab Officina typographica remoto auctore, praeter interpunctiones, irrepserunt graniores, hi sunt:

Pagina 3. praefationis linea 8. loco *nomini*: legendum: nemini. pag. 8. praef. linea 3. loco *editorum*; leg. eruditorum. pag. 8. praef. lin. 4. loco *eruditorum*: editorum. p. 16. praef. lin. 8. loco *ecclesiasticam*, lege eclecticam pag. eadem, lin. 15. loco *phisicam*: lege physicam. p. 24. lin. 26. post verba: *non potest*, addatur: non. p. 41. lin. 10. loco *desiderent*: leget, deficerent. p. ead. l. 12. loco *Origentales*, lege Orientales. p. 43. lin. 16. *cum*: cum. p. ead. l. 20. *quae*: quod. p. 45. lin. 5. *historicarum*; historiarum. p. 53. l. 19. *hos*: nos. p. 54. lin. 14. post *Budensis* ante a.) ponatur: Gerardus Sagredus Episcopus Csanadiensis. p. 60. lin. 9. loco *coeuo*: coaeuo. p. ead. lin. 17. loco *ab horenda*: abhorrenda. p. 67. l. 6. post *docendi licentiam*, addatur: vt alios erudire valeant, ac doctoratus, seu magisterii honorem petierint. p. ead. lin. 7. loco *magistratos*, magistros. ead. lin. 8. *magistratum*: magistrum. p. 72. lin. 1. *laquentis*: languentis. p. 84. lin. 22. *Christianos*: Xystus. pag. 117. lin. 17. *Bélesini*: Békesini. p. 120. l. 39. *tenorum*: tenorem. p. 121. l. 28. *elegantes*: eleganter. ead. l. 37. *posesso variorum*: possessoriorum. p. 134. l. 24. *accademia*: academia. p. 148. l. 14. *apogriphi*: apocryphi. 149. l. 28. *Kirschcrianae*: Kircherianae. p. 153. l. 8. *acce plura*: acceptura. 156. l. 15. *Iudicem*: Indicem. ead. l. 26. *Epitome*: Epitomen. 158. l. 14. 1780: 1708. ead. l. 20. *religionari*: religionali. 161. l. 14. *doctis*: dictis. 163. l. 18. *metaphisica*: metaphysica. 166. l. 28. *logotheca*: logotheta. 167. l. 17. *Hungaricos*: Hungaridos. ead. l. 31. *Blasiano*: Beniczkiano. 169. lin. 3. *Beczeli*: Péczeli. 168. l. 23. *Pilesius*: Silesius. 171. lin. 3. *aucta*: nacta. 172. l. 22. *erectis*: eiectis. ead. l. 26. *anonimus*: anonymus. ead. l. 35. *adiectas*: adfectas. p. 173. l. 11. *Curman*: Krman. p. 174. l. 22. *impensis*: impensas. ead. l. 23. *auens*: auctas. ead. 32. *exigerent*: erigere. 175. l. 3. *Serenissimos*: Serenissimi. ead. l. 8. post *docetur*: addatur, ex. ead. l. 28. *nonnullos*: nonnullorum. p. 176. l. 5. *humillime*: humillimae. ead. lin. 8. *ramusculis*: rumusculis. ead. lin. 23. 1661: 1667. pag. 177. lin. 2. *sectionum*: lectionum, ead. lin. 9. *consignationibus*: contignationibus. p. 181. lin. 1. *vocandi*: vocanti. p. 182. lin. 18. *Schola*: Scholae. ead. lin. 23. *Patauini*: Patakini. p. 183. lin. 1. *Politices*: Poetices. ead. lin. 36. 1761: 1671. p. 184. lin. 35. *Luce*: Lucae. p. 187. lin. 4. *Symbolicis*: Symbolici. ead. lin. 13. σονδεω : σὺν θεῷ. p. 191. l. 19. *metaphisicae*: metaphysicae. p. 193. lin. 26. *tragediam*: tragoediam. ead. lin. 31. *decennariis*: decennalis. p. 194. l. 26. *cerebro*: crebro. ead. 36. *Domum*: pomum. p. 196. lin. 29. *Euangelice*: Euangelica. ead. lin. 32. *Mecadnas*: Mecaenas. p. 197. lin. 2. *Mossoniense*: Mossouiense. ead. 35. *Gymnasii*: Gymnasiis. p. 204. lin. 22. *quérimus*: querimur. p. 206. lin. 22. *manus*: manu. p. 207. lin. 17. *accepta*: occepta. p. 208. lin. 17. *conseruatos, auctos*: conseruatas, auctas. ead. lin. 34. *docentibus*: foventibus. p. 209. *Vir*: deleatur. ead. 16. *excultioris*: exculturis. p. 211. lin. 10. *mali*: male. ead. lin. 21. *publiceque*: publicaeque. ead. l. 25.

ERRORES.

pate: pute. ead. lin. 38. *legentam:* legenti. p. 212. lin. 4. *et:* ex. ead. lin. 8. *inducens:* indecens. ead. lin. 20. *editus*: editas. p. 213. lin. 16. *oditur:* aditur. p. 214. lin. 16. *quos:* quas. ead. l. 31. *rara:* mera. ead. l. 36. *cuius:* eius. ead. lin. 37. *electos:* eiectus. p. 215. lin. 27. *complurimum:* complurium. ead. l. 36. *Solati:* ſolatia. pag. 216. l. 16. *aliquod:* aliquot. ead. lin. 29. *Commendatio:* Commentatio. p. 218. l. 4. *metaphiſicae:* metaphyſicae. ead. lin. 9. *commendationes:* commentationes. p. 220. lin. 31. *Servorum:* Serborum. p. 223. lin. 18. *aetatis*: aetates. ead. lin. 35. *literari:* litterarium. p. 224. lin. 22. *manibus:* deleatur. ead. lin. 25. *parato:* paratos. p. 230. l. 5. *eſſe:* ſit. ead. lin. 6. *myſteria:* myſterio. p. 233. l. 11. *theologica:* theoretica. p. 235. l. 14. *Euangelicae:* Euangelica. p. 237. l. 23. *executique:* excudique. p. 238. l. 13. *perrorationes:* perorationes. ead. l. 30. *condemnanda:* contemnendae. ead. l. 36. *aequae:* aeque. p. 239. l. 2. *intorſis:* intruſis. ead. l. 28. *inexegrabili:* inexorabili. ead l. 30. *quos:* quas. ead. l. 31. *iniuriam:* inuram. ead. l. 35. *gerrebat*: gemebat. ead. l. 38. *factorum:* facturum. p. 240. l. 4. *Eccleſiae* deleatur. p. 241. l. 28. *inueſtigatos:* inueſtigatas. p. 242. l. 8. *conuocatos:* conuocatas. ead. l. 10. *feri:* fieri. p. 244. l. 29. *hoc:* hac. ead. l. 31. *Glogii:* Gloſii. ead. l. 18. *incitos:* incitas. p. 246. l. 29. *elocata:* coniux. 247. l. 22. *dicandi:* dicendi. p. 248. l. 10. *principes:* princeps. ead. l. 24. *patria:* patrio. p. 249. l. 9. *graece:* graecae. ead. l. 10. *evaleſcit:* coaleſcit. p. 251. l. 16. *Scholae:* ſcholas. ead. l. 19. *more:* mare. ead. l. 30. *dutorum*: diuturnum. p. 252. l. 5. *neglectus:* neglectis. ead. l. 7. *alias*: alios. p. 254. l. 6. *in* deleatur. ead. l. 33. *prodiit*: prodidit. ead. l. 34. *tandem*: tardam. p. 255. l. 18. *conſtitutio*: conſtituta. p. 259. l. 19. *transmarinos*: transmarinas. ead. l. 20. *iſta*: iſte. ead. l. 21. *ſuos*: ſuas. ead. l. 26. *quos:* quas. p. 261. l. 12. *ſucceſſis*: ſublatis. p. 262. l. 6. *pronudentes:* protrudentes. p. 263. l. 26. *heptomatibus*: hebdomadibus. *puplicare*: publicare. ead. l. 34. *Heumannum*: Heumanno. ead. l. 35. *hacce*: hocce. p. 264. l. 7. *ibi*: in. ead. l. 22. *practicae*: practice. p. 266. l. 18. *multos:* nullos. p. 268. l. 24. *Regiorum*: Regiarum. p. 269. l. 6. *diuerſarum*: diuerſorum. ead. l. 32. *capientes*: cupientes. p. 270. l. 2. *fores*: lares. ead. lin. 4. *ceterum*: deleatur. p. 271. l. 8. *quarum*: quorum. ead. l. 9. *praeſcritam*: praeſcriptum. ead. l. 20. *varios*: varias. p. 272. l. 4. *Commiſſis*: Commiſſio. ead. l. 11. *obtinentia*: pertinentia. p. 281. l. 1. *aſſignantur*: aſſignentur. p. 287. l. 32. *orationem:* orationes. p. 293. l. 7. *Loco*: Loca. ead. l. 22. *rationationibus*: ratiocinationibus. ead. l. 28. *colollaria*: corollaria. p. 297. l. 9. *conſpectariis*; conſectariis. p. 298. l. 3. *poſita*: poſitu. ead. l. 29. *mineralium*: minerarum. p. 299. l. 19. *gaudent*: gaudet. p. 305. l. 2. *ſupperiores*: ſuperiores. ead. l. 8. *receptae*: receptas. p. 316. l. 29. *ſudiorum*: ſtudiorum. p. 318. l. 21. *excolendo*: excolendi. 322. l. 5. poſt *quae*: addatur: ad 5. *legantur*: leguntur, eadem linea pag. 323. linea 24. *hyatus*; hiatus.